KW 524
C14

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII
NEAPOLITANAE ECCLESIAE CANONICI
REGII S. SCRIPT. INTERPRETIS

DISSERTATIO HISTORICA

DE CATHEDRALIS ECCLESIAE NEAPOLITANAE

SEMPER VNICAE
Variis diverſo tempore
VICIBVS

Cum praevio ANTELOQVIO : & APPENDICE opuſculorum :
quorum ſeries poſt Anteloquium exſtat pag. XL.

ACCESSIT PEREMPTORIVM EDICTVM
Ad eluendas Adverſarii doctiſſ. criminationes.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

NEAPOLI ANNO CIↃIↃCCLI. AVCTORITATE PVBLICA
Excudentibus Novello de Bonis Typographo Archiepiſcop.
& Joſepho ejus filio.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO

INFANTI HISPANIARVM REGI VTRIVSQ. SICILIAE ET HIER. PIO FELICI AVGVSTO

ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCHIVS MAIESTATI EIVS DEVOTISSIMVS.

Agistrae hominum litterae si humanum ipsae possent sermonem exprimere, & effari Tecum, REX OPTIME ET FELICISSIME; hanc puto illas primam fore vocem usurpaturas, qua Tibi, quia per Te maximis beneficiis affectae fuerunt, gratias agerent, seque in Tuam fidem & clientelam dede-

Digitized by Google

rent . Hoc illae quia per ſe minus poſſunt ; incitare ſatagunt alumnos ſuos , publice ut teſtatum faciant , quantum ſe Tibi debere profiteantur non uno nomine : primum quod a puero Te fuiſſe ipſarum cultorem non piguerit , ac nunc quoque Te Tibi interdum ſurripias , ut quas poſſis horas in Muſarum contubernio impendas : adhaec quod easdem jam tum ab inito principatu , perſtrepente adhuc armorum tumultu , impenſiſſime foveris ; mox autem firmato imperio , ſic in dies magis magiſque ornaveris porroque ornes , ut ſicuti ſe dant initia , optime jam ipſis ominari de ſe , ſpemque ingentem fortunae melioris animo ſuo praecipere liceat . Hac certe fiducia res litterarum publica ſuſtentatur , fore ut quemadmodum olim Italia ad bene ſperandum de litteris vexillum tunc prima extulit , quando humaniores artes diu antea conſepultas princeps ipſa abhinc annos quadringentos de Gothicis & Langobardicis tumulis excitavit , eademque mox extorres ex Graecia Muſas prima omnium in fidem ſuam atque ſinum recepit ; ſic eadem (quando jam tandem pars haec tanta Italiae foedo provinciae ſqualore deterſo , per Te priſtinum illum Regiae vultum nitentiſſimum induit) hoc etiam , quod cum ſummo imperio aptum atque connexum eſt , aſſequatur decus , ut pridem jacentes litteras nunc demum ſplendore , quo par eſt , eximio circumfuſas planeque regnantes videre geſtiat . Fa vero ſpes ab ipſis Tui , REX CAROLE , principatus initiis exſuſcitata , nunc cum maxime ejuſdem incrementis alitur , ac majoribus quotidie proceſſibus confirmatur : Eſt enim incredibile dictu , quan-

tum

tum abhinc hos viginti annos, ex quo gubernaculis adſides, in re litteraria promotum fuerit, dum in eo ſtadio alii praemiis exſtimulati decurrunt, alii plures tanto majore alacritate contendunt ad metam, quod ſe Tibi probare ac placere, id unum ſplendidum, id decorum atque palmarium habeant.

Sic re probavimus, quod vulgo olim de propaginis Borboniae ſurculis dictitabatur. Nempe audiebamus eſſe hoc domus Borboniae gentilitium decus, ut (quod de Baccho ad Indos profecturo jactavit antiquitas) habeant expeditionum ſuarum comites Muſas; beatoſque nos fore praedicabamus, ſiquando nobis ab aliquo Ducum Borboniorum in fidem receptis, in Muſarum caſtris militare daretur. Id poſtquam divino munere nec opinantibus contigit; experiri cito in ipſo armorum ſtrepitu licuit, quam majora omnia fama & praedicatione fuerunt. Itaq. alius fortaſſe bellicas gentis tuae laudes admirabitur, alius temperatas a Borboniis Principibus juſtiſſimo imperio terras atque provincias: erit qui virtutes ſingulorum maximas atque inauditas ſtylo proſequatur. Mihi ſiquid in dicendo copiae ac facultatis daretur; non aliud argumentum proponi ad exornandum optarem, quam gentis Borboniae in litteris demerendis & exornandis ſtudium, ac perpetuam & aequabilem in ea domeſtica laude conſtantiam.

Quos Tu, REX ſapientiſſime, imitatus, nullam Tibi elabi de manibus juvandi litteras occaſionem pateris; atque adeo id agis idque laboras, ut intelligant univerſi, apud Te nihil valere magis quam eruditionem, non illam quidem tumidam ac ferocem, ſed pie-

Digitized by Google

tatis condimento temperatam: ita ubicumque hanc reperis, proſtratam jacere non ſinis, ſed erectam prae omnium ore veluti triumphali in ferculo transvectam traducis. Quo minus miror, tantam omnis aetatis ſexuſque (nam hoc quoque Regni tui decus eſt ſingulare, quod etiam feminae philoſophantur) in diſcendo alacritatem, tantam ad hoc tuum Gymnaſium a Te mirifice reſtitutum & expolitum concurſationem, tantam librorum omnis generis in publicum editorum varietatem; ut fervere jam ingenia, ac veluti affrictu excitata igneſcere videantur.

Quae eſt enim tam recondita diſciplinarum pars, de qua non hodie ſub tuis auſpiciis apud nos libri optimi & egregii prodeant? Nec eas dico ſolum facultates vulgo notiſſimas, quae divinarum humanarumque rerum ſapientiam continent, Theologiam, Divini humanique juris prudentiam, Philoſophiam, Mathemata, Medicinam, Hiſtoriam, Philologiam, verum & recentiſſimas alias haud paullo ad continendam hominum ſocietatem utiliores artes, ad exercenda commercia, ad rem monetariam, politicam, nauticam, atque militarem maximopere conducibiles: quas meditando & novis quotidie extundendis inventionibus non promoviſſe ſolum ſed & ad Artis ac ſcientiae comprehenſionem redegiſſe, id vero permagna eſt tuorum, REX OPTIME, temporum tuaeque felicitatis laus.

Jam vero quandonam in perſcrutandis latebris antiquitatum plus eſt a noſtris hominibus operae poſitum? Cum olim non poſſent multi admodum numerari, qui in contrectandis nummis, in ſaxis litteratis

ſup-

Digitized by Google

ſupplendis exponendiſque, in veteribus anaglyptis, vaſis, ſigillis, & id genus aliis pernoſcendis & explicandis curam impenderent; cumque ſiqui id facerent, ab imperita multitudine, quaſi qui operam luderent, traducerentur; nunc hiſce litterarum amoenitatibus tantus a Te ſtatutus eſt honor, ut qui id agunt, ii paene dixerim tantum nunc ſapere videantur.

Cumque per idem tempus tot vetera egregia monumenta in omnibus provinciarum tuarum partibus, quot nunquam antea, in apricum prodierint; quid aliud profecto dicemus, niſi ſenſiſſe (ſi ſic loqui licet) adventum tuum tot illa antiqua cimelia; nec antea procedere in publicum voluiſſe, quamdiu pretium nullum hiſce theſauris ſtatuebatur: poſtea vero quam talem tantumque Regem, aeſtimatorem eximium antiquitatum, adventaſſe cognoſſent; tum demum ſublato vexillo, & ex locis omnibus eruptione tamquam ex compoſito facta, una ſimul foras proſiluiſſe?

Nam quid hic de urbe finitima Herculaneo (ſive quam aliam hanc appellabimus? nec enim id nunc agimus) loquar? Quae olim taeterrimis Veſuvii montis eructationibus implicata ac diutiſſime conſepulta, nullam admodum ſuae tantae pulchritudinis orbitam impreſſam reliquerat: nunc vero demum ductu auſpiciiſque Tuis, plurimis eruderata locis, ſeſe ſub ima tellure accolis juxta & convenis gregatim confluentibus viſendam praebet. Quid nunc porro exſequar, quaenam & quanta antiquitatis ſupellex ex eadem vena ditiſſima dudum effoſſa fuerit, & effodiatur quotidie? Quinam ille ingens egregia-

rum

Digitized by Google

rum ex aere & ex Pario marmore ſtatuarum veluti populus eximii operis & magnitudinis? Adhaec tot aera & marmora litterata, tot anaglyptae tabulae, tot vaſa, ſcalptae gemmae, toreumata: ad quae contemplanda ex omnibus Europae partibus concurſus frequentes fiunt, quaeque excellentis ingenii viros in hiſce rebus ſubactos, tum populares tum exteros, jam diu exercent ac porro exercebunt. At vero nihil eſt rerum omnium ex eadem vena erutarum, cui eruditi oculi magis affixi haereant, quam tot illae picturae elegantiſſimae, olim in udo parietum tectorio expreſſae, quae nunc tui Herculanenſis Praetorii ornant interiorá cubicula. Pro Deus immortalis! Eſt ne credibile, nihil non modo Capuae, aut in aliis aemulis Romanae magnitudinis urbibus, ſed ne in ipſa quidem Roma principe fuiſſe repertum hujuſmodi: in hac vero una ſubterranea civitate tantam quotidie detegi gazae ejuſcemodi copiam, ut Zeuxidas & Apelles omnes ad hanc unam exornandam conſpiraſſe neceſſe fuerit, poſthabuiſſe ceteras civitates? Aut quam id in partem accipiemus? Quantum porro his ſibi exemplis propoſitis proficere hodie, ſi ſaperent, pictores poſſent, mitto dicere. Ac de Herculaneo nolo jam plura dicere, quae ſunt vulgata ſermonibus univerſorum.

Quid quod etiam ſequioris aevi monumenta commovit adventus Tuus, ac prope compulit, ut in occurſum tamquam exſultabunda progrederentur? Quis enim credidiſſet, in hac ipſa Regia Metropoli ſeſe tamdiu occuluiſſe duo illa ingentia ſaxa, ſingula ad XX. pedes Romanos oblonga (quae vetus Neapolitanae Eccle-

ſiae

Digitized by Google

siae Kalendarium abhinc annos nongentos scalptum continent) tamdiu inquam sese continuisse, donec praesens adesses; nec nisi Te coram vultum proferre suum voluisse? Quasi nempe intelligerent, nunc illud tempus esse, quo non minus profanis, quam ecclesiasticis antiquitatibus haberetur honos, qui antea negabatur. Itaque quae & quantae utilitates ex illo marmorei Kalendarii fonte profectae in sacram historiam fuerint, sentiunt jam universi, quibus rerum harum vel minimus sensus inest.

Mitto jam aliorum cujusvis generis monumentorum segetem in omnibus utriusque Regni provinciis haud pridem, Te Rege, detectam. At illud quo piaculo taceam, quod in imo illo Magnae Graeciae recessu, qui sinui Tarentino imminet, Heraclea, urbs olim clarissima, nunc suis consepulta ruinis, visa est quodammodo Te Regem agnovisse ac persensisse? Quandoquidem ea tellus aereas duas ingentes Heracleoticas tabulas a summo ad imum perscriptas, postquam in utero bismillesimum hunc annum gestaverat, tamdiu parturire distulerit, donec, REX CAROLE, adesses, nempe unius tantae gazae aestimator. Cujus postquam sensit adventum, tunc demum sponte sua gemellos illos partu effudit uno. Quas porro & quantas veterum legum, contractuum, agrariarum antiquitatum opes aera illa contineant, propediem, DOMINE, senties; siquidem uni Tibi donum illud a possessore suo Carolo Guevara Equite Hierosolymitano, Tuae laudis studiosissimo sistetur, non sine comite commentario.

Ac

Digitized by Google

Ac diu eſt, quod donarium illud ad tuum convolare Muſaeum geſtiebat. Sed tamen diuturnae dilationis duae potiſſimum exſtitere cauſae. Prior illa fuit, quod antequam illae tabulae in Tuum inferrentur Theſaurum, viſum eſt poſſeſſori ſollertiſſimo eas integras quanta maxima accuratione in aes incidendas curare. Id vero ut quam diligentiſſime fieret, diu inſudatum fuit, & adhuc inſudatur. Alteram vero cunctationis cauſam attulit dilatio commentarii, quo tabulas illas illuſtrari conſilium Equiti Guevarae fuit. Cujus commentarii curam, hortante poſſeſſore amiciſſimo, in me ipſe ſuſcepi tunc temporis, cum multis operibus partim inceptis, partim jam mox exordiendis fidem oppigneratam haberem. Itaque dum aliud ex alio me ab ea lucubratione avocat, plus jam biennio fluxit. Sed profecto ipſe me excutiam; atque efficiam, uti quam celerrime ei operi jam pridem adumbrato, manum tandem & elucubrando & perficiendo admoveam.

Atque ea prae ceteris cauſa fuit, ut tantiſper, dum ille exierit in Heracleoticas tabulas commentarius, Tibi DOMINE aliquid ex iis ipſis opuſculis, quae commentationis ejuſdem curam retardarunt, interim audacter offerrem: ex qua ſtatim fides excuſationi meae fieret, ac diuturnae procraſtinationis ratio & cauſa omnis abunde conſtaret. Itaque cum id a me nuper domeſtica neſcio quae neceſſitas extorſiſſet, uti Cathedralem Neapolitanam Eccleſiam a quorumdam obtrectationibus vindicarem; id vero opus opinione mea majus ac ſpiſſius in manibus

Digitized by Google

nibus evaſiſſet ; cum porro labor in eo maximus a me impenſus , Heracleenſem illum Commentarium jam diu protraxiſſet ; quid aliud profecto reliquum fuit , niſi ut illud ipſum de Eccleſia Neapolitana opus (quod ceteroqui juſtam ejus hiſtoriam & origines ediſſertas continet) Tibi REX dicarem : primum uti , quid me ab Heracleoticis cimeliis tamdiu abduxerit , animadverteres : deinde quod longe maximum huic de noſtra Eccleſia Diſſertationi decus & columen , ſi ſub Tuo appareret Nomine , acceſſurum duxiſſem .

Nec ceteroqui cuivis alii prorſus id nuncupari par aut decorum videbatur . Quis enim hominum noſtrorum ignorat , quot & quanta tum a ceteris Neapolitanis Principibus , tum in primis a Regibus Andegavenſibus majoribus Tuis in Neapolitanam Eccleſiam beneficia redundarint ? Ea quidem luce meridiana clariora ſunt , ac luculentiora quam ut monitore indigeant . Hac de cauſa nulli magis , quam Majeſtati Tuae hoc quodcumque eſt operis debebatur ; praeſertim cum Tu Majorum tuorum in Neapolitanam Eccleſiam voluntatem eximia pietate tua non tantum aequare , ſed & praegredi atque antecellere videaris . Hoc igitur qualecumque munus uti pro Tua indulgentia non tantum aequi bonique ducas ac foveas , rogo , verum etiam ut ſimul auctorem ejus , Regium Tui Gymnaſii profeſſorem , Tibique tot aliis nominibus devinctiſſimum , in Tuum patrocinium libenter adſciſcas ; ac poſtremo , uti Cathedralis Eccleſiae Canonicos Collegas

meos

Digitized by Google

meos pari patrocinio dignari & ornare, eosque in ea praesertim controversia, cujus gratia haec nunc Dissertatio prodit, tutari & inviolatos praestare pro Tua indulgentia velis. Nostrarum interim erit partium pro Tua incolumitate, gloria, victoriis (quae quidem cum populorum salute apta & connexa esse nemo non videt) preces & hostias Omnipotenti DEO, pro eo ac debemus, offerre quotidie. Vivas diu sospes, REX Maxime & Clementissime, bono rei publicae nate.

Digitized by Google

AD SEQVENTEM
DISSERTATIONEM HISTORICAM
De Cathedrali Neap. ſemper unica

ANTELOQVIVM.

Nihil ſuſpicabar minus, quam ſuſcipi a me laborem tantum debuiſſe, ut res tum ſalebroſas atq. inſuaves, tum etiam denſiſſima obſeptas caligine, nec ullius antea ſignatas veſtigiis (cujuſmodi ea ſunt omnia, quae hac diſſertatione tractantur) tentando experiundoque, & quibuſcumq. modis poſſem extundendo detegerem, ac palam exponerem. Profecto ſi unquam alias hic certe vim mihi allatam fuiſſe, ne id onus averterem, ſaepe apud amicos expoſtulavi, & nunc quoq. conqueror. Aequiore profecto animo Opera agro nona Sabino (*quod ille ait*) *acceſſiſſem, quam ut iſta, ad quae nunc vix tandem occallui, mihi ut tractarem perſuaderetur. At equidem pertinaciſſimo meorum collegarum (quos ſemper quaſi parentes pro eo ac debeo colui) imperio obſtiti quoad potui: poſtquam nihil renitendo atq. obluctando profeciſſem; vel ſic etiam aegerrime dedi manus. Itaq. quidquid bujus rei factum eſt, faciundum fuit.*

Quaeras fortaſſe, ecquid inciderit, quod iſtam ſcriptionem expreſſerit. At opuſculi bujus occaſionem tum in veſtibulo Partis prioris pag. 1. & 2. tum etiam in Partis alterius prologo ſect. 2. a pag. 90. ad 95. ſatis enarratam reperies:. quae grave eſt toties inculcare.

Utinam vero pulchre & ex animi ſententia omnino res proceſſiſſet. Nam dum quae jam formis excuſa fuerunt, relego, etſi res ipſas rerumq. argumenta adeo non damnem, ut ſolida ac vera eſſe omnia mihi perſuadeam, idemq. ceteris viſum iri confidam; tamen de rei totius ſumma atq. conſpectu minus perſpicue expoſito eſt quod non nihil doleam. Quid vero potiſſimum luminibus ſcriptionis bujus offecerit, paucis aperiam, ac ſimul remedia, quibus ei malo medear, afferre conabor.

I. Ac primum Partem priorem, cum ſit topographica tota, exteri homines, qui numquam hodiernam Cathedralem, numquam Sanctae Reſtitutae Eccleſiam, & utriq. adjacentia aedificia viderint, percipi a ſe poſſe negabunt. Ultro id quidem fateor. Imo id quoque confiteor, Neapolitanos ipſos, quibus ea omnia viſa millies & luſtrata fuerint, ea parum intellecturos ſine topographica partium iſtarum omnium informatione, quam lector ad omnes occaſiones paratam habeat, ad quam ubi opus, recurrat, eaſque partes, de quibus eſt ſermo, ſuis ipſe oculis quaſi in re praeſenti contempletur. Veriſſi-

Digitized by Google

rissimum enim semper illud carmen protritum fuit.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

Itaque huic malo topographica tabula auxilio veniet.

II. At etiam amoto hoc impedimento, eamdem priorem partem minus videri plausibilem, conquerentur; nec argumenta illa sane plurima, quibus demonstratur, veterem Cathedralem fuisse ipsam illam, quae hodie S. Restituta *vocatur, assensionem statim a nolentibus exprimere. De hac vero expostulatione dicam equidem quid sentiam. Ea quidem argumenta maximam partem sunt ejusmodi, ut eorum singula miram non ad suadendum tantum, verum etiam ad persuadendum vim habeant; junctim vero proposita fidem vel invito extorqueant. Nunc quia eadem sparsim explicata, ac diversis digressionibus ac diverticulis (etsi de rebus utilissimis, quas nunc primum in transitu exsculptas, deperire lectori nolui) divulsa ab se invicem atq. distracta fuerunt; ex ea satis importuna interruptione factum video, ut vim illam mirificam in animos hominum perrumpendi, & quamvis renitentes expugnandi, paene amiserint: qua vi minime caruissent, si phalangis Macedonicae in modum uno simul assultu in adversarios irruissent. Et huic quoque malo medicina fiet; si modo compressis tantisper digitis. & palma rhetorica complicata, selectiora quaeq argumenta in pugnum dialecticum contrahamus.*

III. Addetur etiam eorum, quae sparsim toto opusculo ac maxime Parte altera enarrantur, recensio chronologica.

IV. Accedet ultimo loco Episcoporum & Archiepiscoporum urbis hujus (quorum creberrima mentio necessario incidit) indiculus; quo quis cui successerit aut praecesserit, uno aspectu animadverti possit. Accedent ad calcem consueti indices; tum capitum sectionumque, tum etiam rerum verborumque, & Scriptorum sive illustratorum, sive leni castigatione restitutorum. Nunc ab eo ordiar, ut veterem Stephaniam non alibi quam in hodierna Sancta Restituta fuisse, planissime brevissimeque demonstrem.

PARS I.
SYNOPSIS ARGVMENTORVM.
Quibus ostenditur, *Salvatoris Ecclesiam* sive *Stephaniam* non alibi quam in ea Ecclesia, quae hodie *S. Restituta* dicitur, esse quaerendam.

EX quo primum novas res circa Neapolitanam Cathedralem molientium studia ante hos non multos annos sub Illustrissimi Praesulis Nic. Carminii Falconis ductu & auspiciis emerserunt; quicumq. novitati studuere, cum vetus Cathedraticum decus hodiernae basilicae S. Restitutae se posse ullis modis eripere desperarent; in eas se conjecere angustias, ut hodiernae (*) quidem San-

(*) *Ne miretur lector, si eam, quae nunc* S. Restitutae Ecclesia *vocatur, semper* hodiernae *additamento donem. Id ea gratia fit, ut ab altera antiquiore S. Restituta, quae in po-*

Digitized by Google

Sanctae Reſtitutae decus iſtud minime denegarent, at unicam fuiſſe Cathedralem; hoc vero negarent. Enimvero praeter hanc, fuiſſe praeterea alteram in vicino poſitam volunt; quam demum illam fuiſſe decantatiſſimam Stephaniam *contendunt. Atqui haec ipſa duplicitas Cathedralium, nuper ſomniata primum, a me Parte altera cap. I. univerſe argumentis tribus everſa fuit* (*vide a pag. 95. ad 99.*) *I. Ex Joannis Diac. & ceterorum antiquorum omnium de iſta duplicitate ſilentio: II. Ex unico Dedicationis Cathedralis Neapolitanae feſto: III. Ex eo quod quoties antiqui Cathedralem noſtram deſignare voluerunt, eam ſive* Neapolitanam *aut* Majorem Eccleſiam, *ſive* Epiſcopium *abſolute ac ſine adjectione ulla, quae unam ab altera diſcrimináret, vocarunt; idq. etiam paullo ante novam hodiernam Cathedralem erectam, ut exemplis Caroli I.* (1) *Andegav. & Rogerii* (2) *Regis* Epiſcopium *ineuntium docemur; & exemplo Innocentii IV. in* Majori (3) Eccleſia *tumulati. Haec quidem loco cit. explicavimus; nec ea nunc argumenta reponam faſtidientibus. Itaq. aut hodiernam S. Reſtitutam unicam fuiſſe Cathedralem fateantur; aut ſi hoc concoquere nequeunt; eam potius quocumque vetere Cathedratico honore, ſi queant, ſpolient* (*ut ſuam ſcil. commentitiam, nec niſi heri aut nudius tertius excogitatam Cathedralem opimis ſpoliis, ex unico teſtatiſſimo Epiſcopio antiquo detractis, ornare pergant*) *quam ut altare* (*quod ajunt*) *contra altare ſtatuant.*

Ad ſummam, fuiſſe olim in vicinia S. Reſtitutae hodiernae alias com-

poſtico ſacelli S. Mariae de Principio olim erat, diſtinguatur: a qua antiquiore haec hodierna ante quadringentos amplius annos S. Reſtitutae virg. reliquias ſimulq. nominis hereditatem abſtulit: de quo Par. I. cap. 4. & 6. & ſaepe alibi ediſſerui.

(1) *Vide Par. 2. cap. 1. pag. 97. Adnot. 3.*

(2) *Exſtat apud Falconem Beneventanum in fine Chronici deſcriptio pompae Rogerii Regis anno 1140. Neapolim introeuntis.* Continuo, *inquit*, presbyteri, & civitatis clerus ad eamd. portam (*Capuanam*) obviam exivit, & eum hymnis & laudibus ad aſtra levatis civitatem introduxerunt. Quatuor illico viri nobiles habenas equi & pedes Regis ipſius tenentes.. uſq. ad EPISCOPIVM civitatis Regem illum introduxerunt. *Ecquod rogo* Epiſcopium; *ſi quidem tunc duplex fuiſſent? At unum erat, ſemperq. fuit. Mox:* Rex ipſe tali & tanto honore ditatus, ad EPISCOPIVM deſcendit, & (*poſt Eccleſiae ritus*) in Camera Archiepiſcopi (*Marini*) hoſpitatur. *Certe quia Archiepiſcopale palatium tunc etiam, uti Par. I. oſtendimus, cum vetere Cathedrali* (*quae nunc* S. Reſtituta *dicitur*) *copulabatur.*

(3) *Exempla ſunt paſſim in chartis, chronicis, & hiſtoriis obvia. Ac ne a temporibus ejuſd. Marini Archiep. diſcedam; in diplomate inedito* (*quod integrum in Indice Archiepiſcopor. in Marino adſcribam*) *Rogerius* Majori Eccleſiae Neapolitanae *donat Eccleſiam S. Sabini ad Curiam ſuam pertinentem cum omnibus bonis ſuis, deq. ea inveſtit Marinum Archiepiſcopum. Si porro duae fuiſſent Majores Eccleſiae, utri earum donatio facta fuerit, declarandum fuerat. Adhaec Chronicon Cavenſe apud Murat. to. VII. ſcript. Ital. ad ann. 1254.* (*h. e. ſexageſimum ante novae hujus Cathedralis encaenia*) *ſcribit:* Obiit Innoc. Papa IV. in civit. Neap. &.. Stephanus Cardinalis: quorum corpora tumulata ſunt in MAIORI ECCLESIA praedictae civitatis. *At ſi duplex Cathedralis erat; cur utram intelligat, non eloquitur? Nunc quia una, eaq. non alia quam hodierna S. Reſtituta, erat; ibi ſepultum Pontificem docet. Nec niſi Humbertus Archiep. poſt novae Cathedralis encaenia Innocentium in Cruce novae Cathedralis tumulavit, & epigramma addidit. De hoc plenius in Addendis agimus e contra Seſſalium.*

Digitized by Google

plures Eccleſias, partim (4) *adjacentes, partim* (5) *proximas, non eſt dubium: at vero nec fuit unquam, nec eſſe potuit niſi Cathedralis una (niſi vero Chimaeris multiformibus delectamur) huic vero praeter generales* Eccleſiae Majoris *aut* Neapolitanae *aut* Epiſcopii *appellationes, non aliud proprium quam* Salvatoris Eccleſiae *aut* Stephaniae *nomen olim erat: ac poſtremo haec eadem ſive Stephania ſive Salvatoris Eccleſia adhuc, quamvis laceris artubus, in hodierna S. Reſtituta ſpiritum anhelantem trahit. Quod ultimum haud ſecus eſſe, ac dixi, ſyllogiſmo jam uno conficiam.*

SECTIO I.

Veterem Stephaniam non alibi quam in hodierna S. Reſtituta quaerendam, argumentatione una demonſtratur.

Ea tota argumentatio hac una circuitione abſolvitur. Ea fuiſſe Salvatoris Eccleſia ſive Stephania dicenda erit, in quam partes omnes itemq. ſigna diſcretiva & nomina veteris Stephaniae unice conveniunt. Atqui cum hodierna S. Reſtituta tum partes, tum appellationes atq. indicia antiquae Stephaniae ſingulariter congruunt. Non alibi ergo Stephania quam in hodierna Sancta Reſtituta ſuperſit neceſſe eſt.

In quo quidem ſyllogiſmo propoſitio (majorem *vocant*) *planiſſima eſt. Itaq. ſola aſſumptio demonſtratione indiget: quam proinde demonſtrandam particulatim aggrediemur.*

§. I.

Stephaniae partes extremas duas S. Reſtitutae congruere oſtenditur.

I.

Hodiernae S. Reſtitutae apſis haud alia eſt quam ipſiſſimum vetus Stephaniae tribunal.

Quod ſunt in humano corpore caput & pedum baſes, hoc idem in baſilicae fabrica hinc apſidis faſtigium, illinc atrium haberi poſſunt. Quare de utroq. Stephaniae extremo acturus, ab ejus tribunali ordiar: quod integrum ad hunc uſq. diem manſiſſe, nec aliud ab hodierna S. Reſtitutae apſide prorſus eſſe, his argumentis evincitur.

I. Stephaniae tribunal Capellae S. Joannis ad fontes proxime adhaeſiſſe duo

(4) *Inter adjacentes Stephaniae (h. e. hodiernae S. Reſtitutae) minores Eccleſias ſive oratoria numerari poſſunt*, I. Sanctus Joannes ad Fontem: *qui adhuc cum ejuſdem Stephaniae tribuna cohaeret; ut aperte Chronicon S. Mariae de Principio ſitum hujus oratorii ſive Baptiſterii definierat. II. S. Reſtituta antiquior, ubi nunc ſacellum S. Mariae de Principio: III. S. Aſprenis Eccleſia, ubi nunc ejuſdem ſacellum: IV. Athanaſiana S. Januarii Eccleſia, ubi nunc Vetus Theſaurus. De his omnibus Parte I. diximus, & mox pauca delibabimus. Vide tabulam alteram ichnographicam.*

(5) *In Stephaniae proximo erat. I. S. Andreae Eccleſia; quae tamen turri Campanariae anno 1233. a Petro Archiep. factae, & ortivo Atrii Stephaniae lateri adhaerebat: II. S. Stephani: quae ibid. forſan erat, ubi adhuc quaedam non inelegans S. Protomartyris Eccleſia in proximo cernitur: III. S. Petri Apoſt. quae nunc juris Minutulae gentis eſt: IV. S. Laurentii baſilica ab Johanne II. facta. Vide in ichnographica tabula altera harum Eccleſiarum ſitus.*

Digitized by Google

duo ſcriptores diſertim produnt, quorum alter Stephaniae inferias proxime anteceſſit (nim. vetus chronographus S. Mariae de Principio) alter proxime poſt novae Cathedralis encaenia (quo tempore Stephaniae reliquias novum S. Reſtitutae *nomen ſibi vindicaſſe dixi) ſuum chronicon exaravit. Horum loca vide in ſubjecta (6) Adnotatione. Atqui nunc etiam hodiernae S. Reſtitutae tribunal Capellae S. Joannis ad fontem (quae aedicula ad tantae rei memoriam adhuc integra viſitur) proxime adſidet. Ergo S. Reſtitutae hodiernae apſis haud alia ab Stephaniae tribunali fuit. Confer haec eadem Par. I. cap. 3. pag. 25. & cap. 6. in eorum ſcriptorum locis latius explanata.*

II. Etiamſi vero hoc palmari argumento deficeremur (quod modo ex S. Joannis ad fontem ſacello petivimus: quod Dei providentia ad hoc reſervavit, ut Stephaniae Veteris in hodierna S. Reſtituta adhuc ſpirantis teſtis loquax & clamoſus in hac cauſa prodiret) vel ſi, inquam, hoc tam perſpicuo documento deſtitueremur; ipſa per ſe hodierna S. Reſtitutae apſis quaſi elata voce praedicat, atq. ut in ſe veteris Stephaniae tribunal recognoſcamus, hortatur; adhaec autem ejus rei ſignis hiſce διαγνωστικοῖς fidem facit.

I. Nam quae Divini Servatoris effigies in Stephaniae apſide ab uſq. Magni Conſtantini temporibus, opere muſivo primum, deinde poſt varias baſilicae vices coloribus tandem expreſſa colebatur, eadem hodie nunc colitur. Et ceterum quidem Servatoris corpus anno 1592. novis inductis coloribus interpolatum

(6) Ex chronico S. Mariae de Princ. & ex Jo: Villano oſtenditur Stephaniae tribunal Capellae S. Joannis ad fontes adhaeſiſſe.

In vetere S. M. de Principio chronico (cujus partes hiſtoricas ante novae Cathedralis exſtructionem vergente XIII. ſaeculo fuiſſe conſcriptas Par. I. cap. VI. pag. 64. & ſeq. demonſtratum fuit) fol. 5. a tergo ſic ſcribitur: Fecit etiam conſtrui praefatus imperator in dicta Neapolitana Eccleſia, olim nominata Eccleſia STEPHANIAE, CAPPELLAM PROPE TRIBVNAM IPSIVS ECCLESIAE ANTIQVAE, ſub titulo SANCTI JOANNIS AD FONTEM. *Atqui etiam nunc in hodierna S. Reſtitutae baſilica eſt quaedam pervetuſti operis Capella ſub nomine* S. Joannis ad Fontem *; imo etiam nunc eadem Capella cum tribuna S. Reſtitutae proxime cohaeret. Quis ergo dubitaverit, quin haec ipſa hodierna tribuna ſit ipſiſſima vetus Stephaniae apſis in chronico deſignata, adhuc ſcil. aetatem ferens? Et haec quidem chronographus ſub ultima veteris Cathedralis momenta ſcribebat: de quo plura dixi pag. 69. 70.*

Haec eadem totidem verbis repetit Joannes Villanus; qui poſt hodiernae Cathedralis encaenia, ac centeſimo ferme anno poſt chronographum S. Mariae de Principio ſuum chronicon exaravit. Is cap. 43. ſic narrat: Fece etiandio lo predicto Imperatore in ne la predicta Chieſia de Napoli, in loco dove in nel dicto tempo antico ſe chiama (*cor.* chiamava) la Baſilica de Stephania, una Cappella APPRESSO A LA TRIBVNA de la DICTA CHIESIA (*Stephania*) de titolo & vocabulo di San JOANNE DE LA FONTE *&c. Per quae Villanus narrata in Chronico S. M. de Princ. procul dubio rata habet, ſuoq. calculo confirmat.*

Nec quemquam moveat, quod hi duo ſcriptores in rebus antiquis ſcateant innumeris fabulis: nam qui in vetuſta hiſtoria, ſaeculi magis vitio quam imponendi conſilio, peccaſſent, iidem in rebus ſuorum temporum nec falli ipſi, nec alios impune fallere potuerunt. Vide quae pag. 86. & 87. de Villani noſtri ſinceritate ſcripſi. Itaq. quidquid in hac hiſtoria ad antiqua tempora pertinet (nim. quod Capella S. Joannis ad Conſtantinum auctorem ſit referenda) id falſum eſt. At quod eadem Capella aetate horum ſcriptorum cum tribuna Eccleſiae illius, quae antea Stephania, *tunc vero* Neapolitana Eccleſia *h. e. Cathedralis vocabatur, cohaeſerit, id falſum eſſe non poteſt: niſi vero hos auctores ſcripta ſua ludibrio ſuorum aequalium ultro exponere voluiſſe comminiſci volumus.*

Digitized by Google

latum fuit: at vultus in Graecanica tabella ad vivum effictus plane idem nunc est, qui ultimis moribundae Stephaniae momentis pios Neapolitanorum concursus ad se ciebat. De hoc vultu vide pag. 18. & seq.

II. Deinde qua, rogo, de causa Caesaris de Engenio & Chioccarelli aetate in summa apside quaedam vetustissima pictura Seniorum Apocalypseos, CORONAS offerentium, cernebatur (quae pictura post Chioccarelli aetatem renovata fuit, & adhuc visitur) quo inquam illae Coronae, nisi ut pro illo ipso veteris Stephaniae Salvatore testimonium dicerent? Quo id pacto? inquis. Quia cum ultimis inficetis temporibus quidam sibi persuasissent, Stephaniae *vocabulum a* στέφανος Stephanos, *non qua proprium Episcopi aedificatoris nomen fuit, sed qua* Coronam *Graece significat, fuisse petitum (de quo vide Engenii & Chioccarelli loca quae produximus pag. 24. 25.) ad ejus opinionis fidem faciendam pictura illa seniorum cum coronis abutebantur. Imo & qui primi picturae illius auctores fuerunt, non alio certe spectarunt, nisi ut ad* Stephaniae *Graecam significationem alluderent. Quocirca nemo unus inventus est, qui non in hodierna Servatoris effigie illum ipsum, qui in Stephania colebatur, Servatorem sibi cernere videretur; imo qui non in hodierna S. Restitutae apside veteris Stephaniae tribunal recognosceret.*

III. Postremo quod ante trecentos, & quod excurrit, annos in nova Cathedrali quaedam Salvatoris *Capella (quae Capicio-Galeotae familiae semper juris exstitit) constructa fuit, eamque cognomento* Salvatoris Veteris *ab anno usq. 1382. (b. e. ab suae constructionis exordio) nuncupari placuit; id etiam primatui Salvatoris hodiernae S. Restitutae suffragatur. Nam in utraq. Parte pluries a me observatum fuit, quoties nova Cathedralis in locum veteris subrogaretur, novas imagines ad archetyparum in priore Cathedrali cultarum instar exprimi consuevisse, ut, qua posset, idem cultus in nova Cathedrali perennaret. Id quod & exemplo Capuanae Cathedralis illustravimus.*

Habes opinor argumentorum satis, quae Veteris Stephaniae tribunal idem plane atq. hodiernam S. Restitutae apsidem fuisse, vociferantur. Ex quo etiam vanissima Canonici nostri Celani opinio convellitur, qua S. Restitutae apsidem hodiernam, adversa olim stetisse fronte, ante scil. novae Cathedralis fabricam, credidit; ita ut non dubitaverit ejus veterem apsidem in loco, ubi nunc magnificentissimus S. Januarii Thesaurus visitur, portam vero cum suo atrio, ubi nunc est tribunal, metari: id quod Sersalius, Celano cetera parum credulus, passis brachiis amplexus est. Verum in apside quam immensum Celanus a scopo aberraverit, jam quisq. intelligit. Nec dispar ejus est in foribus atrioq. ἀσοφία; *ut ex jam dicendis perspicietur.*

II.

Veteris Stephaniae atrium in loco hodierni Thesauri patuisse, ex Xenodochii S. Athanasii indubitato positu certissime demonstratur.

Age vero, quandoquidem de capite Stephaniae vidimus, nunc de extremo altero b. e. de atrio commentemur. Ajo igitur, Veteris Stephaniae atrium ibi proprie patuisse, ubi ante ferme CL. annos ab Excellentissima Civitate Neapolitana aedificatum magnificentissimum Thesauri Sacrarium fuit.

Ibi

Digitized by Google

Ibi inquam atrium Stephaniae ante novae Cathedralis fabricam erat. Id vero si forte ostendero; ecquis postea dubitabit, quin, cum id atrium (quod scil. in hodierno Thesauro olim explicatum fuisse dico) recta regione in apsidem hodiernae S. Restitutae incurrat; omnino cum eadem olim directe una continua aedificatione connexum fuerit? quam tamen seriem continentem nunc, utpote ab inserta novae Cathedralis navi interruptam, tantum mente concipimus; eamque proinde in tabula ichnographica supplevimus. Ergo uti dicebam, ab hodiernae S. Restitutae apside ad usq. hodiernum Thesauri sacrarium una continens erat basilica: eamq. ipsissimam Stephaniam fuisse, duae ejus extremae partes ostendunt, ex boreo nim. cardine apsis (quae adhuc spirat, seq. Stephaniae tribunal olim fuisse, palam exerta voce profitetur) ex australi vero plaga ejusdem Stephaniae atrium: quod non alibi, quam qua parte designavi, situm olim fuisse, ex proxime detecto Xenodochii Athanasiani situ (qui me antea dum partem Dissertationis priorem scriberem, adhuc fugiebat) nunc primum hac argumentatione ostendam[1].

Ibi atrium Stephaniae erat, ubi Xenodochium ab S. Athanasio aedificatum fuit. Atqui hoc in hodierni Thesauri S. Januarii loco situm erat. Ergo & ibi Atrium fuerit necesse est.

Propositio sive Major *ex apertis Joan. Diaconi & vitae Athanasianae locis ostenditur. Ac primum de eo Joan. Diaconus sic prodidit.* Ordinavit etiam, ut in ECCLESIA SALVATORIS (*illa scil. quae initio* Ecclesia Salvatoris, *at deinde ab Episcopo Stephano refecta*, Stephania *usitatius vocari coepit, ut idem Joannes non semel tradit*) omni die Missa publica cum diptychis celebretur, offerens ibidem terras, ex quibus hujusmodi aleretur collegium. Deinde ordinavit Xenodochium in atrio PRAEDICTAE ECCLESIAE (*h. e.* Salvatoris Ecclesiae *sive* Stephaniae; *nec enim nisi hanc unam proxime praedixerat*) multis terris oblatis, quatenus egenorum (7) & advenarum esset (8) repausatio. *Nec multo aliter auctor vitae longioris S. Athanasii num.* 14. Fecit etiam Xenodochium ad peregrinorum susceptionem super (9) gradus atrii Ecclesiastici; cui nonnulla contulit praesidia (*melius* praedia; *nam Joan. Diac. dixerat*, multis terris oblatis: *etsi τὸ* Praesidia *tolerabile est*) illoq. exhortante plures fidelium simili contulere devotione. *Ex utroq. vero loco inter se collato, addito etiam*

[7] *Huc spectat quod auctor vitae Athanasianae longioris in prologo miram Neapolitanorum hospitalitatem praedicat: quod totum ad hujus praecipue Xenodochii laudem haud dubie est referendum.* In qua [*urbe Neapoli*] etiam indigenae & inquilini non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publice expetunt, sed loco, quo commorantur, omnia necessaria quae desiderant animo, abundantissime percipiunt; & juxta praeceptum dominicum praedictae urbis accolae potius Lazaros quaeritant, & exhibent largius, quibus indigent, quam inopes affluentium inquirant opes.

(8) Repausare [*unde Italis* Riposare] *de intermissione itineris usurpatur. In historia Wambae Gothor. regis:* Ubi duobus diebus exercitu repausato. *In sigillo Hugonis Comitis Albonii* [*appenso chartae ad ann.* 1189. *pertinenti, apud Cangium*] *exhibebatur Castellum cum hac epigraphe:* PAVSIVM VIANTIS.

[9] Gradus *in Atrio memorat etiam liber pontificalis in S. Symmacho:* Ante fores basilicae gradus fecit in atrio & cantharum. *Atrium vero istud* Ecclesiasticum *vocat, idq. κατ' ἐξοχήν, ut atrium Stephaniae h. e. Ecclesiae Majoris significet.*

Digitized by Google

etiam vitae longioris Athanasianae prologo, apparet hoc Xenodochium fuisse (10) *ditissimum. Teneamus hoc igitur, in atrio Stephaniae Xenodochium Athanasii fuisse: proinde Xenodochium & atrium in eodem fuisse loco. Quocirca si quidem in hodierno S. Januarii Thesauro istud Xenodochium certo invenire licuerit; haud erit deinde dubitandum, quin & atrium veteris Stephaniae in hodierno Thesauri sacrario exstiterit.*

Age modo syllogismi paullo ante propositi assumptio (quam Minorem *vocant) ex Eugenii IV. diplomate invicte demonstratur. Eugenius IV. anno* 1441. *Hospitale S. Athanasii cum contigua Ecclesia sive Capella S. Andreae Apostoli & omnibus eorum juribus &c. adnexuit nosocomio S. Mariae Adnuntiatae. Et diploma quidem integrum in fine hujus opusculi inter Monumenta dabimus. Ex eo autem intelligimus Athanasianum Xenodochium prope Capellam sive Ecclesiam S. Andreae fuisse. Hanc autem prope turrim campanariam hodiernam exstitisse, in sequente Adnot. demonstrabitur. Quo circa paullo in occidentem ab aede S. Andreae Athanasianum Xenodochium recedebat, h. e. in eum locum, ubi nunc Thesaurus est.*

Accedit illud, in quo rei caput est, quod locus ille omnis tum Athanasiani Xenodochii, tum Capellae S. Andreae (qui quidem a turri Campanaria, ubi Ecclesia S. Andreae erat, ad villanorum usq. domum, quae in atrio Cathedralis est, porrigitur) totam hanc inquam regionem ante annos ferme CL. Domus Adnuntiatae concessit in emphyteusim excellentissimae Civitati Neapolitanae, ut ibi sacrum S. Januarii Cimeliarchium aedificaret: quae Civitas hodie dum totum a me descriptum locum ab eo tempore possidet, pro quo annuum canonem Adnuntiatae solvit. Nec dubium est, quin totus is locus, quem nunc Civitas ibi possidet (qui olim Adnuntiatae ab Eugenio IV. adnexus fuerat) initio aedem S. Andreae ab ortivo latere, ab occiduo autem Xenodochium saepe dictum, in utriusq. vero medio atrium Stephaniae continuerit. Sed & aeque certum videtur, post novae Cathedralis fabricam, cum Stephaniae atrium (quod inter S. Andreae aedem & Xenodochium intercedebat) utpote ab sua vetere Cathedrali divulsum atq. distractum, jam otiosum & inutile prorsus evasisset; sensim a Xenodochio illo Athanasiano fuisse occupatum. Quocirca non immerito Eugenius IV. Hospitale S. Athanasii Capellae S. Andreae attiguum *dixit: De quo vide in seq. Adnot.* 11.

Ergo ex dictis, imo & ex dicendis in subjecta (11) *Adnotatione (in quam ea*

[10] *Nec enim solus Athanasius illud* multis terris oblatis [*ut Joan. Diac. scripsit*] *ditaverat, sed etiam* multi fideles [*ut modo ex vita longiore didicimus*] simili contulere devotione. *Hinc ex prologo vitae longioris* [*vide in Adnot. 7.*] *Neapolitani Lazaros ipsi potius inquirebant, quam inopes divitum opem expeterent. Et hae opes omnes medio XV. saeculo tandem nosocomio Virginis Adnuntiatae una cum ipso Athanasiano Xenodochio ab Eugenio IV. adnexae fuerunt, ut ad libri calcem locupletissimis Monumentis docebimus.*

(11) Ecclesiae S. Andreae, & Athanasiani Xenodochii uberior notitia & situs; deque Atrii Stephaniae positu amplius. *Quibus de Athanasiani Xenodochii & Atrii Stephaniae situ persuasimus, iis haec subtilior Adnotatio supervacanea fuerit. At si qui sunt, a quibus nondum plane assensio expressa fuerit, iis licebit, si videbitur, & hic subjecta legere.*

§. I. De

Digitized by Google

§. I. De S. Andreae Ecclesia.

Ea Athanasio antiquior fuit. Exitabat adhuc sub Eugenio IV. qui eam Domui Adnuntiatae concessit. Postremo & sub initia XVI. saeculi adhuc aedem S. Andreae in dominio Adnuntiatae fuisse, ex S. Andreae festivitate in libro Comiti descripta docetur. Ejus situs juxta turrim campanariam fuit.

S. Andreae Ecclesiam S. Athanasio antiquiorem fuisse, ostendit longioris Athanasianae vitae auctor his verbis: In Ecclesiis quoq. B. Andreae Apostoli & Protomartyris Stephani custodem designavit, ubi & res obtulit ad luminariorum concinnationes, & sumptus ipsius custodis.

Ea porro Ecclesia anno 1440. exstabat adhuc: quo anno Eugenius IV. hanc Ecclesiam (sive Capellam *; sic enim vocat) eique attiguum S. Athanasii Hospitale nosocomio Ecclesiae S. Mariae Adnuntiatae adnexuit; ut ex ejus diplomate constat, de quo mox §. altero dicam.*

Imo & per initia XVI. saeculi exstabat, & ab eadem Domo Adnuntiatae possidebatur; ut ex libro Comiti constat: quem librum per ejus saeculi initia fuisse transcriptum, ex non uno indicio comperi. Ergo in Comiti libro fol. 43. Lo Comito è tenuto de invitar el dicto Capitolo per Vespera de Sancto Andrea Apost. la Ecclesia la quale sta aedificata ADPRESSO EL CAMPANARO DE LA MAGIORE ECCLESIA de Nap. *Notabis sedulo hunc locum, ex quo situm hujus Ecclesiae discimus, nempe prope turrim Campanariam quae adhuc detruncata exstat juxta gradus portae obelisci: quam turrim anno* 1233. *ab Archiep. Petro de Surrento fuisse factam, ex quadam inscriptione docet Chioccarellus pag.* 160.

Pergit Comes: Et in quella se derrà per li Reverende & Segnure Canonice la Vespera & Vigilia cantata. *De* Vigilia *sic docet Guil. Durandus lib. 6. cap. 7. num. 8. & Belethus cap.* 137. *nempe olim in ea nocte, quae Sanctorum eximiorum festa praecedebat, vigilari in orationibus & laudibus consuevisse: at postea glisscente malitia, multa & inhonesta flagitia juvante nocte admitti consuevisse: propterea coepisse in ejus vigilantiae locum subrogari jejunium; & ab eo factum, ut ei jejunio* Vigiliae *nomen inditum fuerit. Ac mirum sane est, ab usq. Belethi aevo (qui ante sexcentos annos scripsisse traditur) a vigilando desitum & vigilantiae jejunium subrogatum. At ex hoc & pluribus aliis Comiti nostri locis discimus, nocturnas illas laudes Neapoli non plane fuisse omissas, sed tamen anteverti consuevisse, ita ut post vesperas decantatas eae interdiu persolverentur.*

Sequitur: Et la nce interverranno li dui Mastri scola & li loro subbactarii (*fort. iidem sunt, qui olim* Subadjuvae *vocabantur*) & dicta la Vespera & la Vigilia, li Signore maistri de la NVNCIATA manderanno la colatione...& questo sarrà mela & greco ad sofficientia. *Ex his jam intelligis ineunte saec. XVI. eam Ecclesiam in dominio Domus Adnuntiatae fuisse, nempe ex Eugenii IV. adnexione.*

Deinde post descripta matutinorum & Missae officia, ad extremum sequitur: Item tu Comito ... anderite & portarite la ditta lista (*eorum qui interfuerunt*) & SOCCIA (*h. e. ea, quam vulgo vocant* Controlista: *hanc nim. videntur Neapolitani vocasse* Sociam: *vox* Soccia *in Comito passim* Listae *subnectitur*: Lista *ab uno fiebat, ab altero* Socia; *quae si congruerent, fraus & inconsideratio abesse putabatur*) *itaque* Portarite la ditta lista & soccia a li signure maistre de la Nuntiata & faritive dar tanta denare, quanto e declarato de sopra, ad zo che ogne uno habia la parte sua *&c. Hactenus de S. Andreae Ecclesia ejusq. situ.*

§. II. De Xenodochio S. Athanasii ejusque positu.

Ex Eugenii IV. diplomate (quo id Xenodochium Hospitali Adnuntiatae adnectitur) ejus loci fines describuntur. Hoc ipsum ex emphyteutico contractu, quo id Xenodochium ab Adnuntiata Civitati Neapolitanae permissum ad emphyteusim fuit, ostenditur. De S. Athanasii festo quotannis sumptibus Adnuntiatae celebrato in adnexionis hujus Xenodochii monumentum.

Eugenius IV. anno 1440. *dato diplomate (quod inter monumenta in fine legetur) S. Athanasii Xenodochium Hospitali Adnuntiatae adnectens, his verbis id Xenodochium describit*: Hospitale pauperum S. Athanasi i juxta Ecclesiam Neapolitanam (*novam & hodiernam Cathedralem intelligit, cujus alae australi id hospitale adhaerebat*) situm, cum Cappella S. Andreae (*hospitali*) contigua, in quo nullus residet, nullaq. hospitalitas servatur. *Ergo Athanasiani Xenodochii latus or-*

Digitized by Google

tivum Ecclesiae S. Andreae attiguum erat, latus vero borcum alae australi Cathedralis hodiernae admovebatur: proinde id Xenodochium tempore Eugenii IV. etiam hodiernum S. Januarii Thesaurum occupabat.

Dixi, tempore Eugenii IV. Xenodochium istud usq. ad S. Andreae Ecclesiam fuisse porrectum. Nam quoad vetus illa Stephania stetit, Ecclesia S. Andreae ab Athanasiano Xenodochio per Stephaniae Atrium intermedium disjungebatur. At postquam pars australis Stephaniae, sive hodiernae Eccles. S. Restitutae abscissa fuit, ut in novae Cathedralis aedificationem cederet; atrium ab sua Stephania disjunctum Xenodochio accessit. Ex qua accessione factum est, ut tempore Eugenii IV. Xenodochium illud ad S. Andreae usq. Ecclesiam porrigeretur ab ortivo cardine, a septentrionali vero alam totam australem novae Cathedralis raderet, ab occiduo tandem ad domum usq. Villanorum (quae in area vestibuli hodiernae Cathedralis est) protenderetur.

Ex his porro limitibus, priores duos in Eugenii diplomate descriptos habemus: at vero tertium ex eo intelligimus, quod aedes illae, quas Neapolitana civitas ab occiduo latere hodierni Thesauri possidet, pars Xenodochii illius haud dubie antiquitus erant. Unde hoc discimus? ex eo quia cum ante hos CL. annos Neapolitana Civitas Thesaurum S. Januarii aedificare statuisset; ab Aede Adnuntiatae in emphyteusim accepit totum id aedificium, quod olim Eugenius IV. eidem adnexuerat, quodq. Athanasiani Xenodochii fabricam cum Ecclesia S. Andreae olim complectebatur: pro qua tota regione (quae a turri campanaria ad usq. domum Villanorum, pertinet) annuus canon a Neapolitana civitate eidem Adnuntiatae persolvitur. Habes jam Athanasiani Xenodochii fines & continentiam, quam Thesaurus cum adjacente tota Neapolitanae Civitatis possessione complectitur.

Adhaec praeter descriptos fines, etiam meridiem versus Xenodochium protendebatur. Nam non nisi ad australem Gradus atrii *Stephaniae erant, ad quos vitae Athanas. longioris auctor Xenodochium situm fuisse memorat. Vide locum ad finem pag. VIII.*

Antequam hinc abeo; sciendum est, S. Athanasii festum (quod die XV. mensis Julii peragebatur) olim in sacello S. Salvatoris Veteris singulari magnificentia expensis Domus Adnuntiatae fuisse celebratum, ob illam utique adnexionem ab Eugenio IV. factam. Ea sollemnitas in libro Comiti, fol. 46. & 47. copiose describitur. Vesperae priores & Vigilia a Capitulo decantabatur, & postridie Missa: pro quo servitio non tantum munera vini Graeci, sed & pecuniariae distributiones ab aede Adnuntiatae accipiebantur, haud secus atq. in festo S. Andreae.

§. III. Situs Atrii Stephaniae subtilius definitur, ita ut recta regione apsidi S. Restitutae respondeat; ac proinde in hodierno S. Januarii Cimeliarchio id Atrium fuerit.

Nunc opus est ut vela contraham; atq. ut Atrii Stephaniae situm in ea tota regione (quam hodie jure emphyteutico Civitas Neapolitana aedi Thesauri adjacentem possidet: quae regio ab ortu turri Campanaria, ab occidente aedibus Villanorum terminatur) ostendam. Is vero situs, cum sit ceteroqui per totum quem dixi ambitum vagus; hac una maxime ratione tamquam injectis frenis determinari potest. Nam quandoquidem hodiernam S. Restitutae apsidem fuisse ipsissimum vetus Stephaniae tribunal, ex cohaerentia S. Joannis ad Fontem invicte supra demonstravimus; hoc posito, si ex S. Restitutae apside normalis linea meridiem versus ducatur; ea quia in ipsum Thesaurum S. Januarii incidet, ibi definite atrium Stephaniae designetur necesse est: quod proinde atrium ab ortu S. Andreae Ecclesiam, ab occidente Athanasianum Xenodochium adjunctum habebit. Etsi post novae Cathedralis tempora Xenodochium in atrium illud relictum & otiosum prorepserat, totumq. occupaverat. Adhaec reperies mox sect. 3. §. 4. & rursus Par. II. determinandi atrii & Stephaniae exactissimam rationem.

Possumus hoc igitur jam pro explorato ponere, ab hodierno S. Januarii Cimeliarchio vetus Stephaniae atrium, aut saltem ejus ποτιωτέραν (magis australem) *partem nunc insideri. Dixi* saltem ποτιωτέραν partem: *nam cum vetus Stephaniae navis non usq. ad valvas Thesauri processerit, sed aliquanto citerius steterit; hinc atrii (de quo tamdiu quaerimus) borealis portio in hodierna Cathedrali, australis vero in toties nominato S. Januarii Thesauro reperietur.*

Haec jam scripta formisq. typographicis composita fuerant, cum in vetus incidi monumentum, nempe in Inventarium bonorum & onerum Xenodochii Athanasiani, anno 1336. descriptum ex perantiquo exemplari, quod facile XII.

Digitized by Google

ea quae huc pertinent omnia, latius explicantur: quae idcirco ſepoſui, ne forte properantibus morae ſim) ex iis inquam luculentiſſime conſtat Stephaniae Atrium in hodierno Theſauro fuiſſe. A quo porro ſi normalis linea in hodiernam S. Reſtitutam ducatur; ea haud dubie in imam S. Reſtitutae apſidem incurret ad rectos angulos. Ea igitur normalis linea Stephaniae longitudinem commonſtrabit; ejuſdem vero lineae extremitates, hinc Stephaniae tribunal, illinc ejuſdem atrium oſtendent. Id quod erat mihi demonſtrandum.

§. II.

Stephaniae partes internae in hodierna S. Reſtituta demonſtrantur, nim. Baptiſterium, Ambones, & ſepulcra ſanctorum Epiſcoporum in orbem diſpoſita.

Poſtquam Deo juvante Stephaniae extrema duo, nempe tribunal & atrium, in hodierna S. Reſtituta intento digito commonſtravimus, planeque fidelibus oculis ſubjecimus; ſupereſt ut partes ceteras tum internas, tum etiam laterales in eadem hodierna baſilica claritate pari oſtentemus. Itaque ab internis ordiens, de Stephaniae baptiſterio, ambonibus, ac ſanctorum Epiſcoporum ſepulcris, quae ſcimus olim in Stephania fuiſſe, ſic agam, ut ea partim adhuc in S. Reſtituta ſupereſſe, partim ibidem patrum memoria exſtitiſſe, demonſtrem.

A Baptiſterio incipiam: quod teſte Joanne diac. duplex olim erat, Soterianum unum a Stephania disjunctum, quod quia non exſtat, demonſtrare non poſſumus: alterum Fontis minoris *ab eod. chronographo vocatum & a Vincentio Epiſcopo* intus Epiſcopio *factum: quod quidem adhuc viret vigetq. ſeque palam contemplandum volenti praebet. Adhuc enim INTVS EPISCOPIO (quod hodie* S. Reſtituta *vocatur) eſt: nam majus alterum Soterianum Baptiſterium ab Epiſcopio disjunctum more majorum erat. Itaq. Vincentianum minus, adhuc ſuperſtes, plane eſt illud ipſum ſacellum, quod ab uſq. Jo: Cimeliarchae aetate* Eccleſia S. Joannis ad Fontes (*vide pag. 61.*) *vocabatur, quo nomine etiam in Chronico S. Mariae de Principio donatur, & hodie dum id nomen obtinet: in quo Hannibal de Capua veteris Neap. Cathedralis Baptiſterium agnovit, quippe cum in ſacelli medio fons orbicularis, etſi tabulis marmoreis opertus, adhuc conſpiciatur. De hoc Baptiſterio plura diximus pag. 25. 26.*

Jam vero Ambones veteris Stephaniae duo adhuc vergente XVI. ſaeculo viribus integris ſupererant: qui tunc temporis recogniti ab Hannibale de Capua fuerunt, dum S. Reſtitutam viſitaret, proque ambonibus veteris Cathedralis ſunt habiti. De quibus vide dicta pag. 19. 20. in Adn. 22.

Venio jam ad Sanctor. Epiſcoporum ſepulcra, quae in Stephania olim S. Joannes IV. in orbem diſpoſuerat, non ſine ornamentis iis, quae Joan. diac. in hujus Joannis vita his verbis deſcribit. Corpora quoq. ſuorum praedeceſſorum ex ſepulcris, in quibus jacuerant, levavit, & in Eccleſia STEPHANIA ſingillatim (*per gyrum*) collocans, aptavit unicuiq. arcua-

le XII. ſaeculo fuerat exaratum. Id monumentum (quo Athanaſiani Xenodochii notitia, & Neapolitanae Cathedralis antiquiores illuſtriores fiunt) in fine hujus voluminis inter Monumenta ad Hoſpitale S. Athanaſii pertinentia dabitur.

Digitized by Google

tum tumulum, ac desuper eorum EFFIGIES depinxit. *Quod vero in suis decessoribus Joannes fecerat, tantumdem in ipso Joanne IV. a successorib. factum fuit. Qui quidem statim post mortem in Ecclesia S. Januarii extra moenia teste Joan. diac. sepultus fuit. At statim ut publicus ei cultus auctoritate legitima decretus esset; ejus sacro corpori simile sepulcrum paratum inter Sanctos decessores fuit, quod Joan. Cimeliarches in S. Joannis IV. vita, quam medio XIII. saeculo (h. e. sub extrema Stephaniae tempora) exaravit, in hunc modum in prologo vitae describit:* De corporibus sanctis quae hactenus in Ecclesia Neapolitana (*absolute dicta, h. e. Cathedrali, cui peculiare nomen* Stephaniae *fuit*) collocata (*ab S. Joanne IV. ex Joannis diac. verbis supra recitatis*) fuerunt . . . contigit (*cum Bernardo Archiep.*) sermonem haberi. Inter quae meminimus esse [*pro* fuisse, *ut infra statim se explicat*) venerabile corpus S. Joannis (IV) Episcopi ejusd. Ecclesiae, qui Ad Acquarolam vulgariter nuncupatur: quod corpus sanctum collocatum fuisse dicitur ab antiquo in sepulcro, quod (*adhuc*) est ante parvum ostium ipsius Ecclesiae, in quo [*sepulcro*] IMAGO SVA DEPICTA VIDETVR [*nam sicut Joannes IV. decessorum suorum sepulcris EFFIGIES, teste Joan. diacono, imposuerat; idem prorsus & eidem Joanni repensum fuit*]: nunc vero in altari, quod juxta portam, qua itur ad Ecclesiam S. Joannis ad Fontes [quod altare Trinitatis vocatur] firmiter est collocatum.

Quo loco res ipsa loquitur, Cimeliarchen vitae scriptorem de hodierna S. Restituta loqui; quia non nisi in hac est Porta, qua itur ad Ecclesiam S. Joannis ad Fontes. *Hanc autem S. Restitutam parum est quod absolute* Ecclesiam Neapolitanam [*h. e. Cathedralem sui temporis unicam: alioqui adjunctum discriminans addidisset*] *vocat: parum id inquam est; nam aperte etiam in hac S. Restituta ait* collocata *fuisse* corpora sancta (*id quod Joan. diac. non nisi de* Stephania *prodiderat*] *& inter ea S. Joannis sepulcrum cum sua imagine fuisse, ad instar eorum scil. sepulcrorum quae laudatus toties Joan. diac. verbis supra recitatis describserat, & in* Stephania *posita fuisse dixerat. Ergo non est dubitandum, quin ea Episcoporum sanctor. sepulcra fuerint olim in hac ipsa basilica, quae postea* Stephaniae *nomen in hodiernum* S. Restitutae *mutavit. Vide de his plura a pag. 61. ad 63.*

§. III.

Partes Stephaniae adjacentes in hodierna S. Restituta intento digito designantur: nempe Ecclesiae tres, I. S. Restitutae antiquioris, II. S. Asprenis, III. Athanasiana S. Mart. Januarii.

I. Antiquior S. Restitutae Ecclesia, quam quidam Imp. Constantinus fecit, in eaq. S. Virginis reliquias condidit, Stephaniae adjacet ea parte, qua nunc sacellum S. Mariae de Principio visitur. De hoc S. Restitutae Oratorio tota Dissertatione pluries egimus. Ab eo moribundo oratorio in hodiernam cognominem basilicam hereditarium S. Restitutae *nomen una cum sacris ejus reliquiis saeculo XIV. propagatum fuit.*

II. In eodem basilicae latere sequebatur meridiem versus S. Asprenis Aula [*de qua Albericus, & chronicon S. Mariae de Principio loquitur*]

eaq.

Digitized by Google

eaq. parte Stephaniae adhaerebat, qua ante paucos annos in ejus rei memoriam S. Asprenis sacellum exstructum amicissimi & eruditiss. Canonici Januarii Majelli de Capitulo nostro benemerentissimi liberalitate fuit. Vide de eo dicta a pag. 56. ad 60.

III. Postremo a pag. 43. ad 48. de Athanasiana S. Januarii Ecclesia egimus; quae Stephaniae ea parte adjacebat, qua parte vetus S. Januarii Thesaurus in hodiernae S. Restitutae occiduam alam procurrit. Ab adjacente S. Januarii Ecclesia hoc manavit, ut Stephania haud raro ab antiquis S. Januarii Ecclesia *vocaretur. Eorum scriptorum testimonia loco cit. in Adnot. 36. 37. protulimus. Ac passim, ut ibidem vidimus, sic ea vocabatur sub Archiep. Anselmo: ad quem exstat etiam Henrici VI. Imp. Praeceptum anni* 1195. *ineditum, ad me nuper ab eruditissimo viro patricio Jo: Bernardino Tafurio submissum: quod integrum in Addendis ad Adnot. 36. dabitur. In eo Praecepto* Divi Mart. Januarii basilica *haud dubie Major Ecclesia seu Stephania est; quia statim additur:* Quae Neapolitani Archipraesulis CAPVT est. *Vide sis in Addendis.*

§. IV. Quod Stephaniae turris campanaria adhuc superstes non nisi in hodiernam S. Restitutam conveniat.

Paucis rem totam absolvam. Dum adhuc vetus Stephania staret (nim. anno 1233. *qui fuit ante novae Cathedralis encaenia annus ferme vigesimus supra centesimum) Petrus de Surrento Archiepiscopus turrim campanariam suae Ecclesiae majoris sive Stephaniae erexit, illam scil. quae ad laevam ascendentibus gradus portae obelisci occurrit, adhuc nempe superstes, quamvis detruncato vertice; quemadmodum ex inscriptione ibi detecta docuit Chioccarellus in eo Archiepiscopo pag.* 160. *Haec autem turris, adhuc omnibus conspicabilis, Ecclesiae S. Andreae (ut Adnot.* 11. *diximus) adsidebat, & australi in ortum angulo atrii Stephaniae (de quo sect.* 1. *copiose locuti fuimus) adjacebat. Porro haec ipsa turris nihil prorsus cum commentitia Stephania (quam in hodierna cathedralis Cruce architectati fuerunt) commune habet; quia turris a Cruce illa nimium quantum abest, & intermedia via [quam ipsi gratis intulere] ab eadem disjungebatur. Contra vero turris in hodiernam S. Restitutam unice convenit. Nam ab hac turri si linea Septentrionem versus ducatur, ea latus ortivum hodiernae S. Restitutae radet. Proinde non est dubitandum, quin Petri Archiepiscopi tempore haud alia fuerit major Ecclesia sive Stephania, quam quae hodie S. Restituta vocatur.*

Ac mihi quidem non videtur dubitandum, quin haec ipsa turris terminus atrii Stephaniae ad austrum fuerit. Quocirca si ab ea turri atrium quadratum [cujus singula latera aequalia latitudini hodiernae S. Restitutae sint] describatur; quod ab hoc atrio quadrato ad hodiernam mutilam S. Restitutam restabit, id reliqua ex longitudine Stephaniae spatia detruncata supplebit.

§. V. Signa διαγνωστικὰ sive characteres quidam Stephaniae, ejusdemque nomina in hodierna S. Restituta deprehenduntur.

Duos Stephaniae characteres διαγνωστικοὺς Parte I. cap. 3. in hodiernam S. Restitutam convenientes expendimus. Eorum prior est in Episcopalis hospitii συνοχεῖα [cohaerentia] *qualem Joannes diac. prodidit. Atqui Epis-*

sco-

Digitized by Google

ſcopale hoſpitium antiquitus idem plane fuit, quod hodieq. eſt: niſi quod in occidentem quam in orientem ſolem olim longius procurrebat. Ejus janua olim illa ipſa erat, quae nunc Templo Domnae Reginae recta regione obvertitur. Et id quidem hoſpitium proxime nunc hodiernae S. Reſtitutae adhaereſcit, ſicuti & olim cum Stephania copulabatur. Hoc totum argumentum late deduximus pag. 29. & ſeq. & a pag. 33. ad 36. ubi varias Epiſcopalis palatii vices e tenebris erutas in apricum protulimus.

Alter character eſt columnarum Stephaniae ἀσυμμετρία (perturbata ratio) *cujuſmodi utriuſq. Stephani temporibus conveniebat; quam etiam in hodiernae S. Reſtitutae columnarum rationibus perturbatiſſimis deprehendimus. De quo pag. 27. 28. diſſeruimus.*

Ad Stephaniae vero nomina quod attinet, uſitatioribus nunc quidem contentus ero. Nam praeter Stephaniae *proprium nomen, ea his maxime duobus appellativis vocabulis deſignari ſolebat, ut* Neapolitana Eccleſia, *aut* Major Eccleſia *diceretur. At paſſim tota Diſſertatione plurima documenta protulimus, in quibus haec, quae hodie* Sancta Reſtituta *vocatur*, Major *aut* Neapolitana Eccleſia *nuncupata reperitur: quae loca plane innumerabilia ſi in unum conferre ſatagerem, id moleſtiae ſane ac moroſae diligentiae tribueretur. Id vero* Majoris *aut* Neapolitanae Eccleſiae *vocabulum interdum etiam poſt novae Cathedralis encaenia huic S. Reſtitutae tributum cernitur: certe quia ei appellationi diu Neapolitani inſueverant. At ubi poſt dedicatam novam Cathedralem, adhuc haec antiquior his nominibus deſignabatur, id plane non ſine adjectione diſcriminante fiebat: verbi cauſa* Neapolitana Eccleſia S. Reſtitutae, *aut* Major Eccleſia S. Reſtitutae (*priorem nomenclaturam pag. 171. poſteriorem pag. 172. reperies*) *contra vero ante novae Cathedralis fabricam, haec quae hodie* S. Reſtituta *vocatur, ea abſolute* Neapolitana *aut* Major Eccleſia *dicebatur, ſine* διοριστικῷ *alio additamento; ut facile poſſes intelligere, eam ita Cathedralem fuiſſe, ut nullam aliam ſibi aemulam timere poſſet.*

SECTIO II.

Eorum ſcriptorum qui paullo ante, aut paullo poſt novae Cathedralis encaenia ſcripſerunt, auctoritate oſtenditur, illos omnes in ea, quae hodie S. Reſtituta nuncupatur, veterem Stephaniam recognoviſſe.

Hoc totum argumentum Parte I. cap. VI. prolixe tractavimus. Ultimis Stephaniae temporibus ſcripſiſſe Albericum, Joannem Cimeliarcham, & antiquiorem Chronici S. Mariae de Principio auctorem vidimus: quatuor vero ferme ante novae Cathedralis encaenia annis Jacobum de Piſis compoſuiſſe vitam B. Nicolai Eremitae, ejuſq. ſepulturam in antiquiore S. Reſtitutae Eccleſia ſeu Cappella (*uti loquitur*) *memoraſſe: adhaec ſub ipſam novae Cathedralis dedicationem epigramma muſivo S. Mariae de Principio ſubſcriptum fuiſſe: poſtremo haud diu poſt novam Cathedralem encaeniatam Joannem Villanum contexuiſſe chronicon ſuum: & tamen in his omnibus monumentis veterem illam Stephaniam in ea baſilica, quae hodie novo nomine* Sancta Reſtituta *vocatur, agnoſci. Ad haec ſcriptores omnes XVI. & XVII. ſaeculi*

prae

Digitized by Google

(prae ceteris Petrum de Stephano, Joan. Tarcagnotam, Davidem Romaeum, Caesarem de Engenio, Barth. Chioccarellum, Ant. Caracciolum, Carolum de Lellis) sacrae Neap. antiquitatis apprime gnaros, hoc idem sensisse & luculenter testificatos fuisse. Denique neminem alium ante Illustrissimum S. Severinae Archiepiscopum Nic. Carminium Falconem, & virum amicissimum Benedictum Sersalium, inaudito ad hunc diem opinionis portento duas Cathedrales adstruxisse, quarum una esset hodierna Sancta Restituta; alteram vero, minime addicentibus avibus, in novae Cathedralis Cruce (quamvis hinc obstante, uti volunt, via publica, illinc S. Laurentii & S. Petri Apost. basilicis artantibus) exilem & angustam primi omnium metarentur; huic vero alteri macerrimae, exsuccae, exsuctaeq. Ecclesiae augustum atq. fastosum illud Stephaniae *nomen imponerent. Atqui sua se ipsi novitate jugulant. Nos quidem vetera & perpetua tuemur: ipsi, si qua possunt, nova opinionum portenta defendant.*

SECTIO III.

Objectio unica ex vita longiore S. Athanasii petita, quae Falconium atq. Sersalium transversos egit, facillime diluitur.

Tamen Falconio atq. Sersalio danda est venia, simulq. fatendum, non de nihilo eos in hunc novitatis scopulum impegisse: verum iis cur ita sentirent, hanc unam praecipuam fuisse causam, quod vitae longioris S. Athanasii auctor Stephaniam *ab* Ecclesia S. Restitutae *aperte distinxerit. Etenim ubi is auctor, S. Athanasii in* Stephaniam *merita retulisset* (Constituit, *inquit*, Sacerdotes Hebdomadarios in Ecclesia Domini Salvatoris, quae STEPHANIA vocatur, *&c.*) *ac statim adjecisset ejusdem in Ecclesias B. Andreae Apost. & Protom. Stephani beneficia; postremo addit:* Ecclesiae vero SANCTAE RESTITUTAE, quae a Constantino Imp. (ut fertur) condita est, connectit utrosque, Joannem Baptistam atq. Evangelistam, & custodem cum (12) officialibus clericis ordinavit, resq. illic ad praesidium eorum largitus est. *Ac nulli quidem dubium, quin hic locus sit, siquis alius, difficillimus, & ejusmodi, ut si cetera in diversitatem hodiernae S. Restitutae a Stephania convenirent, ultro in Falconii sententiam pedibus irem, ceteriq. ut idem facerent, suaderem. Nunc vero cum hic unus locus antiquorum sit, qui ei diversitati in speciem faveat, sexcenta vero alia & quidem ineluctabilia argumenta, auctoritatesq. scriptorum omnis aevi millenae pro eo stent, ut non nisi in hodierna S. Restituta vetus Stephania quaerenda omnino sit; quidvis aliud perpetiendum est potius, quam ne tot luculentis demonstrationibus, totq. auctoritatibus nos frangi sinamus.*

Et vero quanti laboris erat id suspicari (quod certe in hoc conflictu biographi unius cum aliorum scriptorum atq. rationum nube densissima cuivis

(12) OFFICIALES (*ait Dufresnius in ea voce, sunt*) Clerici ac Sacerdotes, qui Ecclesiam deserviunt, in charta ann. 1072. in Hist. Pergamensi to. 3. p. 274. & in alia an. 1174. ibid. p. 324. *Eaq. notio huic loco optime convenit; maxime cum hic auctor ea plane aetate vixerit, qua illae chartae scriptae fuerunt. Vide quae de hujus scriptoris aetate diximus pag. 37. Adnot. 29.*

Digitized by Google

vis ſuſpicandum omnino fuerat) ſuſpicari inquam, Athanaſiani biographi aevo fuiſſe quamdam antiquiorem S. Reſtitutae Eccleſiam a Stephania diverſam; de hac vero altera hunc biographum fuiſſe locutum? Id quidem ſuſpicari praeſtabilius fuit, quam rei exploratiſſimae (nim. quod Stephania in hodierna S. Reſtituta fuerit) fidem evertere.

Quid ſi vero argumentis minime inficiandis oſtendo, re vera fuiſſe aliam vetuſtiorem Sanctam Reſtitutam, in quam hic biographus Athanaſii merita commemoravit? Ea argumenta partim ad Kalendar. marm. in Additamentis ad XVI. Maii pag. 978. & ſeq. proferimus, partim in hac Diſſertatione ſexcentis locis. Videbis prae ceteris dicta a pag. 36. ad 40. & in expoſitione ſimillimi loci Joannis diac. pag. 10. & 11. ac rurſus cap. VI. a pag. 70. ad 74. & paſſim Diſſertatione tota. Etiam modo ſectione I. §. 3. inter adjacentes Stephaniae minores Eccleſias illam priorem S. Reſtitutae Eccleſiam demonſtravi, quae olim in poſtico ſacelli S. Mariae de Principio erat. Ibi enim illud S. Virginis Martyrium olim fuiſſe, tum ex chronico S. Mariae de Principio, tum ex vita B. Nicolai Eremitae, ut alia plura monumenta taceam, abunde docemur. Idq. cum ſit certiſſimum; ea me cauſa impulit, ut quoties haec baſilica nominanda mihi fuit, quam nunc vulgo omnes Sanctam Reſtitutam *vocant, non abſolute ſic eam vocarem, ſed* Hodiernam Sanctam Reſtitutam *dicerem; plane ut eam ab antiquiore altera ejus nominis Eccleſia diſtinguerem a qua haec hodierna ſimul cum ejus exuviis ſacratiſſimis etiam hereditarium* S. Reſtitutae *nomen ante hos amplius quadringentos annos nacta fuit.*

PARS II. ICHNOGRAPHICA

Qua tum hodiernae tum etiam antiquae Cathedralis informatio adumbratur.

SECTIO I.

In Serſalii ichnographicam & orthographicam deſcriptionem animadverſiones.

Vir clariſs. & amiciſs. Benedictus Serſalius in ſuo opuſculo, quod de nobiliſſimae Minutulorum familiae ſacello ann. 1745. edidit, ad pag. 30. ichnographiam Cataedralium Neap. exhibuit, ad pag. 31. orthographiam. Nos eaſdem informationes duas cum ſubjectis Italicis deſcriptionibus in aes inciſas recudimus, ac ſimul paucas animadverſiones adjecimus.

§. I. Ad Cathedralium ichnographiam Serſalianam.

I. AAA (*inquit*) hodiernam Cathedralem deſignat. *Verum in hac informatione, ut ſuae cauſae ſerviret, ac ſatis ampla ſpatia veteri ſuae commentitiae Stephaniae (quam in cruce hodiernae Cathedralis metari ſatagebat) compararet, hodiernam crucem juſto latiorem exhibuit. Res enim ſic ſe habet. Hodiernae Cathedralis crux lata palmos (ſemper Neapolitanos intel-*

Digitized by Google

intelligo) ſex & quinquaginta eſt : navis vero junctae cum duab. alis adjacentibus tota latitudo eſt palmorum CXXII. Atqui eae rationes in noſtra ichnographia ſibi conſtant, in Serſaliana (quam ſubjeci) non item . Nam ſi Ser-

ſalii



AAA. Cattedrale Odierna.(1)Cappella di S.Aſpreno I.Veſc.di Nap. de'Signori Tocco . (2) Cappella di S.Pietro de'Signori Minutoli. (3) Cappella del SS. Sacramento de' Signori Galeota. (4) Cappella di S. Lorenzo , ora di S.Paolo de Umbertis del Rev.Seminario . [5] Sepolcro d' Innocenzo IV. [6] Antico Palaggio Veſcovile, e ſuo giardino . [7] Gran Cappella del Teſoro di S. Gennaro .

BBB. Antica Cattedrale del SS.Salvatore, chiamamata Steſania.[8] Luogo,ov'era l'antica Tribuna.[9]Vn gran Campanile.[10] Altro gran Campanile con Cappella di S.Pietro Apoſ.[11]Porta maggiore , che ſporgeva nella ſtrada principale di Sole , e Luna , oggi di Capuana.[12]Vicolo , che dimezzava tra queſta Cattedrale , e l'altra di S. Reſtituta .

CCC. Antica Cattedrale , e Odierna Chieſa di S. Reſtituta . (13) Luogo , ov'era la di lei antica Tribuna . (14) Oratorio di S. Maria del Principio .(15) Luogo, ov' era la porta antica, che ſporgeva nell'altra Strada principale di Somma Piazza , ora di D.Regina . (16) Cappella di S. Gio: in Fonte .

Digitized by Google

Salii Crucem retinere volumus; navim cum suis alis immane quantum latiorem describamus necesse est. Omnino enim latitudo navis alatae eam rationem ad crucem re vera habet, quam 122 *ad* 56. *h. e. plus duplo majorem At in Serfaliana ichnographia crux ferme aequalis toti navi alatae deprehenditur; ita ut mediana basilicae hodiernae navis in informatione Serfaliana sit monasticis ambulacris, quam aulae Cathedralis Neapolitanae convenientior.*

Adhaec quod, ut eidem causae velificetur, prope sacellum S. Laurentii num. 6. palatium Episcopale vetus describit, id dumtaxat (uti in Dissert. Part. I. Adnot. 28. *p.* 35. *ostendimus) ad totum fere XV. saeculum est restringendum, h. e. ab Henr. Minutuli ad Oliverii Carafae tempora: nam toto praeterito tempore hospitium Episcopale in postico apsidis hodiernae S. Restitutae sive Stephaniae erat, ut Par. 1. pag.* 29. *&* 34. 35. *demonstravimus.*

II. Pergit Serfalius: BBB, *inquit*, veterem Cathedralem S. Salvatoris, vocatam Stephaniam, exhibet. *Verum (ut in Dissert. Par. I. fuse exposuimus) vereor ut satis ad eam metandam spatii reperiat: nisi forte conturbatis insigniter (quod jam ipsum feciffe modo conquerebar) rationibus, & cruce hodierna laxiore, quam pro navis modulo, oculis subjecta.*

Ibid. num. 9. *&* 10. *duas turres campanarias in angulis suae Stephaniae erigit. At Jo. Diaconus, quo teste utitur, turres illas duas Ecclesiae S. Petri, non vero Stephaniae imposuerat.*

Adhaec ubi num. 11. *Stephaniae suae portam majorem patefacit, gradus ante portam omittit: qui multo plures fuerint oportet, quam illi* 38. *gradus, quibus nunc ad* portam obelifci *conscenditur; tum quia exterius solum longe depressius olim erat (quod immane quantum ex aedificiorum ruderibus, & ex aggesta tellure, quam imbres ex altioribus locis converrunt, paullatim crevit) tum etiam quia ab obelisco ad curias tabellionum (cui loco ea commentitia janua respondisset) sensim descenditur. At omissio graduum in ichnographia, age, condonetur: at eadem in orthographia condonari nullo modo potuit. Nam loco* Equi aenei (*cui prorsus ante veram, non commentitiam Stephaniam locus fuerat*) *quanto melius scalas multiplices fabricasset.*

Num. 12. *quam viam inter Stephaniam & hodiernam S. Restitutam infert mediam, ea (praeterquam quod in Serfalii commoda peccat) adhaec nullo auctore adstruitur, ut in loco diximus.*

III. CCC, *inquit*, Veterem Cathedralem (*quam ipse a Stephania distinguit: ecce autem duarum Cathedralium biformem Chimaeram gratuito contemplandam novorum portentorum curiosis proponit*) veterem, *ait*, Cathedralem alteram sive hodiernam S. Restitutam ob oculos ponit.

Num. 13. *&* 15. *tribunalis & portae primariae situm cum Celano pervertit. Atqui in Dissertatione fuse demonstravimus, tribunal eodem semper stetisse positu ac nunc est: ex quo sequitur apsidem ad Arctον spectasse. Id vero ex superiore Synopsi argumentorum multo est luculentius: in qua (praecipue in Adnot.* 11.) *ex S. Athanasii Xenodochio invicte probavimus, atrium ibi stetisse, ubi nunc S. Januarii Thesaurus est: proinde tribunal adversum stetisse.*

Num. 16. *Sacellum S. Joannis in Fonte versus basilicae portam (a se scil. situ contrario delineatam) collocat: nec animadvertit, in chronico S. M. de Principio id sacellum tribunae, non vero portae Stephaniae adjacens adstrui.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Ad ambarum Cathedralium Serſalianam orthographiam.

Num. 3. Eccleſiam & Xenodochium S. Andreae *ſimul jungit*. *At* Hoſpitale *S. Athanaſii Eccleſiae S. Andreae proximum fuiſſe novimus* (*quorum utrumque non apſidi, ſed atrio Stephaniae ſive S. Reſtitutae hodiernae adjacebat*) *de Xenodochio autem S. Andreae nihildum ad hunc diem audieramus.*

Num. 6. & 7. duas campanarias turres erigit, quarum uni Eccleſiam S. Petri ſupponit. Atqui has duas turres non in Stephaniae angulis, ſed in Eccleſia S. Petri Jo: diaconus ſtatuit.

Num. 8. Hoſpitale quoddam alterum exhibet: in quo plura peccat: primum quod cum in fictitiae Stephaniae ortivo latere illud deſignaſſet, tamen in atrio id fuiſſe (ſcuti fuit) palam profiteatur. Deinde cum in atrio id fuiſſe dicat; aperte Hoſpitale Athanaſianum (quod ad gradus Atrii fuit) ſignificare cogitur: atqui Athanaſianum ibi fuit, ubi nunc S. Januarii Theſaurus eſt. Vide p. IX.

Num. 9. Horreum alicubi fuiſſe ſcimus: at ubinam re vera fuerit, nunc primum a noſtro Serſalio diſcimus: pro quo grates ingentes agimus. Num. 10. *De Archiepiſcopali hoſpitio dixi ad ichnographiam Serſalianam.*

Poſtremo quod num. 13. *equo Neapolitano locum eſſe voluit, laudo. At fuiſſe equum in Stephaniae atrio, ita Jo: Villanus dixit, ut aperte atrium ab eo deſignatum, non aliud fuerit, quam quod atrio S. Reſtitutae reſpondet. Fuiſſe enim equum dicit cap.* 20. A la corte de la predicta Eccleſia di Napoli: *at proxime non niſi* Eccleſiam Majorem Neapolis *nominaverat: qui quidem ubi poſtea de Cathedrali dedita opera agit, nullam aliam Majorem Eccleſiam agnoſcit, quam quae hodie* S. Reſtituta, *olim* Stephania *vocabatur.*



(1) Strada principale di Somma Piazza, oggi di D. Regina. (2) Antica Cattedrale di S. Reſtituta. (3) Chieſa, ed Oſpedale di S. Andrea Ap. (4) Vicolo, che dimezzava tra queſta Cattedrale, e l'altra del SS Salvatore. (5) Antica Cattedrale del SS. Salvatore, chiamata Stefania. (6) Un gran campanile della medeſima. (7) Cappella di S. Pietro Apoſt. ſotto queſt'altro campanile. (8) Oſpedale nell'atrio di detta Cattedrale. (9) Granajo. (10) Antico Palaggio Veſcovile. (11) Vicolo de' Mannocci, oggi di Capuana. (12) Antico Seggio di Capuana. (13) Cavallo di bronzo. (14) Strada principale di Sole, e Luna, oggi di Capuana.

Digitized by Google



Digitized by Google

SECTIO II.

Tum hodiernae Cathedralis, tum verae Stephaniae ichnographia junctim delineata explicatur.

AAA Cathedralis hodiernae cum suo Tribunali, Cruce, Alis & Sacellis ichnographiam adumbrat.

In qua B. *sacrarium* : C. *sacellum S. Laurentii, per quod Seminarium aditur* : D. *sacellum Venerabilis Sacramenti, olim dictum* S. Salvatoris Veteris : E. *Tribunal* : F. *sacellum S. Asprenis nobilis familiae de Tocco*: G. *sacellum S. Petri & Anastasiae familiae Minutulae. Deinde in ala meridiali* H. *Porta obelisci, ad quam gradibus* 38. *ascenditur* : I. *sacellum familiae Carbonum* : KK. *magnificentissimus S. Januarii & aliorum tutelarium Thesaurus, qui est patronatus excellentiss. Civitatis Neap*: (K)(K) *Domus ejusdem Civitatis, cujus directum dominium est penes aedem SS. Adnuntiatae*: L.L. *Alia duo sacella* : M. *porta lateralis Cathedralis* : *juxta quam* N. *est janua Domus excell. Civitatis, domui Villanorum attigua* : O. *Porta primaria* : P. *Porta altera lateralis*: Q. *Thesaurus vetus* : *pone quem sacellum vetus Filamarinae gentis, mox alterum Theodorae familiae. Sequitur* R. *janua hodiernae S. Restitutae* : *pone quam occasum versus sacella duo* : *tandem* S. *porta, per quam dextra ad Seminarium, laeva ad palatium Archiepiscopi accessus patet.*

Nunc lector oculos boream versus convertat, moneo, h. e. in eam partem, qua appositae pyxidis cuspis Arcton commonstrat. (B) (B) *hodiernam S. Restitutam, sive Stephaniam detruncatam refert. In qua* [a] *est vetus Tribunal adhuc superstes. Porro totum id quod in postico hujus Apsidis cernitur, varia conclavia in usum Sacrarii & Canonicorum Cathedralis complectitur. Inter quae* [b] *est aula Capitularis, in quam Canonici ad deliberandum conveniunt. Ortivo lateri hujus aulae respondent scalae* (c) *per quas Archiepiscopus in S. Restitutam descendit, & ex hac in hodiernam novam Cathedralem accedit. Ab ejusdem aulae Capitularis imo pariete si ad Arcton recta ducatur linea, ea ad antiquam Archiepiscopalis palatii januam, Ecclesiae Domnae Reginae objacentem, ducet: quae janua, postquam Archiepiscopi orientem versus palatium porrexerunt, nunc cum palatii antiqui parte, usui domus cujusdam privatae patet.*

Ad Ecclesiam S. Restitutae redeo : in qua mediana navis duabus hinc, totidem illinc alis cingitur (nam nullae olim capellae erant) quae alae quatuor columnarum versibus distinguuntur. In porticu occidua [d] *sacellum S. Mariae de Principio est; in cujus postico ante hos CDL. annos Ecclesia S. Restitutae, ejusdem Martyris reliquiis ditata, venerationi erat. Sequitur meridiem versus* [e] *novum S. Asprenis sacellum a Canonico Januario Majello exstructum : in cujus postico vetus* Aula *sive Ecclesia S. Asprenis erat. Extremae hujus porticus parti (qua parte mutila est Stephania, & novae Cathedrali adhaeret) respondebat quaqua versus* [f] *Athanasiana S. Januarii Ecclesia, eo praecipue pertinens, ubi nunc vetus S. Januarii Thesaurus visitur. In navi mediana sunt* [g] [g] *duorum ambonum loca. Postremo ad utriusq. alae ortivae caput* [h] *est sacellum S. Joannis ad Fontem : quod cum tribunali Stephaniae ex chronico S. M. de Princ. cohaerebat, & adhuc cohaeret.*

SE-

Digitized by Google



SECTIO III.

Qua seorsum integra vetus Stephania, non imaginaria, sed qualis & quanta re vera fuit, adumbratur explicaturque.

Quo pacto turris campanariae ductu auspicioque totum quod mutilae Stephaniae deerat, restituerim, jam supra pag. XIII. §. IV. exposui, ac rursum pag. seq. Adnot. 13. edisseram. Ergo missa tantisper Sancta Restituta [quam in proxime superiore forma exposui, quamq. hic rursus eisdem dimensionibus delineatam cum supplemento suo vides] ad id totum describendum venio, quod Sanctae Restitutae recuperatum, eidem ad pristina Stephaniae *membra resarcienda adglutinavimus.*

Ergo C C est vetus Stephaniae Atrium quadratum, τετρᾶγωνον καὶ περίστυλον (quatuor porticibus cum columnis in ambitu cinctum) *quod ductu & ope* [13] *turris campanariae, adhuc superstitis, definivimus. Ergo* (i) *est*

(13) *Cum certum sit campanariam turrim (quae adhuc mutila ascendenti gradus portae obelisci ab laevo latere occurrit) ad Stephaniam pertinuisse (uti dictum fuit Parte superiore p. XIII.)*

ff

est turris Campanaria, quae adhuc detruncato vertice cernitur: deinde [F] *sunt* [14] *gradus ante atrii portam:* [l] *Athanasianum* [15] *Xenodochium:* [k] [k] *domus Civitatis:* [m] *Ecclesia S. Andreae turri Campanariae adjacens:* [n] [n] *cavaedium, sive subdivalis area: in qua Joannes* [16] *Villanus equum Neapolitanum stetisse scripsit (cujus equi basim* [o] *notavimus) quo loco antiquitus perennis fons saliebat, ut in Salerni atrio & alibi visebatur. Dt eo fonte plura S. Paulin. Nolan. habet.*

D D D Totum id spatium exhibet, quod inter atrium, interq. hodiernam S. Restitutam superat: quod quidem Stephaniae (ex qua ad struendam Cathedralem novam ante plus quadringentos annos praecisum fuerat) reparandae restituendum erit, ut integra, qualis olim fuerat, oculis civium Neapolitanorum sistatur. Demum e portam Stephaniae primariam exhibet.

Habes igitur veram, non imaginariam, Stephaniae informationem: cujus longitudo limitibus duobus adhuc existentibus terminatur, ad boream scil. Tribunali hodierno S. Restitutae cum adjacente S. Joannis in Fonte sacello [*quod pro perpetuo & indivulso tribunalis Stephaniae comite jure habetur*] *ad austrum vero turri campanaria Stephaniae, quam Petrus de Surrento fecit: cujus latus occiduum in murum ortivum* [*uti tunc moris erat*] *S. Restitutae h.e. ipsius Stephaniae in directum coit. Ab ea turri boream versus atrium quadratum descripsi. Jam vero inter atrium & hodiernam S. Restitutam quod intercipitur spatii, id totum cum hodierna S. Restituta adglutinatum Stephaniam talem ac tantam, cujusmodi ab Stephano II. ad ultimum refecta fuit, reformat atq. redintegrat. Ad ejusdem vero Stephaniae latitudinem quod attinet; eam in hodierna S. Restituta haud dubie tenemus. Ac me jam cuivis abunde satisfeciisse confido.*

PARS

eo potissimum loco illa esse debuit, quo similes turres construi solebant. In Capuana Cathedrali (quae IX. saeculo aedificata fuit) ea turris nostrae similis (utpote ab imo ad summum quadrata) adhuc stat; eaque extremo atrii quadrati angulo ex parte cornu epistolae etiam nunc adhaeret. Haud secus ergo haec nostra eidem prorsus extremo angulo respondet; & ita ut ejus turris occiduum latus si protendatur, atrii simul & totius basilicae longitudinem radat.

His intellectis, jam nihil facilius fuit, quam atrium ibidem prorsus ubi olim erat, & cujusmodi olim fuit, describere. Nam quia hujusmodi atria quadrata erant; uno latere (quod aequale latitudini Stephaniae sive S. Restitutae esse debuit) dato, cetera ad rectos angulos facile describuntur.

Postremo quia inter atrium & basilicam nullum aliud aedificium intercedebat; ex eo necessario sequitur, ubi septentrionale latus atrii desinebat, ibi Stephaniam incepisse: proinde totum id spatium, quod inter boreum atrii latus interq. hodiernam S. Restitutam inane supererit, id universum cum hodierna S. Restituta adglutinandum esse, ut Stephaniae mutilum corpus resarciatur. Ex his profecto vides quantum hujus turris reliquiis debeamus: cujus unius ope Stephaniam reparare in totum licuit.

(14) *Ante atrii portam gradus esse decuit; quia ex parte atrii solum externum & nunc S. Restituta depressius est, & olim aliquanto, quam nunc, humilius, uti supra observavi. Fatendum est tamen ea parte, qua atrii nostri ostium erat, aliquanto pauciores, quam alibi gradus suffecisse; quia ibi finis acclivitatis erat. Ex eo quippe loco, ubi atrium patuit, via (quae ortum versus insigniter declivis est, plani esse occasum versus incipit; & aequabilis usque procedit. Qua opportunitate captos Eccle S. Salvatoris architectos reor, ut ibi facerent atrium.*

(15) *Cum uterq. vitae Athanasii scriptor ejus hospitale ad gradus atrii Stephaniae posuerit; hinc ejus primariam januam ad occiduum atrii latus opportune patefecimus, quod lateri cornu Evangelii respondebat.*

(16) *Villanus cap. 20 equum Neapolitanum stetisse narrat* A la Corte de la predicta Ecclesia di Napoli.

Digitized by Google

ANTELOQVII
PARS III. CHRONOLOGICA.

Sive indiculus Pontificum Neapolitanorum tum in Joannis diac. chronico recenſitorum, tum ſaeculorum ſequentium.

MONITVM.

Sciendum eſt, priorum quatuor ſaeculorum Epiſcopos admodum paucos ad Joannis diaconi notitiam perveniſſe; & tamen in ejus chronico Ms. & edito ſic numeros ordinales praeponi ſingulis, quaſi ſi ſeries integra & nuſquam interrupta exhibeatur. Id non ignoraſſe proderit. Hi ergo ſunt novem priorum ſaeculorum antiſtites ex Joanne diacono.

TRIBVS PRIORIBVS SAECVLIS.

I. (*S.*) *ASPRENAS ab Apoſtolorum principe baptizatus, & primus Neapolis Epiſcopus ordinatus. Vide Kalendar. marmoreum die* 3. *Aug.*

II. (*S.*) *EPITIMITVS.*

III. (*S.*) *MARO. Kalend. marmor. die XV. Junii.*

IV. (*S.*) *PROBVS.*

V. (*S.*) *PAVLVS* (*primus*). *In Kalend. marmor. die XXIII. Aug.*

VI. (*S.*) *AGRIPPINVS. Vide Kalend. marm. die IX. Novemb.*

VII. (*S.*) *EVSTASIVS. Hic in Kalend. marm. die X. Maii rectius* EVSTATHIVS *dicitur.*

VIII. (*S.*) *EPHEBVS. In Kalend. marm. die XXIII. Maii.*

SAECVLO IV.

IX. (*S.*) *FORTVNATVS* (*primus*) *Vide Kal. marm. die XIV. Junii.*

X. (*S.*) *MAXIMVS. Vide Kal. marm. die XI. Jun.*

XI. (*S.*) *ZOSIMVS* (17).

XII. (*S.*) *SEVERVS. In Kal. marm. die XXIX. April. Ad hunc S. Ambroſ. Mediol. epiſtolam ſcripſit.*

V. SAECVLO.

Hinc forſan Joanni diac. ſeries procedit integrior.

XIII. (*S.*) *VRSVS. In Kalend. marm. die XXI. Feb.*

XIV. (*S.*) *JOHANNES* (*primus*). *In Kal. marm. die III. April. Fuit S. Paulino Nolano aequalis.*

XV. (*S.*) *NOSTRIANVS.*

XVI. TIMASIVS. Joannes diac. hujus pontificatum per annos XXXI. uſq. ad S. Leonem Papam protrahit.

XVII. FELIX ſedit (*inquit Joan. diac.*) *annos VIII. ſub S. Leone Papa.*

XVIII. SOTER ſedit annos XXI. ſub Hilario, Simplicio & Felice Pont.

XIX. (*S.*) *VICTOR ſedit ann. XI. ſub Papa Gelaſio & Zenone Aug. Vide Kalend. marm. die VIII. Febr.*

SAECVLO VI.

XX. STEPHANVS (18) *primus Eccleſiae Salvatoris, quam Conſtantinus Magnus aedificaverat, refector & amplificator, ſedit annos XV. ſub Symmacho Papa & Anaſtaſio Aug.*

XXI.

(17) *Hic in chronico S. Mariae de Princ.* SANCTVS *praenominatur. Alibi* Coſmus *vocatur. Erit ille fort. Coſmas qui in Kal. Marm. die XVI. Auguſti ſignatur. Horum autem trium Epiſcoporum ordo luxatus videtur. Nam* Zoſimus, *ſive* Coſmus, *quia ſub Conſtantino Magno & S. Sylveſtro ponitur, duobus ſupra ſcriptis praeceſſerit oportet; poſt quem* S. Fortunatus, *ac demum* S. Maximus. *Nam alle alter Zoſimus, qui Maximo ſucceſſit, Arianus & intruſus fuit. Chioccarello & Ughello binos Maximos binoſq. Zoſimos inducentibus ne crede. De his alibi in Diſſertat. de Sanctis Epiſcopis.*

(18) *Is qui in Kalend. Marm. die XI. April. colitur, hiccine Stephanus fuerit, an ille alter qui VIII. ſaeculo eamd. Cathedralem igni abſumptam rea edificavit, a quo* Stephaniae *nomen accepit, parum conſtat. Qui l ſi neuter horum in marmore proponatur? ſed ille potius, qui*

XXI. (S.) POMPONIVS Eccleſiae S. Mariae Majoris aedificator, ſedit ann. XXVIII. ſub Hormiſda & ſucceſſorib. & Juſtino Aug. Adnuntiatur in Kal. marm. die XXX. April.

XXII. JOHANNES (II) ſedit ann. XX. ſub Juſtiniano Aug.

XXIII. VINCENTIVS ſedit ann. XXIII. Fecit baptiſterium minus, quod hodie dicitur S. Joannes ad Fontem. Fuit ſub Juſtino minore Aug.

XXIV. (S.) REDVX ſedit annos III. ſub Pelagio II. Papa & Tiberio Conſtantino Aug. Quas temporum notas non fallere, oſtendimus in Comm. ad marm. Kalendar. ad XXIX. Martii (quo die ibi Redux adnuntiatur) ex Petri Notarii ſubſcriptione. Sed cave Chioccarello, & hunc ſecuto Ugbello credas, qui hunc Reducem inter Stephanum I. & S. Pomponium temere interjecerunt.

XXV. DEMETRIUS ſedit, inquit Joan. diaconus, annos tres. Hunc S. Gregorius Epiſcopatu dejecit, ejuſq. loco Paulum Nepeſinum tamquam Epiſcopum interventorem (ut Afri vocabant) Neapoli praefecit, donec ordinatus eſt Fortunatus.

XXVI. FORTVNATVS (II) ſedit annos VII. ſub S. Gregorio M. & Mauricio Aug.

VII. SAECVLO.

XXVII. PASCHASIVS ſedit annos XIV. ſub Sabiniano, & Bonifacio III. & IV. & ſub Phoca Aug.

XXVIII. JOHANNES (III) ſedit annos XX. menſ. VII. ſub Deusdedit, Bonifacio V. & Honorio Pont. & Heraclio Aug.

XXIX. CAESARIVS ſedit ann. IV. ſub Honorio Pont. & Heraclio Aug.

XXX. GRATIOSVS ſedit ann. VII. ſub Theodoro Papa & Conſtante Aug.

XXXI. EVSEBIVS ſedit annos VI. ſub S. Martino Papa & Conſtante Aug.

XXXII. (S.) LEONTIVS ſedit annos quatuor ſub Eugenio Papa, & Conſtantino Conſtantis fil. Hic mihi videtur inter Sanctos adnumeratus; nec enim de alio poteſt intelligi quod in Kalend. marm. die XXVI. Jul. ſcalpitur: DEP. S. LEONTII EPISCOPI. Hujus aut ſucceſſoris Adeodati tempore videtur Conſtantinus Conſtantis filius ex expeditione Sicula redux veniſſe Neapolim, eaq. occaſione Eccleſiam Neap. tot beneficiis demeruiſſe: quae omnia ſecuta poſteritas in Magnum Conſtantinum ex ignoratione hiſtoriae tranſtulit. De quo tum in hoc opuſculo, tum ad Kal. marm. in Addit. ad XVI. April. diximus.

XXXIII. [S.] ADEODATVS ſedit annos XVIII. ſub Vitaliano Papa & eod. Conſtantino Aug. Hic mihi non alius ab illo fuiſſe videtur, qui in Kal. marm. die 1. Oct. inſcribitur.

XXXIV. [S.] AGNELLVS ſedit ann. XXI. ſub Adeodato Pont. & ſucceſſorib. & ſub eod. Conſtantino Aug. Colitur in Kal. marm. die IX. Jan.

XXXV. (S.) JVLIANVS ſedit ann. VII. ſub Sergio Papa uſq. ad IV. annum (ait Joann. diac.) Tiberii Imp. De cultu vide Chioccarellum.

VIII. SAECVLO.

XXXVI. (S.) LAURENTIUS ſedit ann. XV. menſ. VIII. ſub Joanne Papa & ſub Tiberio Aug. uſq. ad Theodoſium Imp. De hujus quoq. cultu adeatur Chioccarellus.

XXXVII. SERGIVS ſedit ann. XX-VIII.

qui I. ſaeculo Neapoli ſedebat, quando S. Patricius Martyr Neapolim adiit, uti Graeci in Menaeis narrant, quibus ſanctiſſimus Epiſcopus dicitur. De quo agam in Diſſert. de SS. Epiſcopis Neap. ad calcem tom. 3. Kalend. marm.

Digitized by Google

VIII. *sub Gregorio & Zacharia, & sub Leone Isaurico & Constantino Copronymo Aug.* Hic (*inquit Joan. diac.*) dum a Graecorum Pontifice (*Patriarcha CPolitano*) Archiepiscopatum (ἀρχιεπισκοπὴν, *h. e. Archiepiscopalem dignitatem sine jure metropolitico, uti Par. II. cap. 2. diximus*) nanciscereturr, ab Antistite Romano correptus, veniam impetravit.

XXXVIII. *COSMAS sedit ann. II. sub Zacharia Papa & Constantino Copronymo. In Kal. marm. die* XVI. *Aug. sic scribitur:* DEP. COSME EPIscopi: *qui tamen mihi potius videtur ille, qui sub Constantino M. & S. Sylvestro sedisse dicitur* (*qui* Sanctus Cosmus *alicubi nuncupatur*) *quam hic saeculi VIII. praesul. De quo loco suo.*

XXXIX. (*S.*) *CALVVS sedit ann.* XII. *sub Stephano Papa & Constantino Copronymo & Leone ejus filio. Vide Kal. marm. die* XX. *Martii.*

XL. [*S.*] *PAVLVS, cognomento* Senior *aut* Major, *sedit ann. IV. sub Paulo I. Papa. Inscribitur Kalendario marm. die III. Martii.*

XLI. *STEPHANVS* [*II.*] *ex Duce Neapolitano Episcopus, sedit ann.* XXXIII. *sub Stephano & Hadriano Pont. & sub Constantino Irenes filio. Hic Ecclesiam Salvatoris, a Constantino M. primitus exstructam, deinde ab Stephano I. ante ducentos annos laxius aedificatam, & cum Episcopio copulatam, postremo igni absumptam magnis refecit impendiis: quae ab eo tandem* Stephaniae *nomen sibi quaesivit. Eadem postquam dimidiata fuit, ut novae hodiernae Cathedralis fabricae explicandae locus esset; truncus lacerus ex illa Stephania relictus sibi nomen* Sanctae Restitutae *peperit, ab eo scil. quod circ. ann.* 1314. *S. Restitutae Virg. & M. reliquiae* (*quae ad eum diem in peculiari adjacente oratorio, quod posterior aliquis Constantinus Aug. exstruxisse videtur, jacuerant*) *in ejus basilicae Aram maximam invectae fuissent.*

IX. SAECVLO.

XLII. (*S.*) *PAVLVS cognomento* Junior *aut* Minor, *sedit annos* XX. *sub Leone III. Pont. & sub Irene Aug. & Nicephoro. Colitur in Kal. marm. die XVII. Febr.*

XLIII. (*B.*) *TIBERIUS sedit ann.* XX. *sub Paschasio Papa* (*quem Joan. diac.* Paschalem *vocat*) *& successorib. & sub Leone Armeno & Mich. Balbo Aug. Ultimos septem annos in custodiae squalore transegit.*

XLIV. (*S.*) *JOHANNES cognomento* Scriba *sedit annos prope octo, sub Theophilo Aug. & Michaele filio.*

XLV. (*S.*) *ATHANASIUS sedit ann.* XXII. *semis sub Leone IV, Benedicto, Nicolao, & Hadriano II. Pontif. & Michaele & Basilio Macedone Aug. Obiit anno* 872. *Hactenus Joannes diaconus: cujus chronico pauca quaedam de Athanasio II. ex Petri Subdiaconi stylo accesserunt.*

XLVI. *ATHANASIUS* II. *S. Athanasii ex fratre nepos, Gregorii Ducis filius, Sergii Ducis frater, ab Joanne Papa* VIII. *in territorio Capuano consecratus, sedit ann.* XXII.

X. SAECVLO.

Series sequentium Antistitum ex Chioccarello, & hunc secuto Ughello.

XLVII. *STEPHANVS* III. *quo sedente corpora S. Severini Noricorum Apostoli, & S. Sosii Martyris Neapolim in Ecclesiam S. Severini translata fuerunt circ. ann.* 910.

XLVIII.

Digitized by Google

XLVIII. *ATHANASIUS* III. *cujus mentio tantum reperitur inter annum 937. (quo anno is in gratiam Joannis Abbatis S. Severini cuidam Praecepto subscripsit cum Gregorio Duce) interq. annum 960. quo cuidam contractui emphyteutico una cum Barbaria Abbatissa subscribit. Imo ex Actis quibusdam S. Agrippini anno 961. idem vivebat. Quamdiu advixerit, incertum.*

NICETAS (qui post Athanasium III. catalogo inseritur) utrum Episcoporum agmen cogat, an Archiepiscoporum signifer sit habendus, an postremo (quod vero propius) ex Episcopo evaserit aliquando Metropolita; de ea re tota vide monitum sequens.

MONITUM.

De Cathedrae Neapolitanae in Metropolitanam erectae tempore.

Post Athanasium III. *qui ad annum usq. 962. sederit, Nicetam quemdam tamquam primum Neapolitanae sedis Archiepiscopum ab anno usque 962. Chioccarellus hoc monumento adstruit.* Habetur, *inquit*, ipsius mentio in scripturis coenobii S. Sebastiani hujus civitatis. Vertente enim controversia inter .. Nicetam Archiep. Neap. ac dictum monasterium super terra quadam .. Archiepiscopatus Neap. ac proxima terris ejus coenobii, ipse Archiep. .... partem ejus terrae gratiose dono dedit eid. coenobio, reliquam suae Archiepiscopali Ecclesiae reservavit; ut ex publico documento exinde celebrato Neap. die 15. Novemb. Ind. VI. imperante domino Romano magno Imperatore anno decimo octavo, sed & Basilio magno Imperatore ejus filio anno III. *Hactenus Chioccarellus. Qui certe monumentum hoc numquam vidit (nam si vidisset, eo totidem verbis recitando, sicuti in minoris momenti chartis quibuslibet facit, minime supersedisset) sed cuivis alteri se legisse chartam testanti, incaute fidem adjunxit. Etsi notae chronicae non male habent. Nam annus Basilii tertius in mensem Novemb. anni 962. convenit. Vide Fresnium in famil. Byz. p. 144. Ejus pater Romanus, qui Theophanonem uxorem habuit, etsi quatuor tantum annis regnum administravit; tamen* XVIII. *imperii annus, qui in monumento notatur, repeti altius poterit ab eo usq. tempore, quo cum Constantino patre regnaverit. De his alii viderint. Verum ut hae notae historicae culpa vacent; at tanto majorem impostoris peritiam arguent. Mihi certe illud suspicionem injicit maximam, quod ejus monumenti, rem tantam stabilientis, exemplum nec Chioccarellus, nec quivis alius postea in apertum protulerit. An re vera tale aliquod monumentum a nobilibus ejus coenobii virginibus nunc adservetur, ii quibus plus otii suppetit, etiam atq. etiam viderint. Interim metropoliticam dignitatem anno 962. Cathedrae Neapolitanae impertitam inter incerta ponemus. Postremo vel si ea charta ab omni suspicione liberetur; at dicemus, hunc Nicetam [quem natione Graecum fuisse, submonet ejus nomen] Sergii exemplum secutum, nudam Archiepiscopalem dignitatem a praesule CPolitano impetrasse, idq. postea effectu suo (obsistente latrociniis istis Rom. Pontifice) caruisse.*

Nec porro inscriptio illa coenobii S. Marcellini, ex qua Chioccarellus innominatum alium Archiepiscopum circ. annum millesimum invehit, talis est, ut ejus rei fidem impetrare queat. Ergo in tanto rerum incerto haud alium

Digitized by Google

primum Archiepiſcopum Neapolitanum oſtendere poſſumus, praeterquam Sergium, cujus mentio anno 1005. *in diplomate Monaſterii S. Sebaſtiani reperitur, & in altero S. Marcellini, quod ad annum* 1006. *pertinet. Utrique enim* Sergius Archiepiſcopus *ſubſcribit. Inter annum autem* 961. (*quo Athanaſii Epiſcopi, qui ab anno minimum* 937. *ſederat, ultima mentio cernitur*) *&* 1005. (*quo primum anno Sergius Archiep. comparet*) *videtur facile Nicetas ille, de quo ſupra dixi, collocandus, ac forſan alius unus aut plures ad implendam lacunam. Verum donec certiora documenta proferantur, negabimus ſub Joanne* XII. *anno* 962. *noſtros Antiſtites decus Archiepiſcopale nactos: quae dignitas non niſi ſub ejus ſucceſſore Joanne* XIII. *concedi coepta.*

SERIES

Archiepiſcoporum Neap. ex Chioccarello, & qui hujus veſtigia legit, Ughello.

I. *SERGIUS ille, cujus prima mentio in membranis annorum* 1005. *&* 1006. *apud Chioccarellum, uti proxime diximus, comparet.*

II. *JOANNES primus memoratur in diplomate anni* 1033. *apud Chioccar.*

III. *GENTILIS huc ab Ughello infertur ex fide Caſinenſis Necrologii, in quo mortuus* III. *Kal. Julii, & monachus Caſinas & noſter Archiep. dicitur. Sed nihil ibi de anno.*

IV. *VICTOR, ad quem Gregorius* VI. *anno* 1045. *aut* 1046. *decretalem ſcripſit, relatam in collectione Gregoriana. Quod ſi malis a Gregorio* VII. *ſcriptam; tum Victor noſter hinc dimotus, poſt Joannem* II. [*de quo mox*] *collocabitur ſub Gregorii* VII. *pontificatu.*

V. *SERGIUS* [II.] *anno* 1059. *Beneventanae Synodo ſub Nicolao* II. *ſubſcripſit his verbis:* ✠ Sergius Archiepiſcopus Neapolitanus.

VI. *JOANNES* (II.) *anno* 1071. *interfuit Caſinenſis Eccleſiae conſecrationi ab Alexandro* II. *factae.*

VII. *L. Archiepiſcopus, ad quem ſcripſit S. Gregorius* VII. *anno* 1080. *Is ab Ughello creditur ſive* Leo, *ſive* Landulfus, *ſive* Landus *fuiſſe appellatus. Sunt tamen & alia ejus aevi nomina ab L incipientia. Interim* Ligorium, *&* Gratianum, *qui in Chioccarello ſequuntur, recte rejicies cum Ughello.*

VIII. *PETRUS ſubſcripſit diplomati cuidam monaſt. S. Marcellini an.* 1094. *item alteri diplomati monaſt. S. Mich. Archangeli ad Bayanum* (19) *anno* 1100.

IX. *GREGORIUS Eccleſiae huic praefuiſſe reperitur anno* 1116. *quo ejus meminit Paſchalis II. in diplomate apud Chioccarellum.*

X. *MARINUS anno* 1118. *interfuiſſe cernitur Gelaſii* II. *Pont. M. Conſecrationi Cajetae celebratae, ac rur-*

(19) *Quod quidem alterum monumentum in eo memorabile eſt, quod meminit* Eccleſiae Sanctae Reſtitutae de intus Epiſcopio Sanctae Neapolitanae Eccleſiae. *Per quae verba docemur, hanc Sanctam Reſtitutam, cujus meminit, fuiſſe longe diverſam ab ea, quae hodie* S. Reſtituta *vocatur. Nam quae hodie ſic appellatur, non intus Cathedralem erat, ſed ipſamet erat Cathedralis ſive* Neapolitana Eccleſia, *aut Stephania. Ergo diploma de antiquiore altera* Sancta Reſtituta *loquitur: quam in poſtico ſacelli S. M. de Principio adjacuiſſe veteri Cathedrali* (*quae poſtea ob illatas ex illa antiquiore S. Reſtitutae Eccleſia jam ruinoſa ejuſdem reliquias, nomen ſibi* Sanctae Reſtitutae *vindicare coepit*) *ex Chronico S. M. de Princ. & ex vita B. Nicolai Eremitae docemur. De his pluries egimus.*

Digitized by Google

rursus anno 1144. *comitiis Capuae a Rogerio indictis. Post quem annum nondum aliud exstabat de Marino monumentum. At nos hic egregium diploma ineditum inferne* (20) *adscribimus, quo idem Rogerius anno* 1151. *Ecclesiae Neap. & Marino Archiep. donavit Ecclesiam S. Sabini cum bonis suis. Quamdiu post ann.* 1151. *advixerit, praestare nequeo. Putatur tamen anno* 1167. *aut seq. obiisse; propterea quia celeberrimus ille Petrus Blesensis circ. ann.* 1168. *Neapolitanas insulas sibi oblatas recusavit.*

XI. *SERGIVS (III.) creatus Archiepiscopus Neap. fuit ann.* 1175., *ut ex ejus diplomate in Abb. Cavensis gratiam. Adfuit Later.* (21) *Conc. Ultima*

(20) *Jo: Bernardini Tafurii Neritonensis patricii, viri eruditissimi [cui medii aevi antiquitates plurimum debent] singulari humanitati sequens diploma adhuc ineditum debeo; ex quo certo discimus Marinum ad ann. usq.* 1151. *vitam prorogasse. Id ita habet.*

In nomine Sanctae, & individuae Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti Anno ab Incarnatione ejus millesimo, centesimo, quinquagesimo primo, Indictione XV. Manifestus sum Ego Rogerius Siciliae, & Italiae Rex, & Gulielmus meus carissimus filius, nobis tractantibus, & cogitantibus scilicet fragilitatis, quod bona praesentis vitae non essent perpetua, sed temporanea & fugitiva idcirco de bonis non perituris in Coelo Thesaurum facere cupimus, et (*cor.* VT) centuplum efficiatur, & aeternaliter possideatur. Ideo propter remedium Animae meae, & Animae suprascripti Gulielmi, & Parentum nostrorum, tam praeteritorum, quam futurorum, deque remissione omnium peccatorum nostrorum, contradere, atque simul offerre unanimo voto providemus tibi omnipotenti Deo, & nostrae Majoris Ecclesiae Neapolitanae, Quatenus concedimus, investimus per hujus nostri Praecepti paginam, pro ut juste, & legaliter possumus Venerabilem Marinum ejusdem Ecclesiae Archiepiscopum, de quadam Ecclesia Sancti Sagbini ad Curiam nostram pertinente extra muros Civitatis prope Curtem Briani de Lamberto una cum terris, pratis, Silvis, pascuis, planiciebus cum omnibus suis pertinentiis, veluti ad Curiam nostram pertinent in integrum. Ita ut habeat, teneat firmiterque possideat ipse Venerabilis Archiepiscopus, suique successores, omnium hominum contraditione, vel molestatione remota. Si quis igitur hanc nostram investituram aliquocies infringere, vel violare temptaverit, sciat se compositurum aurei optimi libras centum, medietatem Kamerae nostrae, & medietatem praelibato Archiepiscopo, suisque successoribus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, Anuli nostri impressione insigniri jussimus. Data XV. mensis Octobris Anno Incarnationis Domini MCLI Regno vero Domini Rogerii XXI, & Gulielmi I Indictione XV. Actum Neapoli, in Dei nomine feliciter, Amen.

Anno quidem 1151. *adhuc Pontificia Indictio XIV. currebat. At a Kal. Sept. Indictio CPolitana XV. incepit: quae hic signatur more CPolitano: quod nostros ad ultimam usq. aetatem fecisse reperio.*

Porro inter bona Ecclesiae S. Sabini, *quam Ecclesiae Neap. donavit, numerantur* Terrae, prata, silvae, pascua, planicies cum omnib. suis pertinentiis. *Nec de situ horum latisfundiorum aliud suspicari licet, nisi ut prope amnem Sebetum fuerint; ea quam maxime etiam nunc agri plurimum Archiepiscopalis mensa possidet. In hunc situm illud* Extra muros civitatis *optime convenit: at quod sequitur* Prope curtem Briani de Lamberto; *hujus curtis situm libenter ab nullum patriarum studiosis discemus.*

(21) *Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ann.* 1179. *cui provincialibus episcopis in hunc modum subscripsit:* De provincia Neapolitana = Sergius Neapolitanus Archiepiscopus. Bernardus Nolanus Episcopus. Bartholomeus Acerarus. Petrus Insulanus. *Haec quidem subscriptio ex collectionibus Conciliorum notissima est. At nullus dum animadvertit, unde factum, ut insula Enaria vocari Ischia coeperit. Id his gradibus factum est. Enariam vergente saeculo XII. generis sibi nomen assumsisse,*

ex

tima Sergii hujus mentio non alia occurrit, quam quae exſtat in privilegio, quod Aliernus comes & Neapolitani conſules Amalfitanis conceſſere anno 1190. *die IX. Maii Ind. VIII.: cujus privilegii exordium in Appendice Diatr. I. Par. 2. c. 1. Adnot.* 33. *recitavimus. In ejus enim fine id privilegium roboratum dicitur* per Maurum Clericum. S. Neap. Ecclesiae notarium Dom. Sergii venerab. Neap. Archiepiſcopi.

XII. ANSELMVS Eccleſiae Neap. praeficitur circ. ann. 1192. *De eo ſermo habetur in actis S. Patritiae. In hujus gratiam datum ab Henrico VI. Imp. & rege Neap. Praeceptum fuit: cujus exemplum ab eodem viro doctiſſimo & amiciſs. Jo: Bernardino Tafurio ad me ſubmiſſum inferne* (22) *inte-*

ex hac ſubſcriptione vides, in qua Petrus nec Enarienſem, *nec* Inarimenſem [*quae propria fuerant illius inſulae nomina*] *ſe inſcribit, ſed* Inſulanum: *certe quia inter Sardiniam Siciliamq. longe remotiores una haec erat* ἀξιόλογος [memorabilis] *inſula, quae proinde κατ' ἐξοχὴν ſibi generis vindicavit nomen. Jam vero quia* Inſulae *vox Gallis* Isle *dicitur; hinc facile ſub regibus noſtris Andegavenſibus ex* Inſula *primo ortum eſt* Isla, *deinde, C inſerto,* Iſcla. *Exſtat in ea Cathedrali tumulus Beatricis Comitiſſae Iſclanae ibi ſepultae* [*ut verſu altero ſcribitur*]

Cum nato Domino ISCLANO comiteque Marino:

quod epigramma ſub Carolo II. aut ſub Roberto ſcalptum fuit. A quo ſaltem tempore Iſclae *nomen paſſim invaluit: etſi interim doctiores non ignorarent, nomen id* INSVLAM *ἐξηγορεῦσαι, uti patet ex tumulo, in quo apud Vghellum* Petrus Archidiaconus Inſulanus... ann. 1331. *inſcribitur.*

(22) In nomine Sacte, & individe Trinitatis Henricus Sextus Divina favente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, & Rex Siciliae. Si recolendae matris noſtrae Eccleſiae neceſſariam ſolaminis opem impertimur, eique noſtrae protectionis dextram porrigimus a Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui Eccleſiae ſponſus eſt pro hac re nos ſpeciali modo ſublimandos, minime diffidimus. Vnde manifeſtum, & notum eſſe volumus omnibus ejusdem Sanctae Dei Eccleſiae Fidelibus, noſtriſque praeſentibus, ac futuris, qualiter interveniente Bertholdo glorioſiſſimo Comite noſtro Anſelmus reverentiſſimus Neapolitanae Eccleſiae Archipraeſul noſtram adiit celſitudinem, noſtris optatibus offerens quaedam Praecepta Praedeceſſorum noſtorum Regum videlicet, ac Imperatorum, quibus DIVI MARTYRIS JANVARII BASILICAE, quae ipſius Neapolitani Archipraeſulis caput eſt, donaria, multipliciaque beneficia ab ipſis ibidem collata corroboraverant, univerſas res quocumque modo eidem venerabili loco ab Animabus fidelibus collatas, per quae etiam Praecepta inibi ſtatuerant, ut ſi vel ſubeunte vetuſtate, vel negligentia, vel ignium impetu occupante Inſtrumenta cartarum deficerent, de rebus, unde eadem Eccleſia legitimam teneret veſtituram, nullus eam exueret.... per munimina, & diverſa Inſtrumenta Cartarum poſſideret. Quibus oblatis ſuppliciter imploravit noſtram munificentiam, ut noſtrae auctoritatis Praecepto roborare dignaremur, & eadem Praecepta, & quae ab ipſis Praeceptis videbantur. Nos quidem hujuſmodi petitionem ratam exiſtimantes, id fieri annuimus, hoc noſtrum Pragmaticum ſcribi jubentes, per quod eidem Neapolitanae Eccleſiae tam eadem Praecepta, quamque univerſa Cartarum inſtrumenta, res mobiles, & immobiles, ſervos & ancillas, Aldios, & Aldianas, & omnia quae ab Anteceſſoribus ſuis, uſque ad tempus ejusdem Anſelmi Archipraeſulis poſſedit, & quaecumque in poſterum per fideles Animas adeptura eſt confirmamus & concedimus, ut teneat, & poſſideat, fruaturque jure perpetuo ſine qualibet inquietitudine, &.... ipſius Eccleſiae munimina flamma conſumptrice perierint, ſtatuimus, ut de rebus ſuis tamquam pars noſtra publica ſervicitos inquieſtum..... Vt autem haec omnia in perpetuum inviolabiliter obſerventur praeſentem inde paginam conſcribi, & aureo Majeſtatis noſtrae ſigillo juſſimus inſigniri. Statuentes, & Regali auctoritate ſancientes, ut nulla omnino perſona humilis, vel alta, ſecularis, vel Eccleſiaſtica, hunc noſtrae Majeſtatis Praeceptum audeat infringere, vel aliquo modo

Digitized by Google

integrum damus, non tantum quia ineditum, verum etiam quod ex eo intelligitur, per id tempus Neapolitanam Cathedralem Basilicam B. Mart. Januarii *fuisse vocatam.*

XIII. THOMAS S. R. E. Subdiaconus & Notarius eligitur Archiepiscopus. Hic NEAPOLITANVS ELECTVS vocatur in duplici diplomate Innocentii III. ann. 1215. *&* 1216. *Vide additamenta ad Vghellum Venetae editionis.*

XIV. PETRVS de Surrento Ecclesiam Neap. rexit ann. 1216. *Hujus leguntur litterae ann.* 1231. *quibus Fratribus Praedicatoribus Ecclesiam S. Archangeli ad Morfisam (quod nunc S. Dominici coenobium vocatur) concedit. Idem ann.* 1233. *turrim campanariam (adhuc ex parte superstitem) in atrio Stephaniae erexit. Anno* 1251. *mortuus creditur.*

XV. BERNARDVS Caracciolus Rubeus electus Archiepiscopus commendatur Capitulo Neap. ab Innocentio IV. ann. 1252. *Decessit III. Non. Octobris ann.* 1262.

Defuncto Caracciolo S. Thomas Aquinas oblato Archiepiscopatui Neapolitano nuntium remisit. V. Vghel. edit. Ven.

XVI. DALPHINAS electus creditur ann. 1263. *de cujus electione nusquam, nisi in diplomate Ayglerii successoris, & in Anniversariorum libris Monasterii S. Patriciae incidit mentio: in quibus die* 8. *Febr. sic legitur.* Dominus Dalfinas Electus Neapolis.

XVII. AYGLERIVS Neapolitanae sedi regendae admotus est a Clemente IV. mense Novemb. ann. 1265. *Decessit anno* 1281. *Ejus obitus in emortuali Casinensi ita notatur:* VIII. Idus Nov. obiit Ayglerius Archiepiscopus Neapolitanus & Monachus. *Vacavit sedes Neap. post Ayglerii mortem aliquot annos.*

XVIII. PHILIPPVS Minutulus renuntiatur Archiepiscopus circa annum 1285. *Hoc Praesule Cathedralis hodierna coepit maximis exstrui sumptibus. Obiit die* 24. *Octob. ann.* 1301.

XIX. Fr. JACOBVS Ordinis Eremitarum S. August. ex Archiepiscopo Beneventano ad Neapolitanam Ecclesiam, postulante Carolo II. Rege, a Bonifacio VIII. translatus est anno 1302. *II. Id. Novemb. Quo praesule Rex Carolus II. auro & argento inclusit caput B. Januarii. Obiit ann.* 1308.

XX. HVMBERTVS anno 1308. *electus a Ca-*

modo attemptare. Quod qui facere praesumpserit centum libras auri puri pro poena componat, medietatem Camerae nostrae, & medietatem praedicto Anselmo venerabili Archipraesuli, suisque successoribus.

Actum hoc anno Dominicae Incarnationis MCXCV. Indictione XIII. Anno Regni ejus XXV. Imperii IV, Regni Siciliae vero I.

Datum in Castro Venusii quinto decimo Kalendas Aprilis in Dei nomine.

In anno 1195. *menda esse non potest, quia eo anno Indictio XIII. decurrebat. At in anno Regni ejus dubito an non pro XXV. scribendum sit XXVI. cum Henricum mense Junio anni* 1169. *coronatum fuisse regem omnes tradant. Quocirca mense Junio anni* 1194. *absolvebatur annus XXV. & ordiebatur annus XXVI. Quare in Aprilem anni* 1195. *non nisi annus XXVI. regni convenit.*

De eo quod Cathedralem Ecclesiam, vocat Divi Mart. Januarii Basilicam, *locus est memorabilis: de quo dixi in Dissert. histor. pag.* 45. *& seq. ac rursus dicam in Addendis ad eum locum. Mox suum rescriptum Imperator vocat* Pragmaticum, *voce in Collat.* 3. *Carth. usurpata, & a Paulo Warnefrido, Aimoino & aliis. Post pauca* Aldii & Aldianae *sunt liberti & libertae qui operas patrono debent. Mox illud* Servicitos inquietum, *aut* pervicitos inquietum (*utraq. enim lectio extundi ex exemplo ad me misso potest*) *quo modo reduci ad commodam lectionem queat, alii viderint.*

Digitized by Google

a Capitulo Archiepiscopus, confirmatur XVI. Kal. Apr. ejusdem anni. Major Ecclesia Neap. sub hoc Praesule absoluta & encaeniata fuit. Mortem oppetiit die 3. Julii ann. 1320.

XXI. *MATTHAEVS Philamarinus electus Archiep. (ut ex litteris Roberti Regis 8. Apr.* 1325. *liquet) nec dum consecratus, vitam cum morte commutavit ann.* 1322.

XXII. *BERTVLDVS seu BERTOLDVS Vrsinus confirmatus VII. Id Novemb. ann.* 1322. *a Joanne XXII. Pont. fuit. Anno* 1324. *adhuc* Electus *vocatur in litteris Caroli, Roberti Regis filii. Verum in alteris Roberti litteris ann.* 1325. *diserte Archiepiscopus appellatur. Romae eopte anno vel initio sequentis decessit.*

XXIII. *ANIBALDVS de Ceccano Archiepiscopus ab Joanne XXII. renuntiatur anno* 1326. *IX. Kal. Maii. Fit ejus mentio in scripturis Ecclesiae Salernitanae ann.* 1327. *Quo vertente ann. Episcopus Cardinalis Tusculanus factus, Neapolitano Sacerdotio se abdicavit.*

XXIV. *JOANNES (III) Vrsinus Ecclesiae Neap. ann.* 1328. *a Joanne XXII. praeficitur. Plurima suae industriae monumenta reliquit: in primis digesta duo, unum Rituum suae Ecclesiae, alterum Constitutionum synodalium, ac praeterea bonorum Ecclesiasticor. totius dioeceſis Inventarium. Ex XL. presbyteris confratribus Salvatoris duos & viginti in Hebdomadarios erexit. Ejus anno* 1358. *ultima mentio occurrit: quo denatus creditur die VIII. Novemb.*

XXV. *BERTRANDVS de Meyshonesio alicubi memoratur Archiepiscopus Neap. Kalendis Jul. anni* 1359. *sub corrupto nomine* Ynardi. *Obiisse ann.* 1362. *die* 30. *Octobr. in ejus tumulo dicitur. Vide Martenii* (23) *Anecdota.*

XXVI. *PETRVS de Gratia ex Viennensi ad Neapolitanam Ecclesiam ab Vrbano V. anno* 1363. *transfertur. Qui mox ann.* 1365. *Archiepiscopus Ebredunensis renuntiatus fuit.*

XXVII. *BERNARDVS de Bosquetto creatus Archiepiscopus anno* 1365. *mox anno* 1368. *Presb. Cardinalis factus, archiepiscopatu se abdicavit.*

XXVIII. *BERNARDVS, aliis Bertrandus, praeficitur huic Ecclesiae anno* 1368. *Apud Edmund. Martenium to.* 1. *Thes. Scriptor. & Monum. pag.* 1498. *legi instrumentum, quo Bernardus hic anno* 1370. *ex mandato Vrbani V. absolvit Ludov. de Navarra & Johannam de Duratio ab excommunicatione propter initum matrimonium in IV. gradu. Idem Bernardus ab Vrbano VI., propterea quod Pseudo-Pontifici Clementi VII. faveret, Archiepiscopatu privatus, in Gallia exsulare coactus, Avenione creditur apud Clementem obiisse circa annum Domini* 1389.

XXIX. *THOMAS Ammanatus in Bernardi locum suffectus est a Clemente VII. ann.* 1380. *Qui cathedra numquam potitus, dignitatem in manibus Clementis VII. sponte dimisit anno* 1388. *Tandem Avenione decessit exeunte ann.* 1396. *sub Benedicti XIII. Pseudo-Pontificis obedientia.*

XXX.

(23) *Apud Edmundum Martene to.* 2. *Anecdotorum ad hunc aut de hoc Archiepiscopo exstant Innocentii VI. Epistolae pag.* 915. 918. 952. 957. *ac demum alia ejusdem Pontificis ad nostrum Bertrandum, & ad Beneventanum & Salernitanum Archiepiscopos scripta, ut inquirant de vita & moribus Flagellatorum. Ex quibus monumentis Bertrandi hujus notitia opimior aliquanto fiet.*

Digitized by Google

XXX. GVLIELMVS Guindatius Neap. ab Antipapa Clemente VII. ann. 1388. electus, ope Ludovici Andegavensis, expulso vero pastore possessionem iniit. In veterib. chartis ejus mentio reperitur usq. ad annum 1394. in Antipapae obedientia perseverantis. Vide quae de hoc pag. 34. in fine col. 2. adnotavimus.

XXXI. NICOLAVS de Paganis in locum Gulielmi sublectus est a Benedicto XIII. Pseudo-Pontifice. Memoratur hic in charta anni 1399.

Supra scripti tres Archiepiscopi (Thomas Ammanatus, Gulielmus, & Nicolaus de Paganis) etsi minus legitimi Praesules, recensendi tamen fuerunt, ut Neapolit. Ecclesiae status per id temporis exhiberetur.

XXXII. LVDOVICVS Boczutus legitimus Antistes ab Vrbano VI. electus ann. 1378. populi favore possessionem adeptus, mox malis artibus Clementis VII. tamdiu exsulare cogitur, donec Joanna Regina & regno & vita a Carolo Duracio privata fuit. Mortuus est die 25. Maii ann. 1383.

XXXIII. NICOLAVS Zanasius in quodam diplomate anni 1384. vocatur Archiepiscopus Neap. Is anno 1387. Ludovico Andegavensi ipsum infectante, Cremonam se recepit, ubi obiit die 24. Augusti ann. 1389.

XXXIV. HENRICVS Card. Minutulus creatur Praesul Neap. ann. 1389. Sedit annis plus minus decem plurimum absens. Anno 1400. se abdicavit. Decessit Bononiae die 17. Junii anni 1412.

XXXV. IORDANVS Vrsinus a Bonifacio IX. Archiepiscopatu anno 1400. donatur. Ab Innocentio VII. Cardinalis tit. S. Martini in Montibus ann. 1405. electus, paulo post Ecclesiae suae nuntium remisit. Nam ex quodam instrumento anni 1406. sedes Neap. tunc vacasse deprehenditur. Obiit die 29. Maii 1449.

XXXVI. IOANNES (IV) legitur praefuisse die 3. Junii ann. 1407. Ejus mentio exstat usque ad annum 1409. Exinde mortuus ne fuerit, an exauctoratus a Gregorio XII. quod esset assecla Joannis XXIII. nescitur.

XXXVII. IACOBVS de Rubeis praefuit ann. 1415. Ad hanc dignitatem a Joanne XXIII. evocatus, duobus annis absens sedit. Parmae obiit anno 1418.

XXXVIII. NICOLAVS de Diano ann. 1411. a Gregorio XII. Vicarius Generalis, & administrator Ecclesiae Neap. factus, tandem a Martino V. anno 1418. legitimus Antistes creatur. Fato functus est ann. 1435. Post hujus obitum per tres circiter annos Ecclesia Neap. vacavit.

XXXIX. GASPAR de Diano successit patruo Nicolao VII. Kal. Martii ann. 1438. Decessit die 29. April. anni non 1450. (uti Chioccarellus docuit) sed 1451. ut quem die 31. Octob. anni 1450. adhuc vixisse ostendam in Monumentis p. 285.

XL. RAYNALDVS Card. Piscicellus a Nicolao V. ann. 1451. IV. Id. Maii electus, obiit die 13. Julii ann. 1457.

XLI. IACOBVS Card. Theobaldescus (Chioccarello dicitur Theobaldus) die 3. Aug. ann. 1458. electus, non iniit, sed se abdicavit.

XLII. OLIVERIVS Card. Caraffa iniit die 18. Novemb. ann. 1458. Anno 1484. in favorem Alexandri germani fratris renuntiavit, sibi, si quidem Alexander cessisset aut decessisset, reservato regressu. Romae obiit die 20. Jan. ann. 1511.

XLIII. ALEXANDER Caraffa dignitatem hanc cepit XII. Kal. Octob. ann.

Digitized by Google

1484. *Mortuus est die ultimo Julii* 1503. *Post cujus decessum Ecclesia Neap. rediit ad Oliverium : qui postea in Bernardinum fratris filium eam transferendam curavit.*

XLIV. *BERNARDINVS Carafa ex cessione patrui Archiepiscopus Neap. designatus, antequam possessionem iniisset, obiit mense Majo ann.* 1505.

XLV. *VINCENTIVS Card. Carafa ex patrui Oliverii cessione factus est Antistes Neap. die ultimo Maii ann.* 1505. *At anno* 1530. *Franciscum sui fratris filium cum spe futurae successionis socium sibi adscivit. E vivis eximitur mense Sept. ann.* 1540.

XLVI. *FRANCISCVS Carafa patruo demortuo successit ann.* 1540. *In veteri Kalendario S. Eligii mortuus dicitur die* 30. *Jul. ann.* 1544.

XLVII. *RAYNVCIVS Card. Farnesius a Paulo III. quindecim annos natus electus est Archiepiscopus Neap. anno* 1544. *Mox eam dignitatem libere resignavit ann.* 1549. *Obiit Parmae die* 28. *Octobr.* 1565.

XLVIII. *IOANNES PETRVS Card. Carafa ab anno* 1549. *Ecclesiae Neap. praefuit usque ad annum* 1555., *quo Pontifex Maximus creatus, assumpto Pauli IV. nomine, adhuc tamen per aliquot annos per Vicarium hanc rexit Ecclesiam. Mortuus est Kal. Sept.* 1559.

XLIX. *ALPHONSVS Card. Carafa septemdecim annos natus a Paulo IV. renuntiatus est Antistes ann.* 1557. *Decessit IX. Kal. Sept. ann.* 1565.

L. *MARIVS Carafa ad sedem Neap. a Pio IV. ann.* 1565. *evocatus, obiit die* 11. *Septemb. ann.* 1576.

LI. *PAVLVS Card. de Arretio praefectus huic sedi anno* 1576. *fato functus est die* 17. *Junii ann.* 1578.

LII. *HANNIBAL de Capua Neapolitanam Ecclesiam regendam suscepit die* 11. *Aug. ann.* 1578. *Obiit die* 2. *Sept. ann.* 1595.

LIII. *ALPHONSVS Card. Gesualdus Archiepiscopus a Clemente VIII. die* 25. *Februar. ann.* 1596. *factus, obiit die* 14. *Febr. ann.* 1603.

LIV. *OCTAVIVS Card. Aquaviva Aragonius a Leone XI. ipsis Kalendis April. ann.* 1605. *electus, mortem oppetiit die* 15. *Decemb. ann.* 1612.

LV. *DECIVS Card. Carafa iniit die* 7. *Januar. ann.* 1613. *Diem obiit die* 24. *Januar. ann.* 1626.

LVI. *FRANCISCVS Card. Boncompagnus Ecclesiae Neap. praeesse coepit die* 2. *Martii ann.* 1626. *Naturae concessit mense Nov. ann.* 1641.

LVII. *ASCANIVS Philamarinus ab Vrbano VIII. Archiepiscopatum Neap. simulq: purpuram eodem die* 16. *Decemb. ann.* 1641. *adeptus, decessit die* 3. *Nov. ann.* 1666.

LVIII. *INNICVS Card. Caracciolus Nonis Mart. ann.* 1667. *electus, obiit die* 30. *Januar. ann.* 1685.

LIX. *ANTONIVS Card. Pignatellus Antistes Neap. ann.* 1686. *renuntiatus, deinde IV. Id. Jul. ann.* 1691. *Petri Cathedram sub Innocentii XII. nomine iniit, quam & sanctissime rexit, pluribus saluberrimis institutis, & monumentis a se relictis.*

LX. *IACOBVS Card. Cantelmus Ecclesiam Neap. suscepit regendam ann.* 1691. *die* 4. *Novemb. E vivis excessit III. Id. Decemb. ann.* 1702.

LXI. *FRANCISCVS Card. Pignatellus a Clemente XI. ann.* 1703. *creatus Archiepiscopus Neapolitanus, obiit die V. Decemb. anni* 1734.

LXII. *IOSEPH Card. SPINELLVS iniit Sacerdotalem Cathedram die* 15. *Maii ann.* 1635.

Horum

Digitized by Google

Horum omnium laudibus rebuſq. geſtis pertexendis ultro abſtinuimus: nam & infiniti id fuiſſet operis; & nos initio jejunum tantum catalogum, non hiſtoriam polliciti fuimus. Exſiſtet forſitan alius, qui poſt Chioccarelli & Vghelli induſtriam, accuratiorem de Neapolitanis Praeſulibus commentarium daturus proſiliat. Rogamus interim Deum Opt. Max. ut hodierno Eminentiſſimo Antiſtiti Joſepho Spinello vitam in aevum quam longiſſimum proroget; quo datam ſibi caelitus longaevitatem ad Eccleſiae fructum atque utilitatem unice conferens, opimiorem quotidie ſegetem Neapolitanae Sedis hiſtoriam conſcripturis ſuppeditet: cujus rebus naviter & ſtrenue pro Dei gloria geſtis ac porro gerendis non praeſentem ſolum ſed & ſequentem aetatem gratulaturam ac diu fruituram confidimus.

Antequam hinc abeo, ſciendum eſt me in IX. priorum ſaeculorum praeſulibus Joannem diac. κατὰ πόδας fuiſſe ſecutum, eoque duos treſve omiſiſſe, quos inferre potuiſſem. Verbi cauſa quamvis ineunte IX. Saeculo inter num. XLII. & XLIII. b. e. inter S. Paulum & B. Tiberium circ. ann. 818. quidam Vrſus Electus *ab Anonymo Salernitano parte 2. num. 1. memoretur, ſub quo Sico Beneventanus corpus S. Januarii abſtulit; is tamen a me omiſſus fuit, utpote Joan. chronographum de eo ſilentem ſecuto. Is vero propterea ab Joanne praeteritus fuit, quia is non avat Electos non ſacratos in Catalogo ponere.*

Porro praeter Joan. diaconum, eſt quidam perantiquus Antiſtitum noſtrorum catalogus ex Ms. Florentino S. Marci ab eruditiſſ. Blanchino to. 2. Anaſtaſiano editus. Cujus auctor etſi videatur Joan. diaconum ſibi decerpendum propoſuiſſe; ab eo tamen plurimis in locis diverſus abit. Quem alibi Deo dante integrum dabimus. Ejus auctor in Stephano III. Athanaſii II. ſucceſſore deſinit.

PARS IV. ITEM CHRONOLOGICA.

Qua geſtorum aliquot hoc opere comprehenſorum, quorum certa ſunt tempora, recenſio pertexitur.

Hac quidem recenſione ea minime perſequar, quae ad Antiſtites Neap. eorumq. tempora pertinent (quorum catalogum atq. tempora modo Parte III. exhibui) ſed rebus ceteris ſparſim hoc opere expoſitis, quarum aetas innotuit, in chronologicam ſeriem redigendis hic ultimus impendetur labor.

Notas Romanas ad Anteloquii, Arabicas ad Diſſertationis paginas refer: tò n Notam, *c* columnam *ſignat.*

SAECVLO I.

Forma Graecae reip. Neapoli viguit. pag. 101. §. 2. & paſſim Diatr. III.

Hoc ſacc. inedio S. Aſpren ab Apoſtolo Petro Epiſcopus Neapolitanis datus. Par. 1. cap. 6.

Ann. 79. mons Veſuvius inſigniter arſit. 236.

SAECVLO II.

Ineunte, Neapolis inter colonias Rom. numerabatur 102. §. 3. & tota Diatr. III.

SAECVLO III.

Graeca ſtudia adhuc in colonia Neap. excolebantur. 102. 103. & ſeq. ubi & ſophiſta Philoſtratus declamavit. Ib.

SAECVLO IV.

Helleniſmus Neapoli jam evanuerat. 103. coloniaeque Romanae nomenclaturam adhuc ſervabat. 241. cap. 4. Caſtrum Lucullanum jam hoc ſacc. ineunte exſtitiſſe videtur. 200. c. 2. num. 1.

Digitized by Google

Constantinus Basilicam Salvatoris Neapoli exstruxit. pag. 6. & alibi passim. Cui Ecclesiae Insulam (dictam Salvatoris) cum Castro (utiq. Lucullano) donavit. Passim in Diatr. I.

SAECVLO V.

Ann. 476. Augustulus, Imperatorum occidentis ultimus, in Castrum Lucullanum relegatur. 200. c. 2. num. 2.

Inter an. 492. & 496. corpus S. Severini Noricorum Apostoli in Castrum Lucullanum transfertur. 201. num. 4.

SAECVLO VI.

Incunte, Stephanus I. Episc. Constantinianam Salvatoris Basilicam resecit & ampliavit. 27. 28. vel potius aliam a Constantiniana Cathedralem ab integro exstruxit, ut in Curis poster. dictum p. 307. 308.

Episcopale hospitium a Stephani hujus aetate ad saeculi XIV. finem cum Stephania seu hodierna S. Restituta copulatum fuit. 34. n. 28.

Medio hoc saec. vernaculus sermo Neapoli Latinus erat. 104.

Item medio saec. Neapolis a ducibus Neapolitanis sub aulae CPolitanae tutela regi coepit. 105.

Hoc vergente saeculo Vincentius Episc. Baptisterium fontis minoris construxit. 26.

SAECVLO VII.

Nesis hoc saec. appellabatur Salvator. 216. num. IV. & 218. ubi eodem tempore Monasterium erat. ibid. & 219. 225. & n. 40.

Medio saec. sub Constante Monothelita S. Patricia in Neside Ins. obiit. 217. seq.

Vergente, Constantinus Constantis fil. Corpus S. Restitutae Neapolim transvexit. 72. in cujus honorem oratorium Stephaniae adjacens fecit Capitulumque donavit. 190. 191. Ecclesiam Neapolit. dotavit praediis, ex quibus S. Athanasius Canonicatus XIV. praebendatos instituit 191. 192. & n. 90.

Canonicorum nomen in Italia nondum in usu erat. 193. Erant tamen Presbyteri, ac Diaconi Cathedralibus affixi. ibid.

SAECVLO VIII.

Incunte, S. Willibaldus S. Severini visendi studio in Lucullanum divertit. 202. c. 2.

Eod. procedente, Sergius Episc. a Patriarcha CPolitano simplicem Archiepiscopi titulum adipiscitur 114.

Post saeculi medium S. Paulus major sub Constantino Copronymo, turbantibus Graecis, sedem in Ecclesia extramurana S. Januarii temporariam statuit. 99. 107.

Vergente eodem, Stephanus II. Episc. Ecclesiam Salvatoris incensam restituit. 12. 123. Idem Leonem Maurunta Cardinalem presbyterum Neapoli ordinavit. 193.

SAECVLO IX.

Circa ann. 818. Sico Beneventanus S. Januar. Mart. corpus Beneventum abstulit. 42. sect. 2.

Eodem medio erat [illegible]biculare S. Januarii oratorium apud Stephaniam 45.

Prope a medio marmoreum Ecclesiae Neap. Kalendarium scalptum fuit. 105.

Post saeculi medium S. Athanasius septem Sacerdotes Hebdomadarios (h. e. VII. hodiernos presbyteros Cardinales) instituit in vita Athanas. memoratos. 121. ad 124.

Ann. 893. corpus S. Severini e castro Lucullano Neapolim translatum fuit. 203. Castrum idem eversum. ibid. & 204. n. 11.

Hoc saec. vergente monasterium quoddam in Insula Salvatoris erat. 217. & seq. quo eadem Insula etiam Nesis vocabatur. ibid.

Hoc saec. exeunte Joannes diac. chronicon Episcopor. contexuit.

SAECVLO X.

Hoc incunte saec. Catalogus Episcoporum Neap. Blanchinianus conscriptus fuit. 307.

Neapolis Metropoliticam dignitatem obtinuit. 114. § IV. & 115. & p. XXVII. Sed post Capuam factam Metropolim anno 968. & post Beneventum an. seq. factam. p. 115. n. 13.

SAECVLO XI.

Ann. 1005. Sergius primus omnium in quodam monumento Archiepiscopum se profitetur. p. XXVIII.

Vergente hoc saec. S. Peregrinus ex regia Scotorum stirpe prognatus, lustraturus sacra loca Neapolim appulit. 50. n. 43.

Extremo eod. aut XII. incipiente, vita S. Athanasii longior elucubrata videtur. 37. col. 2.

SAECVLO XII.

Saec. XII. labente adhuc vigebat in Fratriis vita communis. 261. col. 2. & 262. col. 1.

Circa hoc tempus ordo Divinorum Officiorum qui in Confratriis Neap. observabatur, conscriptus fuit. 261. c. 2. num. 9.

An. 1140. Arx in Megaride jam exstabat. 220. num. VI. cui Salvatoris nomen tribuebatur. 221. & seq.

An. 1140. Rex Rogerius suam libertatem Neapolitanis reliquit. 222. n. 33. & 243. n. 4.

An. 1151. Idem Rex Ecclesiam S. Sabini cum omnib.

Digitized by Google

omnib. bonis suis Majori Ecclesiae Neap. donavit. p. XXIX. n. 20.

An. 1183. Sergius Archiep. beneficiariis liberam testandi facultatem de suis beneficiorum reditibus concessit. 144. 223. n. 33.

Ab hoc saec. & deinceps titulus presbyteri Cardinalis inter Canonicos Eccles. Neap. frequentari coepit. 244. n. 1. 2.

An. 1193. Riccardus Comes Ayelli bonis suis quamdam Frateriam Salerni auget 262. n. 2.

An. 1195. Praeceptum Henrici VI. Imp. & regis Neap. prodiit, quo Basilicae Martyris Januarii (h. e. Cathedrali) privilegia confirmantur. XXX. n. 22. Eo tempore (eaq. praesertim charta) Cathedralis Neap. vocabatur Ecclesia aut Basilica S. Januarii. Ibid. & 280. c. 2.

Circa an. 1196. Petrus de Ebulo poema suum Henrico VI. Imp. obtulit 222. col. 1.

SAECVLO XIII.

An. 1202. Monasterium S. Salvatoris in insula Nesside adhuc exstabat. 219. 225. Ejusdem propago ex Nesidensi monasterio in Megaridem traducitur. 225. cap. II. & n. 40.

Ineunte aut precedente hoc saec. Inventarium hospitalis Athanasiani primitus fit. 271.

An. 1213. Anselmus Archiep. Fratrib. pauperib. Congregationis Salvatoris exemptionem a collectis, a quibus alii Clerici immunes erant, concessit. 125. §. III. & 145. §. IV. Atq. ea prima est hodiernor. XXII. Hebdomadarior. mentio, ut qui centesimo ac vigesimo post anno ab illis Fratribus orti fuerunt. Ex illis Fratribus etiam Presbyteri XVIII. (nunc vulgo ei Quadraginta) simul cum Hebdomadariis unico setu prodierunt. 182.

An. 1217. & 1238. Anselmianam exemptionem Fratribus Salvatoris Petrus Archiep. confirmavit. 128.

Circa id tempus Canonici Neap. jam supra quatuordecim mirifice creverant. 191.

An. 1233. Turris campanaria Ecclesiae Neap. ab Archiep. Petro de Surrento facta fuit. IX. §. 1.

An. 1235. Gregorius PP. IX. Fratribus Salvatoris Anselmianam exemptionem confirmavit. 128.

Ante medium saec. XIII. Albericus vitam S. Asprenis, Petro Archiep. suadente, conscripsit. 56.

Medio hoc saec. Chronici S. Mariae de Principio pars historica conscripta fuit. 66. 67.

Item medio, Matthaeus Spinellus domo Juvenatio primus omnium historiam Italico sermone prodidit. 86. n. 70.

An. 1254. Innocentius IV. Neapolim digressus, Canonicis Neap. pontificalia indumenta largitus creditur 282. c. 1.

Eodem anno Pontifex idem Neapoli mortuus, in Stephania (h. e. hodierna S. Restituta) tumulatur 179. c. 2.

Vergente saec. XIII. Joannes Cimeliarcha vitam S. Joannis IV. edidit. 61.

Exeunte eodem, hodierna Cathedralis construi coepta. 50.

SAECVLO XIV.

Indictio CPolitana (quae a Kalendis Septembr. procedit) Neapoli adhuc in usu erat, diuque postea fuit. 152. n. 62. & 178.

Hoc saec. ineunte, nova Cathedralis Neap. erecta fuit 19. & 50. Carolus II. Andegavensis, Archiepiscopus, & populus Neap. in id opus sumptus suppeditarunt. 50.

An. 1305. Idem Carolus II. S. Januarii ex auro & argento simulacrum conflandum locavit. 50

An. 1309. Veteri Ecclesiae S. Restitutae & Canonicis Bartholomaeus Siginulfus Casertae comes donavit Castrum S. Angeli. 74.

An. 1310. corpus B. Nicolai Eremitae in Ecclesiam S. Restitutae veterem illatum fuit. 72.

An. 1313. Imago S. Mariae de Princ. opere musivo fabrefacta fuit. 75.

Item vetus Stephania capitulo Neap. concessa est ad instaurandum. 78.

Circa an. 1314. Nova cathedralis sub Humberto dedicatur. 78. 280. col. 1. Eodemq. tempore S. Virginis Restitutae reliquiae in hodiernam Eccles. S. Restitutae invectae fuerunt. 71.

Anno 1315. Humbertus Archiep. Innocentii PP. IV. cinerib. ex vetere Cathedrali (hodie S. Restituta) in hodiernam translatis sepulcrum paravit. 280. c. 1.

An. 1317. Humbertus Archiep. constitutionem de divino cultu evulgavit. 149. Idem videtur Presbyteros XL. ex Fratribus Salvatoris ad persolvenda divina officia erexisse: ex quibus postea ab Jo. Vrsino duo & viginti in Hebdomadarios instituti fuere, reliquis XVIII. in priore statu permanentibus. 166. 182.

Circa ann. 1330. Joan. Vrsinus Constitutiones synodales promulgavit, sic inscriptas: Constit. Synodales... Dom. Joannis... Archiep. Neap. & ejus Capituli.

An.

An. 1334. *Jo: Vrsinus Archiep. Constitutionem exsequialem evulgavit.* 157. *In ea nulla adhuc Hebdomadariorum mentio, ibid.*

An. 1335. *aut* 1336. *idem Vrsinus Hebdomadarios numero XXII. ex presbyteris confratribus quadraginta Congregationis Salvatoris instituit.* 166. *n.* 67. *&* 182. *quos ex Capituli dotatione immobiles & titulares effecit.* 183. *quique propterea nonnunquam* Presbyteri de numero Quadraginta *dicebantur.* 184. *n.* 86. *&* Confratres S. Salvatoris. 129. *nec non* Hebdomadarii S. Restitutae. 171. 172. *in qua Ecclesia eo tempore, ut etiam in nova Cathedrali, Canonicis deserviebant.* 173.

An. 1336. *Hilarius de Palude inventarium Hospitalis Athanasiani ex altero antiquiore exscripsit.* 271.

An. 1336. *Arabicae numerorum cifrae usurpatae primum inveniuntur.* 278. *n.* 44.

An. 1337. *Kal. Maii Jo: Vrsinus Consuetudines sive Rituale Digestum Ecclesiae Neap. edidit.* 156. *In quib. prima Hebdomadarior. mentio occurrit, ita ut proxime antea erectos eosdem oporteat.* 156.

An. 1343. *idem Vrsinus cum Capitulo ingentem antea Canonicorum numerum ad XL. redegit, collatione simplicium Canonicatuum reservata Capitulo juntim cum Archiepiscopo.* 167. 245. *n.* 2.

Medio hoc saeculo l[illegible]*escentis B. Januarii cruoris prodigium contingere coepit.* 53. *n.* 43.

An. 1372. *Leonardus Paganus quatuor fundavit Hebdomadas h. e. Hebdomadarior. praebendas.* 133. *Sect. II. &* 174.

An. 1378. *Bernardus Archiep. tres primitivas Hebdomadas a se extinctas, novis Hebdomadariis adnexuit.* 147. *n.* 41. *&* 175.

An. 1379. *Appellatio* Congregationis Salvatoris *cum adjectione* Veteris *usurpari coepit.* 178. *In Capellae S. Salvatoris Veteris postico locus, quo Hebdomadarii confratres convenirent, datus est.* 179. 180.

Circa ann. 1380. *Joan. Villanus Chronicon Neapolitanum patria dialecto scripsit.* 85.

Ann. 1381. *Ludovicus Boczutus Archiep. Hebdomadariis Ecclesias S. Mariae de Mundulis, & S. Praxedis adnexit.* 178.

An. 1390. *Guil. Guindatius Archiep. propter defectum veteris palatii ruinosi (quod dein postea Oliverius Caraffa refecit) in temporario hospitio in platea Nidi habitabat.* 34. *n.* 28.

Exeunte hoc sacc. Card. Henricus Minutulus Episcopale palatium Cruci novae Cathedralis attiguum in Platea Capuana, ubi nunc Seminarium est, exstruxit. 35. *n.* 28.

SAECVLO XV.

An. 1414. *Vetus Cathedralis dicebatur* Major Ecclesia S. Restitutae. 172.

Eod. Hebdomadariis sepulturae locus in media Cathedrali a Capitulo concessus fuit. 120. *n.* 21. *&* 172.

An. 1416. *Nicolaus de Diano Archiep. cum consensu Capituli Ecclesiam S. Joannis de Villa Marianellae Congregationi Salvatoris veteris concessit.* 180.

An. circ. 1430. *Lupus de Spechiis vitam S. Peregrini elucubravit.* 52. *col.* 1.

An. 1440. *Eugenius PP. IV.* (*cujus diploma legitur pag.* 283.) *Ecclesiam S. Andreae cum hospitali S. Athanasii concessit hodierno Hospitali Adnuntiatae.* IX. §. 1.

An. 1446. *Gaspar de Diano Archiep. cum consensu Capituli, domum in platea Capuana Congregationi Salvatoris Veteris concessit.* 180.

An. 1494. *Cardinalis Montis Regalis Legatus ad coronandum Regem Alfonsum II. Neapolim venit.* 181. *n.* 81.

An. 1498. *Cardinalis Oliverius Caraffa Archiep. hypogeum recondendo S. Januarii corpori construxit.* 35. *aedesque Archiep. hodiernas amplificavit, ibid.*

SAECVLO XVI.

An. 1508. *Beatrix Regina Hungariae Neapoli mortua a Canonicis effertur.* 181. *n.* 80.

An. 1533. *Chronicon S. Mariae de Principio ex vetustiore Chronico decerptum fuit.* 71.

Anno eodem & 1534. *Vetera Capituli Neap. Statuta conduntur.* 295.

An. 1536. *Paulus PP. III. Hebdomadarios hodiernos vocat* Congregationem Cappellanorum Ecclesiae Neap. 180. *Biennio ante sic etiam in Statutis Capituli Neap. appellantur pag.* 297.

An. 1544. *Franciscus Caraffa Archiep.* Insulam *Nesidem (quae post XII. saecula in patrimonio Mensae Archiep. adhuc erat) Civi-Neap. in Emphyteusin concessit.* 216. *col.* 2. 217. *&* pag. II.

An. 1557. *Maria Toleta Proregis conjux veterem S. Januarii thesaurum exornavit.* 47. *n.* 39. *&* p. 48.

An. 1565. *Alfonsus Card. Carrafa in conventu Capitulari plura in Capitulo Neap. reformavit.* 301.

an.

Digitized by Google

An. 1566. *Marius Caraſa Archiep. Hodiernum Seminarium Archiep. primus erexit.* 36. *c.* 1.

An. 1567. *S. Pius V. decantatam illam conſtitutionem edidit, qua Canonicos Neap. ad externum Cheri ſervitium in hodierna nova Cathedrali per alternas hebdomadas adegit.* pag. 304.

An. 1574. *Vigebat apud Canonicos Neap. certa traditio, qua conſtabat, Hebdomadarios ut Cathedrali quotidie deſerviret, a ſe fuiſſe in onus divinor. officiorum ſubrogatos, aſſignatis quibuſdam a Capitulo reditibus.* 168. *n.* 69.

Eodem anno Gregorius XIII. onus a S. Pio V. Canonicis impoſitum mitigavit. 304. *c.* 4.

An. 1576. *Gregorius PP. XIII. Canonicos Neap. ad triginta reſtrinxit.* 144. *c.* 1.

An. 1580. *aut ſeq. Hannibal de Capua Archiep. in Statu Cathedralis* NON LIQVERE *ſibi ait, quando & a quonam hodierni Hebdomadarii inſtituti fuerint.* 137. 288. *& ſeq.*

Eod. tempore presbyteri li Quaranta *adhuc mobiles in eod. Hannibaliano ſtatu deſcribuntur.* 184. *n* 85.

An. 1592. *Salvatoris corpus in apſide S. Reſtitutae novis coloribus interpolatur, excepto vultu.* 21. *col.* 2.

Eodem anno Vincentius Raius Canonicus Diaconus adhuc rectoriam S. Januarii poſſidebat. 282. *c.* 2.

An. circiter 1594. *Anellus Ruſſus Viſitator illud ipſum* NON LIQVERE *de Hebdomadarior. origine in ſuo Statu pronuntiavit.* 292.

An. 1596. *Ara primaria in S. Reſtitutae, quae imo parieti adhaerebat, in medium translata fuit.* 20. *c.* 1. *Tunc duo ambones adhuc ſuperſtites remoti videntur. Ib. & p.* XI.

Sub ann. 1597. *ſub Archiep. Geſualdo Anelli Ruſſi Viſitatoris induſtria idem* NON LIQVERE *ad eoſdem Hannibalianae viſitationis adnotatum fuit* 289. *n.* 3.

SAECVLO XVII.

An. 1606. *aut* 1607. *ſub Oct. Aquaviva Archiep. primus omnium Alexander Ruſſus Canonicus Hebdomadarior. originem ad S. Athanaſium referri poſſe conjecit ſed addubitans, & particula* FORSAN *uſus.* 295.

Anno demum 1623. *Caeſar de Engenio, & mox an.* 1643. *Chioccarellus expuncto* FORSAN, *ex ſemita viam fecerunt.* 295.

An. 1619. *Decius Card. Caraſa Archiep. hodiernam S. Reſtitutam pro primaeva Cathedrali habendam edixit.* 306.

ANTELOQVII FINIS.

SERIES

Digitized by Google

SERIES OPVSCVLORVM

Editorum in Appendice a pag. 199.

DIATRIBA I. De Insula Salvatoris & Castro Lucullano p. 199.
DIATRIBA II. De vocis SQVARASTASE significatu p. 228.
DIATRIBA III. De Colonia Neapolitana &c. p. 233.
DIATRIBA IV. De Eccleliae Neap. Canonicis Cardinalibus p. 243.
DIATRIBA V. In Fratriarum Neap. Ordinem divinor. officiorum. p. 259.
DIATRIBA VI. In vetustum Athanasiani hospitalis Inventarium p. 271.
ADDENDA & refingenda quaedam pag. 279.
MONVMENTA quaedam ad calcem rejecta pag. 283.
INDICES QVATVOR pag. 309. Horum primus est Capitum & sectionum : alter Adnotationum notabiliorum : tertius scriptorum qui illustrantur aut notantur ; quartus rerum atq. verborum.

ERRATA notabiliora, quae relegenti occurrerunt, sic castigabis. Littera (n.) *Notas designat.*

Pag. 6. n. 8. v. penult. *Constantiniae*. Cor. *Constantinianae*.
14. n. 21. col. 2. v. quarto ante finem : *Quod* (*Sarcophagum*) Corr. *Quod* (*marmor*) cum *Sarcophagus* sit masculinum. Congrua correctio & infra adhibenda, ficubi sit opus.
17. v. 24. pro *duobus & sexaginta* repone *sex & quinquaginta*. lb. v. 27. pro *quo* scribe *quot*.
18. Sect. 2. v. 7. pro *quales* scribe *qualis*.
19. v. 14. pro *revulsus* repone *servatus*. Mox cetera usq. ad periodi finem delebis.
42. §. II. v. 2. pro *anno* 817. cor. *anno circiter* 818. *aut seq.*
48. v. 10. dele distinctionem post *meridiem*.
62. proxime ante notas pro *anno* 1682. repone *anno* 1582.
75. post hexametros in titulo in τῷ §. I. dele notam §. Sic etiam p. 77. in τῷ §. *II.* delebis notam §. Ad haec p. 80. in titulo scribes §. *II.* non *III.* Et p. 82. in titulo pro §. *IV.* scribes §. *III. EXCVRSIO TERTIA*.
88. v. penult. post *eundum* dele distinctionem : aut vero scribe integre, *eundum esse*.
94. col. 2. v. octavo ante finem pro *Sabbatianis* cor. *Sabbatinianis*.
98. v. 1. pro *ARGVMENTA* repone ARGVMENTVM.
107. v. 7. pro *Juniore* scribe *Seniore*.
107. v. octavo ante finem pro *sebeat* cor. *subeat*.
114. v. 13. pro *Diatr. I.* scribe *II.*
115. n. 13. v. 6. pro *a Chioccarello visum* scribe intra parenthesin (*a Chioccarello minime visum*).
123. v. quarto ante finem pro *Cardines* scribe *cardini*.
130. §. IV. v. 10. pro *Petrus* scribe *Jo: Antonius*.
131. v. 4. pro *antica* repone *una* : & v. 5. pro *postica* repone *altera*.
191. col. 1. v. penult. pro *Oratorii* scribe *Oratorium*.
193. §. *sane* v. 8. dele illa omnia : *Qui & Card. Eccles. Neap. alic. meminit*.
221. col. 2. v. sexto ante finem pro *infra duo millia* repone *infra tria millia*. Et quod magis doleo cum pag. 227. in Monito in id facto id σφάλμα correcturus essem ; alterum multo deterius incogitanti excidit. In eo igitur Monito pro, eo quod scriptum est, repone : *Pro Infra duo millia scribe, Infra tria millia*.
227. col. 2. v. octavo ante finem Diatribae pro λόγυς rescribe λόφυς.
249. col. 2. in titulo notae 11. pro *erutus* scribe *eruti*.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO HISTORICA
De Cathedralis Eccleſiae Neapolitanae
SEMPER UNICAE
Variis diverſo tempore
VICIBVS



IUjam intermortuis litteris melioribus, ubi tandem quintodecimo maxime ſaeculo numinis benignioris afflatu ex ſuiſmet favillis reſtitutus eſt ſpiritus atque vita; quidquid ſcriptorum noſtratium fuit, qui ad Neapolitanas retegendas origines incubuerunt, ad unum in id convenere omnes, ut eam, quae hodie *S. Reſtitutae Baſilica* dicitur, eamdem prorſus ac veterem Cathedralem (quam ſcil. *Stephaniam* ſive *Salvatoris Eccleſiam* antiqui vocaverant) eſſe crederent. Hanc illi perſuaſionem ab antiquis per manus traditam ad ſequentem aetatem tranſmiſerant, eademq. porro ad hujus uſq. ſaeculi initium obtinuerat: cum ecce tibi exortus eſt tandem vir eruditus Nicolaus Carminius Falco (nunc Illuſtriſs. S. Severi[illegible]e Archiepiſcopus) qui edita S. Januarii (1) hiſtoria, primus omnium, uti quidem (2) gloriatur, *Stephaniam* ab ea quae nunc *S. Reſtituta* vocatur, diverſam Eccleſiam faceret: qui etſi, utram ipſe pro Cathedrali haberet, non diſerte definivit; haud obſcure tamen Stephaniae illi ſuae ab S. Reſtituta diverſae τὰ πρωτεῖα (*priores partes*) tribuiſſe animadvertitur.

Deinde ſatis longo poſt Falconem intervallo exſtitit vir optimus Benedictus Serſalis, qui edito ſatis erudito (*) libello, ita Falconianam baſilicarum duplicitatem defendit, ut tamen utramque ſimul & uno

(1) Ea Neapoli prodiit ex officina Felicis Muſcae anno 1713. ſermone Italico.

(2) Laudatus Falconius in Notis ad lib. V. cap. 7. pag. 501. & 502. ubi *Stephaniam* quanto maximo conatu ab ea quae hodie *S. Reſtituta* vocatur, diſtinguendam contendiſſet; hoc ad extremum (pag. 502. col. 2. media) epiphonemate utitur: *Veduto baſtantemente l'error comune, DA NOI I PRIMI SCOVERTO, e che la Stephania fu diſtinta, e diverſa dalla Reſtituta* &c.

(*) Neapoli prodiit is liber anno 1745. ex formis Jo: Franciſci Pacii, ſic inſcriptus (*Diſcorſo iſtorico della Cappella de' Signori Minutoli col titolo di S. Pietro . . . dentro il Duomo Napoletano di Benedetto Serſale*) plurima ſane notitia Neapolitanae antiquitatis refertus.

Digitized by Google

uno tempore Cath...em fuiſſe doceret. Verum, ut fatear, Serſali laudato Romani cauſidici haud diu antea praeiverant. Nam cum anno circiter 1738. de jure exſequiarum inter Canonicos Neapolitanae Collegiatae S. Joannis Majoris interque Metropolitanae Eccleſiae Hebdomadarios in Romanae Curiae tribunalibus quanta maxima animorum contentione diſceptaretur; nihil ſibi reliquum fecere Hebdomadariorum patroni, quo ſuos, quos modo dixi, clientes ipſiuſmet Cathedralis Canonicis dignitate pares, ac proinde Collegiatae S. Joannis Canonicis ſuperiores facerent. Itaque in illius temporis allegationibus, quas Hebdomadariorum cauſidici divulgarunt, hoc plenis buccis jactabatur: duplicem olim fuiſſe Neapoli Cathedralem: *Stephaniam* unam, cui hodierni Hebdomadarii tamquam Canonici Latini affixi deſervirent, alteram vero *S. Reſtitutam*, a Conſtantino Magno fundatam, cui hodierni Canonici (quos nempe Graeci oris atque ritus fuiſſe praedicabant) incardinati eſſent. Mitto jam cetera, quae tunc temporis tum ſcriptis allegationibus, tum aeſtu quotidiano jurgandi, Romae ac Neapoli in vulgus diſſipabantur.

Quae quidem quamdiu in foro tantum, aut extra forum apud paucos perſonabant; potuit ſive frangendae Hebdomadariorum vanitatis, ſive inconcuſſae veritatis vindicandae labore ſuperſederi. At poſtquam ii rumuſculi diffundi latius, & in plurium animis radices agere ſenſim coeperunt; tum vero ne ex ignavi ſilentii ſupinitate quidquam teſtatiſſimae veritatis antiquitas detrimenti caperet; viſum eſt iis, quibus haec curae eſſe debent, ſerpenti latius novitati obviam iri oportere. Quocirca hoc ſubitarium opuſculum duas maxime in partes tribuetur, per quas virulentae illae, quas ſupra deſcripſi, erumpentis novitatis radices fibraeque omnes ſtirpitus evelli, ſemperque ſibi conſtans antiquitatis veritas conſtabiliri queat.

Ergo Pars prior in eo verſabitur, ut oſtendatur, hodiernam S. Reſtitutae Eccleſiam (cur autem Sancta Reſtituta ſemper ad nauſeam uſque *Hodiernae* cognomento non temere a me donetur, alibi (3) cauſa dicetur) hodiernam inquam S. Reſtitutam illius ipſius veteris Stephaniae ſive Cathedralis ſuperſtites reliquias continere. Pars altera novum Cathedralium duarum, quod nuper ex Romanorum cauſidicorum officina emerſit, ſyſtema evertet: proinde uſque ad ſaeculi XIV. initium (quo nova hodie Cathedralis ſtetit) praeter Stephaniam (quae hodie *S. Reſtituta* vocatur) nullam fuiſſe aliam Eccleſiam primatu cathedratico inſignem, docebit: ac ne multis, Cathedralem Neapo-

(3) Ejus inquam rei ratio infra Cap. IV. a me producetur: quae tamen (ut verbo dicam) eo redit, nempe quod huic, de qua loquimur, baſilicae hodiernae *Sanctae Reſtitutae* nomenclatura non niſi ultimis temporibus recens acceſſerit, neque id vero ante XIV. ſaeculi initia, quando nova haec Cathedralis perfecta fuit: quod totum nemini antea intellectum, nunc demum ex pluribus argumentis erutum infra exponetur.

Digitized by Google

Neapolitanam sive ὑλικὴν (*materialem*) sive εἰδικὴν (*formalem*) unicam semper fuisse, demonstrabit.

Nemini interim eorum, quos supra nominavi, detractum volo: quos omnes tamquam praeceptores colo ac veneror; eorumque ipsorum, veluti aequissimorum judicum fidem atque sinceritatem imploro atque obtestor.

PARS PRIOR.

Qua ostenditur, veterem Neapolitanorum Cathedralem, sub Stephaniae sive Salvatoris nomine celebrem, haud fuisse aliam, quam quae hodie Sancta Restituta nuncupatur.

UT via ac methodo mea disputatio progrediatur; principio varia pro temporum vicibus hujus, quam adhuc quaerimus, veteris Cathedralis nomina producemus: deinde earum appellationum usum, tempora, rationes scrutabimur; ac simul eadem omnia nomina in hanc unam basilicam, quae his temporibus *S. Restituta* vocatur, olim convenisse docebimus: postremo etiam ex ultimorum saeculorum ante & post constructam hanc novam Cathedralem invariabili consensione demonstrabitur, veterem Stephaniam sive Cathedralem non alibi quam in hodierna S. Restituta quaeri debere.

CAP. I.

Varia diversis temporibus Neapolitanae Cathedralis nomina ac vices exponuntur.

ANtequam Christi Ecclesiis pacis stabilitas sub Constantino constitisset, Neapoli aut publica Ecclesia nulla fuit; aut siqua forte per vexationum gentilium (4) intervalla aliquando fuit, ea nunc certo commonstrari non potest. Itaque tunc temporis sive circiter eum locum, ubi nunc sacellum S. Mariae de Principio visitur (ubi primitivae priorum saeculorum Cathedralis rudimenta fuisse ferunt) sive in eo coemeterio, quod ad [illegible]anuarii extra moenia hodiedum Christianorum venerationi patet, sive alibi fidelium coetus egisse videntur Episcopi. At vero statim ac sub piissimo principe pax diu exoptata affulsit, prima Neapoli Ecclesia (eademque simul Cathedralis) illa fuit, quam sua munificentia Constantinus Neapoli exstruxit: quam etiam

(4) Hoc eo dicimus, quod saltem post asperam Imp. Severi infectationem, cum aliquantisper Ecclesia respirasset; excitatas aliquot in locis in publico Ecclesias, tum ex Origenis testimonio, tum ex aliis monumentis colligitur.

Digitized by Google

eumdem (quod nemo ante hoc tempus animadverterat) Divino Salvatori dicasse cap. seq. ostendetur .

1. Ergo praeter *Majoris Ecclesiae* aut *Neapolitanae Ecclesiae* generale nomen (quorum prius posteriorum temporum fuit : at alterum ab initio usque ad ultima tempora de Cathedrali nostra usurpatum reperio) primum ejus peculiare vocabulum erat *Salvatoris Ecclesia* , aut forsan interdum , *Basilica Constantiniana* .

2. Mox post annos ducentos Stephanus I. quia Ecclesiam *ad nomen Salvatoris* fecisse ab Jo: Diacono dicitur ; id de ejusdem Constantinianae , quae *Salvatori* dicata initio a Caesare fuerat , refectione intelligendum esse demonstrabitur . A quo tempore Neapolitana Cathedralis , non tantum *Salvatoris Ecclesia* , ut antea vocabatur , verum etiam ab suo auctore novum *Stephaniae* vocabulum adepta fuit . Nisi vero Joannis Diaconi verba ita sunt capienda , ut *Stephaniae* nomen ad Stephanum II. octavi saeculi praesulem sit potius referendum , uti in loco videbimus .

3. At deinde sequentibus saeculis variae subinde ejusdem Cathedralis appellationes exortae fuerunt . Nam praeter *Majoris Ecclesiae* tunc magis usitatum vocabulum , eadem Cathedralis post fere oblitteratum *Stephaniae* nomen , saepe *Ecclesia S. Januarii* , vocitata fuit . Et haec nomina usque ad finem XIII. saeculi aut initia quartidecimi obtinuerunt .

4. At demum ubi sub Carolo II. Andegavensi nova haec , quae nunc visitur, Basilica stetit, ea sive *Major* aut *Neapolitana Ecclesia*, sive Archiepiscopium , sive tandem ad ultimum Aedes Virginis Assumptae appellabatur ; dum interim quod ex vetere Cathedrali detruncata reliquum fuit , id Canonicis pleno jure concessum ; *S. Restitutae* , aut *S. Mariae de Principio* vocabula cum prioribus ante dictis nominibus commutavit .

Haec vero quae nunc paucis uno sub aspectu proposuimus , juvabit jam latius , ac sigillatim exponere .

CAPUT

CAPUT II.

De Constantiniana sive Salvatoris Basilica.

SECTIO I.

Constantinianam basilicam sive Cathedralem a Constantino Salvatori fuisse consecratam, ex Insula Salvatoris quam ei attribuit, & ex apertissimo Chronici Vulturnensis testimonio nunc primum ostenditur.

PRaeter basilicas plurimas, quas Constantinus Romae & alibi condidit, etiam unam Neapoli erexisse narratur in vita S. Sylvestri, quae in Libro Pontificali exstat: quae vita cum antiquioribus aliis octavo (5) saeculo prodiisse dicitur. Ergo ejus vitae auctor de Neapolitana basilica sic scriptum reliquit. *Eodem tempore fecit basilicam beatissimus Constantinus Aug. in urbe Neapolitana, cui obtulit & dona haec.* Quae dona mox ita sigillatim enumerat, ut ad extremum *Insulam* Ecclesiae a se constructae ab illo donatam tradat. *Insulam*, inquit, *cum Castro praestantem solidos octoginta*. Hanc porro *Insulam* haud aliam fuisse a *Nesida* (quae vox Graece *parvam insulam* significat) alio in opusculo (quo de *Insula Salvatoris* & *Castro Lucullano* accurate agimus) demonstravi. Et certe insula *Nisida* (sic enim corrupto nunc vocabulo dicitur) usque ad saeculum XVI. in patrimonio mensae Archiepiscopalis erat, uti reperio apud Chioccarellum in Archiepiscopo Francisco Carrafa pag. 321. quae possessio ab ipso Constantino, qui donaverat, per XII. amplius saecula perduraverat. Quorsum haec? inquis. Quia etti basilicae Constantinianae titulum nullum auctor libri Pontificalis prodidit; non alium tamen quam *Salvatoris* fuisse titulum, ex eo possumus intelligere, quod Nesis (hodie *Nisida*) tum ab Joanne Diac. in S. Athanasio, tum etiam ab auctore vitae longioris ejusdem Antistitis, *Insula Salvatoris* (uti plenius in suprascripto opusculo demonstravi) appelletur. Cur autem sic insula illa vocabatur, nisi quia Ecclesiae *Salvatoris* a Constantino factae ab eodem principe donata fuerat? Hinc igitur discimus, Constantinianam basilicam jam ab initio *Salvatoris* fuisse dictam, sicuti & insulam ei basilicae dono datam, *Insulam Salvatoris* ob id vocatam fuisse, illam scil. quam Vita Sylvestri absolute *Insulam* vocat.

Verum

(5) Legatur doctissima Emman. Schelestratii Dissertatio de Pontificum Rom. catalogis cap. 8. num. 1. 2. ubi vitas ab S. Petro usque ad Constantinum Papam simul junctas post Constantini mortem (quae anno 714. contigit) ab auctore aequali ex antiquis catalogis & Ecclesiarum tabulariis contextas, cujusmodi hodie leguntur, primum prodiisse ostenditur.

Digitized by Google

Verum quid argumentis utor, cum Neapolitanae Conſtantinianae titulum haud alium, quam *Salvatoris* fuiſſe, diſertiſſimis verbis doeuerit antiquus auctor libri I. Chronici Vulturnenſis? quem quidem librum primum haud ſerius nono (6) ſaeculo ſcriptum oportuit. Exſtat id chronicon to. I. ſcriptorum Italiae Muratorii Parte ſecunda: in quo pag. 350. traditur exſtruxiſſe Conſtantinus *In civitate Neapoli Eccleſiam SANCTI SALVATORIS mirae pulchritudinis; in civitate Capuana Eccleſiam in honore Apoſtolorum, quae dicitur Conſtantiniana, & (alteram) Stephani (7) Protomartyris.* Fruſtra igitur ſe Neapolitani ſcriptores delaſſant, dum Neapolitanam Conſtantinianam baſilicam alii alibi (8) fruſtra quaerunt: nec enim in eorum manus Vulturnenſe chronicon venerat, quod non aliam quam *Salvatoris Eccleſiam* ab Auguſto aedificatam docuit, nempe eamdem illam, quae poſtea a Stephano Epiſcopo refecta, *Stephaniae* nomen adepta fuit.

Et quidem qui Chronici Vulturnenſis illud principium exaravit, peridoneus ad fidem faciendam erat, non tantum quia ſaeculo IX. ea ſcribebat, verum etiam quia in rebus Neapolitanis minime hoſpes (9) eſſe

(6) Chronicon Vulturnenſe Joannis Monachi (qui extremo ſaec. XI. & XII. incipiente vixit) nomen praefert. At fatendum eſt, quae initio chronici Autperto [is eſt ſcriptor notiſſimus Ambroſius Autpertus qui anno 778. obiit] tribuuntur, ea Autperti illius, cui adſcribuntur, omnium conſenſu eſſe: deinde reliquum libri I. aut a Petro quodam ejuſdem & ſequentis ſaeculi monacho, aut ab alio certe IX. ſaeculi ſcriptore contextum videri. At vero Joannis monachi [cui vulgo totum id chronicon adſcribitur] induſtria videtur tantum ab Aiſtulfi diplomate, quod lib. I. pag. 351. reperitur, procedere. Itaque praecedens narratio de Conſtantino auctore Eccleſiae S. Vincentii [cui narrationi notitia Neapolitanae Eccleſiae a Conſtantino fundatae inſeritur] aut Petrum aut alium IX. ſaeculi monachum auctorem habet: quae poſtea fragmenta Joannes monachus ſuo chronico intexuit. Videatur de hoc chronico Chioccarellus in Epiſc. Neap. pag. 119. Mabillonius in Annal. Benedictinis.

(7) At Capuani recentiores ſcriptores Eccleſiam tantum Apoſtolorum a Conſtantino factam ſcripſerunt; alteram vero *S. Stephani* a S. Germano Epiſcopo aedificatam conjecerunt: certe quod eos hujus chronici locus, quem adſcripſimus fugerat.

(8) Nam alii Eccleſiam, quam hodie *Sanctor. Apoſtolorum* vocant, a Conſtantino exſtructam voluerunt; cum tamen ex Joanne Diac. in Sotere [qui XVIII. numeratur] conſtet ab hoc demum Epiſcopo eam aedificatam fuiſſe Eccleſiam. Ad haec alii S. Joannis Majoris baſilicam Conſtantino auctori tribuunt: cum tamen ejus auctor Vincentius Epiſcopus fuerit, teſte eodem chronographo, qui eum XXIII. numerat. Sic nec S. Georgius Major, nec S. Maria Major Conſtantiniae ſunt, quia illa Severum, haec Pomponium Epiſcopos auctores habent.

(9) Res Neapolitanas monachis Vulturnenſibus apprime notas eſſe oportuit, utpote in aula Ducum Neapolitanorum verſatis, ac multa Neapoli & in vicinia poſſidentibus. De Waldo Liburiano ab iis prope Patriam poſſeſſo vide pag. 336. col. 2. Videantur [pag. 431. & 446.] Joannis & Marini Ducum Neap. confirmationes quarumdam donationum. Poſtremo, ne multus ſim, legatur lib. 4. pag. 415. donatio Majoni Abb. Vulturnenſi facta a Petro tribuno Neapolitano anno 870. qua hic bona ſua ſita in vico *Quamcoraria* regionis Furcillenſis eid. Abbati donat. Ibidem aliae donationes a Neapolitanis eid. Majoni factae referuntur: *Ubi* [ait Chronographus] *& Eccleſiam in honore beatiſs. Vincentii* [Majo] *conſtituit*

Digitized by Google

esse debuit. Ergo quum eo tempore Vulturnenses monachi frequentes Neapolim peterent, ibique cellam sibi peculiarem incolerent; necesse est eos a Neapolitanis didicisse, Cathedralem basilicam (quae jam illo tempore tum *Stephania*, tum etiam *Salvatoris Ecclesia* vocabatur) illam ipsam fuisse, quam primitus Constantinus Neapoli Divino Salvatori dicaverat.

Nec mirum si Salvatori potissimum ea erecta a Caesare fuerit: propterea quod cum jam is Romae maximas atque praecipuas fecisset basilicas, Lateranensem Salvatori dicatam, adhaec Vaticanam, & via Ostiensi tertiam in Apostolorum memoriam; earum cognomines duas extra Romam esse voluit, unam Capuae in honorem Apostolorum, Neapoli alteram Salvatori sacram. Nisi vero si qui sunt, qui parum fidei chronico huic adjungant: in quorum gratiam pauca quaedam ima (10) in ora subjeci. Ceterum quae ex Joanne Diac. objici possent, ea seq. sectione discutiam.

SECTIO II.

Difficultas, quae ex chronico Joannis Diac. oriri potest, proponitur diluiturque.

ET tamen ut sincere agam, non dissimulabo Joannis Diaconi nostri locum, qui turbas ingentes ciet. Is in Episcopor. chronico, in Zosimo Episcopo Constantinianas basilicas intra extraque Romam paucis hisce verbis complexus est: *Ipse autem fecit Romae, ubi baptizatus est, basilicam Beati Johannis Baptistae: quique inter alias constructas Ecclesias, etiam & [illegible] urbe Neapoli basilicam fecit, asserentibus multis, quod Sancta RES[illegible]VTA fuisset.* Ex quibus vides, nono extremo, aut vix ineunte decimo saeculo, quo chronicon a Joanne scriptum alibi demonstravimus, haud plane constitisse, quaenam basilica Caesarem

stituit [quae S. Vincentii Ecclesia demum Fratribus Eremitis S. Augustini concessa, ac laxius exstructa, in nomen *S. Augustini della Zecca* transiit] *cui diversas possessiones contulit, illamque pingere & dedicare fecit.* Nec dubium est, quin huic Ecclesiae *Cella* sive *Obedientia* aut *Grangia* [sic minora monasteria tamquam colonias nuncupabant] adjuncta fuerit, quam monachi Vulturnenses indesinenter incolerent.

(10) Qui si objecerint, Vulturnensem chronographum, utpote ab aevo Constantini remotiorem, videri inidoneum, qui de rebus ab eo gestis testetur; eis a me respondebitur, ea Vulturnensem scripsisse, quae sive in vetustioribus memoriis scripta reperat, sive saltem quae a Neapolitanis narrari audiebat. Ergo chronographi hujus testimonium saltem ostendit, eo tempore a Neapolitanis fuisse creditum, celebrem Salvatoris Ecclesiam, quae & Cathedralis erat, & tunc vulgo Stephania vocabatur, primitus a Constantino erectam fuisse. Quae narratio cum eo apposite consentit, quod *Insula* illa, quam Constantinus Ecclesiae ab se exstructae donaverat, ob eam causam hujus chronographi aevo & *Insula Salvatoris* vocabatur, & inter bona cathedralis re vera numerabatur.

Digitized by Google

ſarem auctorem haberet; interim tamen multos dictitaſſe, eam non aliam quam *Eccleſiam S. Reſtitutae* fuiſſe, h. e. longe aliam a Stephania ſive Cathedrali. Hanc enim ſi intellexiſſet; cur non *Stephaniae* aut *Eccleſiae Salvatoris* nomen, quo ſemper alibi utitur, uſurpaſſet? In toto certe chronico, & in aliis hujus Joannis opuſculis nuſquam alibi, praeterquam hoc uno loco *S. Reſtitutae* nomen occurrit. Quocirca luce clarius videtur, *Sanctam Reſtitutam* heic ſemel tantum a chronographo nominatam, diverſam prorſus a Cathedrali fuiſſe, quam ſemper alias ſive *Stephaniam* ſive *Salvatoris* Eccleſiam nuncupavit. Credo a me hunc locum (quem a nemine quod ſciam objectum, mihimet ultro oppoſui) adeo non enervatum fuiſſe, ut potius maximo in lumine collocatus videatur.

Ac mihi quidem in hunc Joannis locum penitius intuenti, ad ejus impetus declinandos patere tres maxime receptus videntur. I. Quorum primus ille eſt, quem in Commentario ad Kalendarium marmor. ad XVI. Maii pag. 339. & ſeq. explicuimus: qui quidem ibi fuſius legi poteſt. Etſi, ne alio lectorem amandem, in ima libri (11) ora pauca admodum adſperſi. Ad alia nos igitur convertamus.

II. Nam fuit, cum vehementer ſuſpicarer, hoc totum comma (*Aſſerentib. multis quod Sancta Reſtituta fuiſſet*) non ab Joannis manu profectum; ſed tum demum in chronographi textum fuiſſe inſutum, quando haec vetus baſilica ultimis hiſce temporibus uno *S. Reſtitutae* nomine nuncupabatur. Quo tempore ut in honorem ejus Virginis baſilicam ab Auguſto conſtructam noſtri ſuaderent, videntur verba illa in Joannis chronicon infarſiſſe. Verum ne hoc quidem ſatis probo. Nam ſi noſtri homines fraudulento conſilio chronographum adulteraſſent; quanti laboris erat rem clarius ediſſerere? Saltem pro *Multis* ſcripſiſſent *Omnibus*, aut in hunc modum: *Aſſerentibus univerſis quod Sancta Reſtituta fuiſſet*.

III. Verum ut comma totum adulterinum eſſe non mihi fit veriſimile, ſic voculam certe aliquam bona fide ab amanuenſibus additam, neceſſe eſt. Ac niſi vehementer fallor, ſic prorſus Chronographus ſcripſerat: *Neapoli baſilicam fecit, aſſerentibus multis* (ubi MVLTIS tantumdem forſitan videtur quod *Pleriſque* (*) *omnibus*) *quod reſtituta*

(11) In citato Commentarii loco verba Joannis Diaconi κατὰ πρόσωπον explicanda eſſe contendimus. *Neapoli*, inquit, *baſilicam fecit: aſſerentibus multis, quod* [ea baſilica a Conſtantino facta, illa ipſa Cathedralis, quae poſt illatas S. Reſtitutae reliquias] *Sancta Reſtituta* [vocari coepit] *fuiſſet*. Non negat igitur quin Conſtantiniana fuerit ipſa Cathedralis; ſed novum ei nomen *S. Reſtitutae* acceſſiſſe contendit. Verum hoc totum tamquam contortum ac violentum poſtea in Additamentis recantavimus, ac longe probabiliore modo chronographum explicuimus: quorum ſummam infra num. IV. reperies.

(*) MVLTIS pro τοῖς πολλοῖς h. e. *pleriſq. omnibus*; uti dixi ad XVI. Maii.

Digitized by Google

reſtituta fuiſſet. Ubi hoc ſibi plane Diaconus vult, ſuo tempore non talem ſuperfuiſſe Conſtantinianam baſilicam, qualis a Caeſare primum conſtructa fuerat, ſed qualis poſtmodum tum ab Stephano I. tum ab Stephano altero *reſtituta*, imo & amplificata fuit. Hoc ſignificare Joannes voluit. At bona poſteritas illud RESTITVTA non pro verbo, ſed pro proprio Sanctae Virginis nomine accipiens (neque id mirum: nam in Mss. paullo antiquioribus propria nomina nulla majore littera initiali ab reliquis vocibus diſcernebantur) haud committendum putavit, ut in textu chronographi beatae Virginis, quam ibi deſignari putabant, nomen ſine conſueto SANCTAE praenomine legeretur. Itaque ubi prava iſthaec lectio Joannis codices infecit; quid mirum, ſi ſimul ad pervulgatum errorem ea prima janua patuerit? quo nim. creditum poſtea fuit, in S. Reſtitutae memoriam templum ab Auguſto eſſe factum, cujus etiam reliquias ab eodem Neapolim ex inſula tranſvectas addiderunt. Habes & pravati textus ac ſimul erroris inde exorti originem primam. Nam conjecturis (12)

(12) Eodem certe illud redit, quod aliquando conjeci, nim. poſſe quidem illud *Reſtituta* non tam verbi, quam proprii Eccleſiae nominis vice fungi: ſicuti & Carthaginenſem Cathedralem ſcimus aliquoties *Reſtitutam* vocatam; uti ex conciliis Carthaginenſibus *in ſecretario baſilicae Reſtitutae* coactis diſcimus: de quibus vide Baronium ad ann. 401. n. IX. & 397. n. LIV. Quo altero loco Parens annalium, quid ſic illa nuncupata fuerit, inquirens, hanc potiſſimum affert cauſam, quod ea prius a Donatiſtis occupata, poſtea catholicis *reſtituta* fuerit. Verum quandoquidem de Baroniano hoc facto nihil traditum reperitur; illud magis crediderim, eam aliquando refectam & amplificatam fuiſſe, & ab eo tempore *Reſtitutam* vocari placuiſſe. Atq. idem prorſus & noſtrae accidiſſe Cathedrali videtur: quae poſtquam a Stephano I. laxioribus ſpatiis refecta fuit; *Reſtituta* ab eo tempore (ſumpto nim. a Carthaginenſi Baſilica exemplo) nuncupari coeperit. Hoc igitur ſi ſequimur; chronographi breviloquentiam ſic explicabimus. *Neapoli*, inquit, *baſilicam fecit*, *aſſerentibus multis* (i.e. pleriſq. omnibus) *quod* (ea non alia, quam quae poſt Stephani reparationem vocata fuit conſueto nomine) *RESTITVTA*, *fuiſſet*. Huic interpretationi & illud commodi accedit, quod non cogimur chronographi textum ſollicitare, nec illud SANCTA tamquam adulterinum rejicere. Nam ſicuti noſter Joannes in vita Tiberii, quem XLIII. numerat, Stephaniae nomen non ſine *Sanctae* praenomine uſurpavit (*Iſte quoq.* inquit, *altarium SANCTAE STEPHANIAE ex aeneis circumcinxit quintanis*) ſic idem ſcriptor eccleſiam a Stephano I. refectam vocaſſe *Sanctam Reſtitutam* videtur.

At is locus, ut alibi conqueſti ſumus, noſtros demum homines tranſverſos egit, arbitratos a Conſtantino & S. Reſtitutae virg. reliquias ab inſula huc fuiſſe aſportatas, & eidem templum aedificatum, ac *S. Reſtitutae* (virginis) nomine nuncupatum.

Scio quid adverſus hanc interpretationem ſint objecturi. Cur enim inquiunt, nuſquam alibi Cathedrali Neapolitanae *Reſtitutae* nomen ea notione tributum cernitur? Certe inquam, quia ſcriptoribus, qui ab Stephano I. ad Stephanum II. (quo tempore *Reſtitutae* nomen uſurpatum conjecimus) vixere, caremus. At poſt Stephanum II. pro *Reſtitutae* nomine *Stephaniae* nomen praevaluit. De quo nomine vide mox cap. III. Hactenus conjecturis indulſimus minime neceſſariis: nam uti ſuperne num. IV. videbis, longe aliud bona fide ad ultimum ſecuti ſumus: rati nimirum, illam *Sanctam Reſtitutam*, de qua Joannes Diac. loquitur, ab hodierna *S. Reſtituta* fuiſſe diverſam, imo fuiſſe quoddam oratorium illi virgini dicatum, & hodiernae S. Reſtitutae (i. e. Stephaniae) adjacens.

Digitized by Google

aliis, praesertim eodem redeuntibus nolo lectorem obtundere.

IV. Postremo libentissime dabimus, hanc Joannis Diac. *Sanctam Restitutam* (quam nempe a multis pro Constantiniana habitam tradit) diversam a Stephania fuisse. At ne sic quidem quidquam nobis impendet periculi. Nam promptum erit respondere; illam Diaconi S. Restitutam (quae diversa ab Stephania hoc est ab hodierna S. Restituta fuerit) quamdam fuisse basilicam aut oratorium Stephaniae adjunctum aut proximum: de quo s[illegible]. auctor vitae longioris S. Athanasii, tamquam ab Stephania diverso loquitur. Verum de hoc tum demum plenius ac planius edisseremus, cum cap. IV. objectioni tertiae, quae ex vita S. Athanasii conflatur, respondebimus. Ibi fatebimur, fuisse IX. saeculo & sequentibus quamdam S. Restitutae Ecclesiam a Stephan[illegible] distinctam, sed tamen eidem Stephaniae adjacentem. Eam videtur Constantinus aliquis a Magno diversus (ac facile Constantinus Constantis filius, piissimus princeps, qui post medium VII. saeculum diu regnavit) in id feciſſe, ut in eam S. Restitutae reliquias ex Enaria insula asportatas inveheret. At posteritas Constantinum hunc (cujus forsitan nomen in ea Ecclesia inscriptum erat) pro primo illo vere Magno accepit. Hinc tempore Joannis Diaconi *multi asserebant*, basilicam a Magno Constantino factam non aliam ab illa Ecclesia S. Restitutae fuisse: quod etiam postea auctor vitae longioris S. Athanasii secutus est, sic de Ecclesia illa S. Restitutae, quae olim Stephaniae adjacebat, loquens: *Quae a Constantino Imperatore, VT FERTVR, condita est*: de quo loco cap. IV. ad 3. object. disseremus uberius. Itaque (ut ad Jo: Diaconum redeam) in hac ultima responsione, utpote expeditiore ac verissima, conquiescamus: cum eo tamen temperamento, ut illam *Multorum assertionem* (quam quidem chronographus retulit, non item probavit) repudiemus.

V. Ajo igitur illam opinionem a chronographo memoratam (*Asserentibus multis quod Ecclesia ab Augusto facta, Sancta Restituta fuisset*) si quidem *Sanctae Restitutae* nomine Ecclesiam ab Stephania diversam intellexerit, prorsus falsam fuisse; nec a Diacono probatam. Falsa opinio erat, quippe falso illi fundamento nixa, quod scilicet S. Restitutae corpus ab ipso Constantino ab Enaria insula Neapolim traductum fuerit, in ejusque adeo Virginis memoriam a Magno aedificata Ecclesia. Quod quia absurdissimum esse ad XVI. Maii in S. Restituta ostendimus; falsum quoque consequens, h. e. opinionem illam pervulgatam, fuisse oportet.

Deinde nec eam a chronographo probatam necesse est: cui credo sanior plurium sententia animo infixa haerebat, nimirum Constantinianam haud aliam a Stephania fuisse. Et de hac quidem, utpote satis communi persuasione, ne verbum quidem adsperſit (sic enim

enim loqui ſolemus, ubi praeſenti ſaeculo verba facimus, nihil de ſecutura aetate ſolliciti) interim, ut eruditus videretur, admonuit non deeſse, qui opus a Conſtantino factum non in Cathedralem, quae Stephania vocabatur, ſed in Oratorium S. Reſtitutae conferrent: *Aſſerentibus* (tamen) *multis*, *quod Sancta Reſtituta fuiſſet*. Falſo tamen id aſserentibus, quia Conſtantinus, nec virginem Reſtitutam tum noſse poterat, utpote adhuc (ut alibi oſtendi) in Africa quieſcentem; nec in S. Reſtitutae, ſed in Divini Salvatoris honorem, teſte Vulturnenſi chronographo, baſilicam aedificavit.

VI. Itaque ut rem omnem in pauca contraham; prima Neapoli publica Eccleſia, quod litteris proditum ſciamus, Conſtantiniana fuit. Quumque ea (teſte chronographo Vulturnenſi) Salvatori dicata fuiſſet; eadem fuerit oportet, ac quae poſtea ab Stephano utroque reſtituta, ac *Stephaniae* vocabulo aucta, eidem Salvatori conſecrata fuit: imo eadem prorſus, ac quae hodie mutato vocabulo *S. Reſtituta* dicitur: id certe probantibus luculentiſſimis argumentis iis, quae cap. ſeq. ſect. 3. ac tota hac Parte I. producemus.

Quod ſi fingamus illam *Multorum aſſertionem* ab Joanne Diacono relatam (nempe quod baſilica a Magno Conſtantino facta, fuerit alia quaedam a Stephania diverſa: quam tamen opinionem nec Joannes Diac. adprobat, & chronograhus Vulturnenſis falſi arguit, & falſae narrationi de S. Reſtitutae Reliquiis a Magno Neapolim translatis nititur; & aliis praeterea rationibus a me cap. ſeq. ſect. I. num. II. refellitur) ſi eam inquam opinionem quamlibet falſam, tamen pro vera habeamus; ne tum quidem quidquam nobis impendet periculi; quibus hoc potiſſimum ab initio propoſitum fuit, hodiernam S. Reſtitutae Eccleſiam haud diverſam a Stephania fuiſſe: ceterum eamdem a Conſtantino factam, etſi perſuaſum habemus, tamen ſiqui id pernegant, eos pertinacia ſua frui libentiſſime ſinimus, modo ſtet veterem Stephaniam in hodierna S. Reſtituta ſupereſse.

CAPUT III.

De Stephania ſive Salvatoris Eccleſia.

SECTIO I.

Stephaniae auctor, ejuſque etymologia. Eamdem Stephaniam minime diverſam a Conſtantiniana Salvatori ſacrata fuiſſe.

DE Stephano I. Epiſcopo Neap. qui ineunte ſaec. VI. ſedit, ſic narrat chronographus Joannes: *Hic inter alia bonitatis ſtudia fecit BASILICAM AD NOMEN SALVATORIS copulatam cum epiſcopio, quae uſitato nomine STEPHANIA VOCATUR*. Haec de Stephano I. Joannes.

Digitized by Google

At idem deinde eam Salvatoris basilicam ab Stephano II. (qui post medium VIII. saeculum cathedram Neapolitanam tenuit) renovatam pluribus verbis refert, quae sunt ejusmodi in Stephani II. vita. *His ita peractis, Ecclesia Salvatoris, quae de nomine sui auctoris Stephania vocitatur, divino (quod flens dico) judicio igne cremata est. Moris enim fuit, ut Cereus sanctus enormi* (13) *mensura porrectus propter Dominicae Resurrectionis honorem a benedictionis exordio usque ad alterius diei Missam* (fort. *Missae*) *expleta sollemnia non extingueretur. Nocte igitur quadam ipsius festivitatis cum solito dimitteretur accensus, cunctis quiescentibus ignis per araneantem forte* (14) *angeriem in laquearia ipsius Ecclesiae pervenit; & sic demum aestuavit in omne aedificium. Tunc praedictus pontifex magno maerore infectus, consolari nequibat. Sed Omnipotens . . . tandem sua ineffabili pietate triste cor tanti patris laetificare dignatus est. Ac deinde totius populi forti roboratus adjutorio, eamdem renovavit ecclesiam, versibus* (15) *ad instar phoenicis descriptis. Ad cujus etiam insti-*

(13) De *Cereo Paschali* plura a viris doctis notata in unum contulit Cangius in suo Glossario. At de magnitudine tacuit: quam vere tunc enormem fuisse, & hinc colligitur, & in primis quod eum justi moduli columna sustineret. Duas hujuscemodi vidi columnas: Salerni unam, quae adhuc amboni adhaerebat, ejusque altitudinem aequabat; ex ambone enim cerei benedictio peragebatur. Altera in Capuae cathedrali jacebat: quam postea Card. Nicol. Caracciolus, cathedralem reficiens, ante fores atrii erectam, in medio areae collocavit. Haec tota in orbem effigiata, ipsius cerei benedictionem, ceteraslq. Sabbati caeremonias exhibet.

(14) Muratorius corrigit, *Per araneorum forte congeriem*. Nec aliter *Corgeriem* legit Caesar de Engenio in Neap. sac. p. 16. Verum *congeries* tum dicatur necesse est, si quidem aranea converrantur in locum unum, ex iisque fiat congeries. Atqui facile *Angeriem* meo judicio, non *Congeriem* scribere voluit auctor. In Isidori Glossis: *Anger-spatharius* (junctim, haec duo vocabula scribenda sunt, sine ulla media distinctione, quam induxerunt librarii; uti ex sequenti expositione constat) *Qui*, inquit, *angit*, *idest stringit*, *spatham*. Porro perverse Graevius ad hanc Isidori Glossam pro *Anger* legit Armiger: quam correctionem & sequens expositio refellit, & Joan. de Janua ex Isidoro his verbis: *Anger-spatharius*, *ab Ango*, *quia angenter i. e. stricte spatham teneat*. Ergo *Anger* est qui stringit, *Angenter* est *stricte*. Nec mirum si aevo medio (quo verba ad libidinem prodigialiter formabantur) etiam *Angeries* in usu fuerit, h. e. *Constrictio* seu conspissatio. Ergo *Araneorum angeriem* non aliud, quam eorumdem spissitudinem interpretare.

Porro quantamlibet araneorum angeriem incendii causam fuisse, credat qui volet. Chronographus ex credulae multitudinis fama id hausit. Et ceteroqui primis conflagrationis initiis nemo testis adstiterit necesse est; nam siquis forte affuisset, aut restinguendo, aut nuntiando, aut inclamando opem tulisset.

(15) Nugatur idem Muratorius, qui versus *ad instar phoenicis* interpretatur *Hexametros ac pentametros: ex quibus*, inquit, *hexametri, repetitis tribus postremis pedibus pentametri praecedentis . . .* (veluti) *ex se renascuntur*. Nam quid sint *versus ad instar phoenicis*, ii tantum ignorabunt, qui nondum poematia Simmiae Rhodii illa, quae ad Theocriti calcem edi solent, viderunt: quorum unum πέλεκυς inscribitur, aliud βωμὸς, aliud ὠὸν, & siqua sunt alia, ita descripta, ut unum *bipennis*, aliud *arae*, rursus aliud *ovi* effigiem referant. Ergo inscriptionis suae versus Stephanus ita disposuit, ut phoenicem oculis intuentium sisterent: plane ad significandum, Stephaniam suam, sic quasi phoenicem, ex suismet favillis reparatam resurrexisse.

Digitized by Google

insigne (16) *cyburium ex argento, addens corpora quoq. Sanctor. Euticetis & Acutii martyrum ibidem, multis terris &* (17) *hospitibus donatis, cum summo honore collocavit.*

Ex quibus duobus locis plura discimus: I. Ecclesiae ab utroq. Stephano sive factae sive refectae duplex fuisse nomen; nam & *Salvatoris Ecclesia*, & *Stephania* vocabatur. *Ecclesia* (ait in Stephano altero) *Salvatoris, quae . . Stephania vocitatur.*

II. Ea vero non alia, quam Constantiniana fuit, quam nempe Constantinus Aug. Salvatori consecraverat, teste chronographo Vulturnensi: cui idem Caesar praedia plura donaverat, & inter cetera insulam Nesidem, quae ob id *Insula Salvatoris* nuncupabatur, uti cap. superiore ostendimus. Ceterum si Stephaniam a Constantiniana fuisse diversam finxeris; ecquid, rogo, causae fuit, ut Neapoli eod. loco duae exstarent basilicae eidem Salvatori dicatae, una a Constantino principe, altera ab episcopo Stephano I. erecta? Deinde si Constantiniana diversa ab Stephania fuerit, duo mihi ostendant necesse est: I. quid illa Constantiniana Salvatori dicata post Stephani primi tempora factum fuerit: II. ecqua ante Stephanum I. Neapolitana cathedralis fuerit, si quidem non illa fuit, quam Constantinus Salvatori consecraverat. Quocirca non est dubitandum, quin in chronographi de Stephano I. verbis (*Hic*, inquit, *fecit basilicam ad nomen Salvatoris*) illud FECIT tantumdem sit quod *Refecit ampliavitque*: cujus loquendi consuetudinis ab omni antiquitate affatim (18) exemplorum suppetit. Haec porro dum scriberem, in Chioccarelli similiter interpretantis locum incidi ejusmodi: *Hic* (inquit in Stephano I.) *Salvatoris basilicam . . . renovavit, atque in augustiorem formam redegit.* Vides quid illud FECIT Chioccarello interprete fuerit.

III. Porro ad nomen *Stephaniae* quod attinet; illud quidem ab Stephano auctore fluxisse, non vero a *Coronis*, quas Graeci στέφανος vocant, disertissimis verbis Diaconus docuit. Atqui cum hoc minime ignoraret antiquitas, tamen in eo sibi placuit, ut ad ejus basilicae ornamentum & olim, & ultimis temporibus *Coronae* (19) depictae

(16) Mirabile istud Stephaniae ciborium accurate descripsit Raynerius. cujus locum Adnot. 21. producam.

(17) *Hospites* aevo medio villarum incolae intelligebantur, aliter *Mansionarii* appellati, qui domos sub censu annuo incolebant. Differebant a servis, seu glebae adscriptis: imo potius colonis accensebantur.

(18) Ab remotissima usque antiquitatis memoria repeti exempla possunt: veluti quod Semiramis Babylonem, Dido Carthaginem fecisse dicuntur, certe quia ambae urbes illas refecerunt & amplificaverunt. Nec porro ultimis temporibus ubi basilicae S. Petri constructionem exorsus Julius II. Papa dicitur, aliud quam renovatio & amplificatio ejus basilicae, quam Constantinus fecerat, intelligitur. Verum ineptus sim, si de congerendis hujusmodi exemplis laborem.

(19) Saepe hujuscemodi coronarum Joannes chronographus mentionem facit. Veluti

Digitized by Google

pictae viscrentur. Illud magis miror, quid nostris nuperis auctoribus, Chioccarello, Caracciolo & aliis, venerit in mentem serio dubitare, utrum re vera a *Coronis* illis an ab *Stephano* conditore (20) *Stephaniae* nomen sibi basilica quaesierit: quasi de eo nos ambigere sineret Joannes Diaconus. At illud potius venire in controversiam poterat, ab utro duorum Stephanorum ea *Stephaniae* nomenclatio fluxerit: de quo nos ad Kalendarium marmoreum ad XI. April. in Stephano episcopo ita disputavimus, ut probabilius ab altero Stephano deduceremus vocem. Vide ibi dicta. Quod quidem Stephaniae nomen usque ad XI. ac XII. saeculum in usu fuit: quo tempore Raynerius, ut alibi dicam, *Stephaniae* meminit, eamque pulchre (21) descripsit.

SE-

luti cum episcopum Tiberium scribit in Stephania *multas coronas* feciſſe, & S. Athanasium eidem Stephaniae dono dediſſe argenti libras octo & quadraginta *ad magnas breveſque fabricandas coronas & alia ſacra vaſcula*. Et ab eo certe manavit (ut alibi infra sect 3. dicetur) ut & olim & nunc quoque in Apside basilicae S. Restitutae Seniores visantur coronas offerentes.

(20) Stephaniam *ex nomine ſui auctoris* sic appellatam fuisse, in utroque Stephano chronographus dixit. Ac praeterea indoles ipsa vocis *Stephaniae* id aperte demonstrat: nam si a *coronis* id nomen ducatur, fiet στεφανίτης, & fem. στεφανῖτις; aut στεφανεῖος, στεφανεία; & στεφανικὸς στεφανικὴ: at si a proprio *Stephani* nomine; recte στεφάνειος dicetur unde vox στεφανείας; h. e. *Stephaniae* ecclesiae, ut ad Kalendar. marmoreum die IX. April. in S. Stephano Adnot. 61. animadvertimus. Postremo familiare id fuit, planeq. perpetuum ut basilicae ab suis auctoribus nomen sibi quaererent. Celeberrima Mediolani *Ambroſiana* fuit, Romae *Liberiana*, *Damaſiana* &c.

(21) *Rayneriana Stephaniae deſcriptio exponitur*. Bifidum sarcophagum, *ſeu* Bisomum. *Putativa* Ambonis *etymologia Quid* Peristerium? *Locus obſcurior corrigitur & illuſtratur*. *De rebus tribus diſtinctis*, Ciborio, Peristerio & Columba. *De ſerverſa ſaeculi hujus Ciboriorum Euchariſtiae forma ac ſitu juſta expoſtulatio*.

Raynerius in Translat. SS. Eutychetis & Acutii ex urbe Puteolana Neapolim facta sub Stephano II. Episcopo (qui Raynerius, ut infra ostendam, haud antiquior XI. saeculo esse potuit) prodit suo tempore adhuc *Stephaniae* nomen obtinuisse, quam & eleganter describit. Non gravabor locum, alioqui longiusculum, huc integrum adscribere. *Stephanus vero Neapolitanae urbis antiſtes, inter cetera Eccleſiae ſuae collata ornamenta, non parvo labore ſtuduit praefatorum SS. MM. Euticetis & Acutii transferre venerabilia corpora. Et ut urbs* (Neapolis) *quae pro innumeris annorum curriculis mentionem temporalis amiſerat ſuae novitatis* (h. e. post tot saecula, adhuc Νεάπολις, id est *urbs nova* praeter verum vocari videbatur: frigidissimum acumen!) *nitens moenibus aedificiorum, ac ſanctorum corporum reliquiis inſignis, horum etiam laetaretur adjuvari praeſidiis; haec quoque corpuſcula favorali admodum laude proſequentium civium, ac mirifica pompa jubilantium clericorum, alterius* (ſupple urbis Puteolanae paene deſtructae, ac tunc SS. corporum ornamento privatae) *abiato vertice, in STEPHANIAE delata gratanter aſylum, integri marmoris bifidum intromittuntur ſarcophagum*. Obiter adnotabo, in vera horum commilitonum elevatione ab eminentis. Archiep. Josepho Spinello facta, repertos esse Martyres in *bifido ſarcophago*, ut verbis hujus auctoris utar. *Biſomum* id in antiquis marmoribus nuncupatur. Porro sic sequitur. *Quod* (sarcophagum) *penitus imae telluris ſolo de foſſo, ſubterranea domus dolatis a tificum manu lapidibus laevi* (pro merito) *recepit veſtigio. Cujus clauſtri prominens pulchritu-*

dine

Digitized by Google

SECTIO II.

Ubinam ea Stephania sive Ecclesia Salvatoris posita fuerit. Eam in hodiernae Cathedralis cruce non fuisse sitam.

NIc. Carminius Falconius (uti cap. primo Adnot. 2. observavimus) gloriatur se omnium primum docuisse, Stephaniam diversam ab ea fuisse basilica, quae hodie S. Restituta vocatur. Absit verbo invidia. Nos certe hanc tantam novitatis gloriam ei non invidemus. Sic enim sumus. Sicuti quae in rerum natura penitus abstrusa latent, ea ratiocinando in lucem expromere, id in laude maxima ponimus sic in iis, quae factis atque historia (quae per manus hominum transf-

dine decenti fastigium, columnis (in) *ambitum purpureis, sculptarum vario schemate figurarum insignitum, argenteum bajulat, quod vulgo ciborium dicitur, nitens pyrasterium* (legendum est *peristerium*, ut infra exponam) *sub cujus umbraculo Altare similiter statuit argenteis undique redimitum tabulis: quod mundi SALVATORIS gratiae* (melius *gratia*) *& vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine Sanctorum gaudet se esse refertum. Penes autem psallentium Deo agminum sedes quibusdam lapideis cochleis lector scandens, argenteo pergyum, Antistitis studio, ambiri se cernit analogio.* Porro *Analogium* idem est quod *pulpitum, ambo*: vide Dufresnium. At illud *Ambiri* quo pertinet? Ad *Ambonis* falsam etymologiam eo tempore adoptatam haud dubie alludit. *AMBO* (ait Walafridus Strabo de Reb. eccles. cap. 6.) *ab AMBIENDO dicitur, quia intrantem ambit & cingit.* Hinc ait noster, *Argenteo.. ambiri se cernit analogio.* At quod Analogium sive Ambonem argenteum fuisse memorat, in eo consentit Paulus Warnefridus de Chrodegango Metensi episc. *Construxit etiam ambonem auro argentoq. decoratum.* Postremo Analogium istud a Raynerio hic descriptum adhuc exeunte saec. XVI. sub Hannibale de Capua stabat, de quo infra alibi.

Apud Raynerium vero sic postremo sequitur: *Et ut Sanctorum corpusculis satis deferret; aedes eadem igneâ flammâ combusta, praefati praesidis* (Stephanum II. intelligit) *reparata industria. Sed haec supremae magnificentiae munera . . . quae dignis laudibus lingua praedicet?*

Quod autem supra dixi, pro *Pyrasterium* legi debere *Peristerium*, jampridem id monuerat Cangius, quem vide in hac voce. *Peristerium* Graeca vox est, quam Latine interpretari possis *Columbarium*. Quid vero ex usu ecclesiastico ea vox significet, ostendit Perpetui episcopi Turon. testamentum, quo inter cetera legat *Amalario presbytero capsulam* (h. e. *casulam*: nam utroq. modo dicebatur) *unam communem de serico: item PERISTERIVM & COLVMBAM argenteam* (quae scil. ex illo peristerio seu umbraculo suspendebatur) *ad* (Eucharistiae) *Repositorium*. Nemo ignorat tum antiquitus, tum medio aevo Eucharistiam in columba argentea recondi & asservari consueviisse. Ea columba ex ciborio sive umbraculo majore (quod quidem columnis sufultum Altari impendebat) olim suspendebatur, & supra sacram Mensam dependebat. At Stephanus II. praeter illud ciborium seu umbraculum majus, columnis purpureis innixum (quod hoc loco Raynerius vocat *Fastigium*) alterum minus *ciborium argenteum* (cujus & Joannes Diac. in loco initio capitis adscripto meminit) fecit, quod quidem majori subjacebat, & columbam suspensam gerebat. Ut ergo Raynerii locus intelligatur, non tantum levi correctione, verum & parenthesi est illustrandus in hunc modum. *Cujus clausuri* (h. e. *domûs subterraneae*, ut proxime vocaverat, sive Martyrii) *prominens pulchritudine decenti fastigium* (h. e. ciborium majus, in basilicis passim usitatum) *columnis* (in) *ambitum purpureis* (&) *sculptarum vario schemate figurarum insi-*

Digitized by Google

transmittitur) continentur , vetera sectamur unice: nova non alio nomine , quam quia nova sunt , falsi suspecta habemus . Nam si ostensum fuerit, nostrorum majorum primos usq. ad aetatem ultimam ibi Stephaniam agnovisse , ubi nunc S. Restituta dicitur, ecquid dubitamus id esse sequendum ? Verum de majorum consensu infra cap. VI. dicetur . Nunc si quaeramus , ecquid Falconium , ac deinde Serfalium impulerit , ut Stephaniam ab hodierna S. Restituta distinguerent ; non alia certe causa reperietur , quam quia eas tamquam duas diversas basilicas auctor vitae S. Athanasii distinxerit . Verum huic argumento cap. seq. abunde respondebitur . Nunc ad alia properabimus .

Videamus enim , ubinam hi nuperi duo (quos saepe nominavi , ac numquam nisi honoris causa appellatos a me volo) architecti Stephaniam seu Salvatoris Ecclesiam metati fuerint . Ibi , inquiunt , Stephania erat , ubi nunc novae Cathedralis sub Regibus Andegavensibus erectae visitur transversa navis , quam vulgo *Crucem* dicunt , at olim aevo medio vocabant *Cancellum* , ut in hac voce in Fresnii Glossario docetur . Atqui id stare nullo modo potest . Quid ita ? Quia tum Falconius , tum etiam Serfalius viam publicam quamdam inter hodiernam S. Restitutam (quae quidem basilica olim longius in meridiem protendebatur) interque designatam ab se novo in loco Stephaniam inter-

insignitum , argenteum (sub se) *bajulat (quod vulgo ciborium dicitur) nitens Peristerium.*

Non piguit illustrasse hunc locum , ut ex eo intelligas , quibus gradibus introducta hodiernorum *Tabernaculorum* consuetudo fuerit . Antiquitus ciboria h. e. umbracula magna columnis sustentabantur in Altaris & Reliquiarum decus atque ornatum : cujus generis ciborium majus columnis quatuor innixum , dumtaxat unum hodie Neapoli visitur in vetere Ecclesia *S. Mariae ad Capellam* , quam Canonici Regulares possident . Sed alibi plura adhuc supersunt . Deinde ubi palam Eucharistia asservari coepit ea in columba aurea aut argentea condebatur , eaque columba ex eodem ciborio suspensa dependebat . At deinde praeter ciborium majus structile , minus alterum ac plerumque conflatile repertum fuit , majori subjiciendum , quod *Peristerium* vocabatur , ex quo eadem illa columba dependebat . Et istud quoque Peristerium in morem majoris undiq. patens erat . At ultimis demum temporibus repertum fuit , ut haec *Peristeria* in parvi templi testitudinati morem ex omni parte concluſa essent : quae tum antiquo nomine *Ciboria* , tum etiam novo aptissimo vocabulo *Tabernacula* sunt appellata , eisque sua conopea seu vela praetensa fuerunt . Hactenus omnia pulchre ac decore gerebantur . At doleo quod eo nunc ventum postremo sit , ut hisce Tabernaculis jam ferme ubique sublatis , sacra Eucharistia in recessu quodam , quem sacri Canonis tabella cooperit , tamquam in antro verius quam Tabernaculo , ita penitus deliteſcat , tamquam si a paganis timeamus , ne sancta proculcent . Ita sensim sine sensu a sacrosanctis majorum institutis in deteriora dilabimur . Sed bene est quod in libris Ritualibus adhuc *Tabernaculi* nomen retinetur , ut quivis intelligat , quaenam hujus sanctissimi gazophylacii forma esse ex Ecclesiae sensu debeat . Neque vero id do operam ut tabernacula non nisi argentea esse oportere , pugnem . Sint , per me licet , lignea , sint cujusvis operis , modo munda ac decentia . Verum id contendo , ea ex perpetuo Ecclesiae more *Ciborii* seu *Tabernaculi* omnibus palam conspicui , non vero specûs (quae praesertim objice tabellae occulatur) indecoram speciem oculis objicere debere .

Digitized by Google

interceſſiſſe cenſent. Tametſi vero nullum ejus viae documentum ab iis affertur: imo nullam prorſus ibi (1) viam fuiſse primitus perſuaſum habeo; tamen age, detur ei viae locus: quid enim moramur, cum in commoda ipſi noſtra laborent? Aſſignetur inquam huic viae ſpatium. Atqui quia S. Reſtitutae aedes quaternis columnarum ordinibus, uti dicemus, conſtat; praeter mediam navim, binis hinc & inde alis cingebatur. Quo fit, ejus latitudinem fuiſſe aliquanto quam hodie majorem, aut nihilo ſaltem quam hodie minorem. Vix igitur effugies, quin via iſta (quae in hodierni obeliſci aream, uti volunt, evadebat) cum hinc S. Reſtitutam raderet; illinc ferme occiduum hodiernae *Crucis* latus ſtringere debuerit. Sive ut clarius eloquar, via illa, quam laudati metatores intermediam inducunt, impedimento erat, ne ſua illa Stephania (quam in hodierna cruce poſuerunt) latitudine ſua in occaſum porrigi ultra eam ipſam Crucem potuerit; alioqui exiguum viae publicae ſpatium reliquiſſet. At ejuſdem Stephaniae (quam uti dixi, in hodierna Cruce metantur) latitudo ne in ortum quidem ultra hodiernum ortivum Crucis ante dictae latus protendi potuiſſet. Quid ita? Quia ex illa parte oratoriis duobus (quae adhuc exſtant) uno *S. Petri* (quod nunc patronatus eſt nobiliſſimae Minutulorum familiae) altero S. Laurentii artabatur. Ergo ſi recte Stephaniae (ſi quidem ea in hodierna Cruce olim exſtiterit) formam mente concipimus; ejus univerſae latitudo hodiernae Crucis latera excedere vix aut nullo modo poterat. Itaque tota decantatiſſimae Baſilicae Salvatoris ab utroque Stephano factae latitudo palmis Neapolitanis duobus & ſexaginta abſolvebatur; totidem enim hodierna novae Cathedralis Crux in latum ab ortu in occaſum patet.

Atqui, amabo te, in tantula latitudine quis quaternis (quo in S. Reſtituta ſunt; cui Stephania, utpote Cathedralis, concedere non debuiſſet) aut ſaltem binis ordinibus columnarum locus? Aut (quia certe columnas in Stephania fuiſſe, plura diſerta Joannis diac. loca oſtendunt) columnas in ea ſeptempedales ſtatuant neceſse eſt, quales vix in Ciborio Altaris, aut in Baptiſterio locari decuiſſet.

Jam vero quia vetuſtiorum illius aevi Eccleſiarum forma carebat illa transverſa navi, quam hodie *Crucem* vocamus; ex eo fit, antiquas baſilicas, ſi quaternis columnarum ordinibus procederent, ferme quadra-

C

(1) Ex diplomate Eugenii IV. per quod anno 1440. Eccleſia S. Andreae cum vicino Hoſpitali S. Athanaſii coaceditur hodierno Hoſpitali Adnuntiatae (quod diploma ad calcem hujus opuſculi inter monumenta edetur) intelligitur, eccleſiam S. Andreae fuiſſe proximam turri campanariae hodiernae cathedralis. Ergo cum aliunde ex chronico S. M. de Principio conſtet, in loco ubi nunc S. Januarii theſaurus eſt, fuiſſe Stephaniae (quae nunc *S. Reſtituta* dicitur) atrium; non potuit alio verſus Hoſpitale illud porrigi, quam in orientem ſolem. Quare nullus prorſus ibi relinquitur viae locus. Sed viſe ſis Diploma illud in fine hujus opuſculi.

Digitized by Google

dratas fuiſſe ; ſin binis, haud multo tamen longiores exſtitiſſe, quam latiores. Exſtant adhuc veteres cathedrales, aut nobiles baſilicae, quae eum quem dixi modulum oculis ſubjiciant. Itaque egregia iſta (cujus nim. magnificentiam Joannes diac. & Raynerius extollunt) Falconii Stephania cum in latum duobus & ſexaginta palmis patuerit, in longum non multo pluribus porrecta fuerit neceſſe eſt. Habeant ſibi igitur egregiam iſtam atque admirabilem baſilicam, ac, ſi ſuperis placet, Stephani II. Epiſcopi & Ducis, ſimulque populi Neapolitani (de cujus collatitia ſtipe monet chronographus) magnificentiae parem. Nos interim S. Reſtituta hodierna delectemur: cui ſi alas extimas, & quod detruncatum ex longitudine fuit, addideris, non imparem proceribus ac populo Neapolitano Eccleſiam fuiſſe reperiemus. Hactenus ea attulimus, quae ſuadeant, in hodierna novae Cathedralis tranſverſa navi, ſeu *Cruce* Stephaniam immerito collocari.

Niſi quod illud neſcio cur ſcribenti exciderat: quod nunc pauciſſimis attingam. Illa ipſa S. Andreae Eccleſia & S. Athanaſii hoſpitale (de quibus proxima Adnot. I. mentionem feci) cum in proximo turris campanariae ſita eſſent; non tantum videntur viam, de qua ſupra, ſuſtuliſſe de medio, ſed & partem hodiernae Crucis occupaviſſe; nec ibi locum commentitiae baſilicae reliquiſſe. Nec mihi alia de cauſa S. Athanaſii hoſpitale intermiſſum videtur, quam quia pleraque hoſpitalis ejus ſpatia hujus novae Cathedralis fabrica occupaviſſet. At reliqua poſtmodum ab Eugenio IV. hoſpitali Adnuntiatae adnexa fuerunt. Verum de his ad ipſum Eugenii Diploma in opuſculi calce commentabimur.

SECTIO II.

Qua eamdem Stephaniam haud aliam ab hodierna S. Reſtituta prorſus fuiſſe oſtenditur.

AGe jam, eamdem in hodierna S. Reſtitutae Eccleſia modis omnibus eſſe agnoſcendam demonſtremus: neque id tantum ex perpetua, maxime ultimorum temporum, traditione (de qua cap. VI. dicam) verum etiam I. ex antiquo Salvatoris vultu, qui hodie dum in S. Reſtitutae apſide colitur: II. ex coronarum pictura ibidem conſpicua: III. ex antiquiſſimo Baptiſterio: IV. ex ejuſmodi columnarum ſymmetria & rationibus, quales Stephaniae tempora decuit: V. ex vicinitate veteris *Epiſcopii* (uti loquitur Joannes diac.) h. e. antiquae Epiſcopalis domus.

I. Argumentum de Salvatoris vultu adhuc ſuperſtite.

I. Atque ut a vultu Divini Salvatoris exordiar. Neapolitanam cathedralem non tantum *Stephaniam*, ſed & *Salvatoris Eccleſiam* olim fuiſſe vocatam, nemo eſt in patriis originibus uſque adeo hoſpes, qui adhuc igno-

Digitized by Google

ignoret. Hoc mille locis Joannes diac. hoc chronicon Vulturnenſe (cujus locum cap. 2. deprompſimus) hoc ceteri ſcriptores noſtri conſecutae aetatis teſtantur. Sic autem dicebatur, quia ſicuti in Lateranenſi baſilica a Conſtantino eidem Salvatori dicata imago Salvatoris in pariete depicta tunc primum populo Romano apparuit; haud ſecus in hac Neapolitana ab eodem Caeſare eidem Servatori conſecrata conſimilis Divini Salvatoris effigies in ſumma tribunalis parte, ſive coloribus ſive opere muſivo, expreſſa viſebatur. Atqui hodie dum in hodierni S. Reſtitutae templi apſide vultus Salvatoris effulget, non idem plane qui a Conſtantino M. effictus fuerat (qui enim poſſet, cum poſtea baſilica pluries refecta & amplificata fuerit?) ſed certe antiquiſſimus, & ab reliquo totius corporis artificio diverſiſſimus; ita ut non ſit dubium, quin is vultus ab ea imagine, quae olim ante novam cathedralem ſaeculo XIV. erectam, in hac Salvatoris baſilica ſive Stephania colebatur, revulſus integer fuerit, atque in novam Divini Servatoris effigiem, quae operis longe recentioris nunc in apſide ſumma cernitur, apte inſertus fuerit. Ea univerſa mutatio quandonam quibuſve de cauſis facta fuerit, divinare magis, quam certo demonſtrare poſſumus. Quod totum ne properantem lectorem morer in ſubjecta (22) Excurſione diſcutimus. Ex hoc igitur Di-

 vini

(22) EXCVRSIO *De antiqua Divini Servatoris effigie, quae in apſide S. Reſtitutae adhuc viſitur. Obiter ſitus apſidis & alia plura ejus baſilicae exponuntur.*

Hanc venerandam imaginem duae res generis inter ſe diverſi componunt, nim. Salvatoris vultus in lignea tabella perantiqua depictus aptoque loco affixus, & ceterum corpus in ſumma apſide coloribus expreſſum. Utrumq. horum fuiſſe antiquiſſimum demonſtrabitur. Quod antequam oſtenſum eo; quaedam mihi in anteceſſum de ſitu apſidis, ambonis, altaris animadvertenda cenſeo.

SECTIO I. *An hodiernae S. Reſtitutae tribunal eodem nunc ſitu ſit, quo antea fuit. De ambone & Altari.*

Fuit cum putarem S. Reſtitutae tribunal olim adverſa fronte ſtetiſſe, nec meridiem (quo nunc ejus facies obvertitur) ſed Septem triones ſpectaſſe, atque hodierno magnificentiſſimo S. Januarii theſauro olim ſive contiguum ſive proximum fuiſſe. Id cum ex quibuſdam indiciis collectum, mihi perſuaſiſſem; in eo me magis poſtea confirmaveram, poſtquam plane idem a Canonico Celano, & aliis quibuſdam noſtratibus (quos nunc non memini) exiſtimatum vidiſſem. Falconius certe ac Serſalius veterem S. Reſtitutae portam boreae opponunt, ſicuti & apſidem antiquam meridiem verſus promovent. Id ſi verum ſit, tum & illud affirmari neceſſe erit, cum ad novae cathedralis erectionem tribunal hujus baſilicae cum parte navis detruncatum fuiſſet; a Canonicis tunc apſidem alteram ex adverſo antiquae exſtructam fuiſſe, in eaque Divini Servatoris imaginem ei, quae in priſco tribunali fuerat, ſimilem fuiſſe depictam. Et jamdiu quidem hoc animo imbiberam.

At ſero tandem tum ex chronico S. Mariae de principio, tum ex Joanne Villano (qui pleraq. illius chronici in vernaculum ſermonem traduxit) tum poſtremo ex Joanne Cimeliarcha (qui utroq. ſcripto antiquior eſt) animadverti, ejus baſilicae, quae hodie S. Reſtituta vocatur, januam objectam auſtro fuiſſe, tribunal vero ibidem olim ac ſemper ſtetiſſe, ubi nunc quoque ſuam explicat frontem. Horum quae dixi monumentorum aperta loca cap. VI. producam: quo lectorem rejicio. At idem quoque hoc & ex gemini ambonis ſitu comprobatur: qui duo ambones adhuc ſub finem XVI. ſaeculi ſub Hannibale de Capua aetatem ferebant, & propiores apſidi erant. Nam in Actis Viſitationis ab Hannibale

Digitized by Google

vini Servatoris vultu adhuc superstite, vel si cetera argumenta desint, nullus relinquitur dubitandi locus, quin quae hodie S. Restitutae basilica dicitur, ipsissima Stephania fuerit, quae aliter *Ecclesia Salvatoris*, utpote ei dicata, nuncupabatur.

Postremo nequid prorsus effugii pateat, volo hoc largiri, hodiernam Salvatoris effigiem in apside summa conspicuam (de cujus antiquitate, maxime si de vultu agitur, nullus est dubitandi locus) heri aut nudius tertius esse factam. Demus hoc tantisper, inquam. At ea certe imago antiquiori alteri ejusdem Servatoris imagini haud dubie subroga-

le descriptis, ubi de Basilica S. Restitutae agitur, sic legitur: *In medio ejusdem Navis ante chorum juxta tertiam columnam in ordine a columnis juxta Altare majus* (quod tunc adhuc imo testudinis parieti haerebat) *numerando, sunt duo suggesta sive pulpita marmorea* (e regione scil. posita: quorum quodlibet tertiae columnae adjacebat: & adhuc columnis illis ejus rei signa quaedam haerent, a subtiliter contemplantibus dignoscenda) *quolibet eorum sex marmoreis columnis sustentato, pro decantandis Epistolis & Evangeliis, prout antiquitus in Ecclesia fieri consueverat.* Obiter autem hic animadvertam, duas illas tabulas anaglypto opere caelatas, quae hodie in sacello S. Mariae de Principio visuntur, in quarum una Sampsonis, in altera Josephi patriarchae historia exhibetur, videri geminis illis suggestis fuisse primitus affixas, ac tum demum revulsas, quando ea duo suggesta loco mota fuere, idque facile sub Alphonso Gesualdo, uti mox dicam. Ergo ex geminorum pulpitorum situ, (quae semper propiora tribunali esse solent, & re vera in hac basilica propiora erant) invicte probatur, apsidem eodem semper situ stetisse, quo nunc est.

Quod si a me quaeras, quandonam ea duo suggesta sublata de medio fuerint; respondebitur, tunc videri factum, quando Ara primaria, quae applicita imo parieti fuerat, in medium, ubi nunc cernitur, translata fuit: quod *extremis XVI. saeculi annis*, *Alphonso Gesualdo Cardinale* (qui anno 1596. episcopalem cathedram iniit) *Neapolitanam ecclesiam moderante*, Ant. Caracciolus pag. 157. factum refert: quo tempore S. Restitutae & S. Joannis Scribae corpora sub Altari priore reperta, sub nova Ara citeriore, ubi & nunc sunt, reposita fuerunt. Ergo quo tempore Altare in citeriorem locum transiit, quia eo situ positum, a suggestis illis duobus praefocari videbatur; tunc prorsus mihi videntur ea duo pulpita dimota fuisse. In Raynerii loco, quem superiore Adnot. illustravi, unum horum pulpitorum graphice describitur, cochleis & quibusdam argenteis ornamentis excultum, idque prousu ejus aetatis *Analogium* nuncupabatur. Vide locum.

Dixi modo, non nisi sub Alphonso Gesualdo paullo post annum 1596. Altare majus ex imo Apsidis in locum citeriorem fuisse retractum. Ergo quia prior Ara parieti haerebat; idcirco tabula quaedam depicta eo loco adhuc cernitur, in cujus medio Deipara, dextro latere S. Restituta, sinistro S. Michael Archang. visitur. Ac sane Hannibale de Capua anno 1582. hanc basilicam visitante, in postico iconis hujus riscus in muro cavatus patuit, in eoque diversae anonymorum Sanctorum reliquiae, quae postmodum eodem loco, sed paullo inferiore repositae fuerunt. Accurata totius rei tunc gestae narratio in laudatis visitationis Actis legi potest. Earumdem reliquiarum meminerat jam ante Petrus de Stephano, qui lib. *De locis sacris Neap.* (quem anno 1560. edidit) fol. 7. scripserat: *Dietro detto Altare Maggiore* (quod tunc, uti dixi, parieti adhaerebat) *v'è una cassa tutta piena di diverse reliquie fabbricata nel detto muro per li Canonici antipassati.*

SECTIO II. *De Divini Servatoris effigie, ejusque antiquitate.*

Olim cum hujus basilicae tribunal adversa fronte stetisse crederem, ac postea, ut locum novae cathedrali praeberet, detruncatum fuisse, ac postremo a Canonicis in hujus basilicae jura succedentibus positu contrario fuisse erectum: cum id inquam in animum induxissem; consequens fuit, ut antiqua Servato-

Digitized by Google

rogata fuit. Sic passim omni tempore usurpatum fuit. Ut primum antiquior aliqua effigies exolescere coepit, sive eadem superinductis coloribus renovari, sive nova in exoletae locum substitui, sed ejusdem generis, consuevit. Ergo quocumque te verteris, hoc semper manebit, non aliam quam quae hodie vulgo S. Restituta vocatur, celebrem illam Ecclesiam Salvatoris, sive Stephaniam, aut veterem Neapolitanam Cathedralem fuisse habitam.

Idque ex eo etiam confirmatur, quod in veteribus *capellarum*, uti hodie vocant, S. Restitutae iconibus, summa in icone exhibebatur Sal-

vatoris effigie, quae in priore Apside colebatur, eversa, nova haec curantibus Canonicis depicta rudi opere fuisse mihi videretur. Nunc cum eodem semper situ Tribunal constitisse apertissime demonstraverim; nulla nos necessitas urget, ut hodiernam effigiem sero h.e. circa tempora novae Cathedralis sive ineunte XIV. saeculo depictam suspicemur. Multo igitur antiquior hodierna haec Salvatoris effigies est habenda, ac plane illa ipsissima, quae ultimis Stephaniae temporibus colebatur. Nam ultro quidem fateor, Salvatoris imaginem a Constantino (opere haud dubie musivo) factam deperiisse. Nec quam Stephanus I. quando amplificavit basilicam, fingi jussit: nec quam Joannes cognomento *Mediocris* sub Justiniano ex musivo fecit (de quo chronographus: *Hic absidam Stephaniae lapsam ex incendio reformavit: in qua ibid. ex musivo depinxit Transfigurationem Domini*) imo ne eam quidem Servatoris effigiem superesse, quam Stephanus II. octavo saeculo in renovata ab se Stephania colendam proposuit, praestare audeo. Sed tamen saltem quam nunc tenemus, ea antiquior nova cathedrali est, ac prorsus talis, cujusmodi ultimis Stephaniae temporibus venerationi Neapolitanorum patebat.

Et hujus quidem effigiei caput haud dubie antiquissimum est, in lignea tabella, opere, uti vocant, Graecanico (quo opere adhuc tabellae aliquot antiquissimae in cimeliarchiis monstrantur & cujusmodi plures exhibet Fresnius ante Dissert. de nummis C.P.) Graeco inquam opere pervetusto depictum, ac parieti insertum, & cum reliqua pictura apte compositum. Qui vultus tantam gravitatem ac majestatem spirat, ut non alius θεοδοχῇ Christi personae convenientior fingi potuerit. Porro apud antiquos vera Christi effigies, ut & praecipuorum Apostolorum πατροπαράδοτος (*per manus tradita*) servabatur. Nam Christi imaginem Alexander Imp. in Lario habuit; veram utique, non ad libitum effictam. Nec post illud tempus credibile est, veram Divini Sospitatoris effigiem deperiisse Christi cultoribus. Verum hoc obiter.

Vultus igitur cetero corpore videtur haud paullo antiquior. At ne reliquus quidem truncus antiquitate remotiore caret: nisi quod anno 1592. quia priores ductus exoleviisse videbantur, novis coloribus illitis, interpolatus pessimo exemplo fuerit. At & novi colores nihilo durabiliores, passim defluxerunt. Itaque non tantum vetera lineamenta, superinductis recentibus, deperdidimus, sed & novis hisce fluxis atque caducis brevi prorsus carebimus.

Dixi Servatoris corpus, excepto vultu, fuisse anno 1592. interpolatum. Et refictum quidem fuisse, res ipsa docet. Ceterum etsi de anno renovati operis nihil usquam legi; tamen in libro quem Servator sinistra apertum gerit, adhuc post ea verba EGO SVM . . . imae pagellae deprehendi inscriptas has notas numeror Arabicas =1592. Qui certe annus non alio referri potest, quam ad Servatoris truncum novis coloribus interpolatum. Quo etiam anno totam apsidis picturam fuisse renovatam, ex eo intelligimus, quod anno 1582. cum S. Restitutae Ecclesia ab Hannibale de Capua visitaretur, tota ea pictura tam exoleta visa fuerit, ut Visitator cetera sollertissimus, omniumq. minutiarum satis curiosus descriptor, satis habuerit eam generali locutione complecti in hunc modum: *Absidis vero camera* (sive testudo) . . . *est depicta pulcherrimis & ANTIQVIS FIGVRIS*. Sed nunc tamen Angeli, qui nunc singuli utrinq. visuntur, quaeque cetera in tota cernuntur testu-

στηθάριον sive *thoracida* (sic enim imagines umbilico tenus aevo medio vocabant) Divini Servatoris. Ac doleo quod renovatis identidem S. Restitutae capellis, icones illae veteres deperierint. Verum quod dixi, tum ex antiquis visitationum actis intelligitur, tum ex marmorea una anaglypti operis tabella adhuc superstite in quadam cornu epistolae capella, in cujus tabellae fastigio protome Salvatoris scalpta visitur. Ad haec in Actis Visitationis Hannibalis de Capua in Capella S. Mariae de Principio praeter musivum opus, describitur *Parva Icon . . . cum imagine Salvatoris nostri*. In eisdem Actis inter vasa sacra S. Restitutae *Calix cum imagine Salvatoris* recensetur. Omitto quod Canonici Cathedralis in antiquis chartis *Canonici Salvatoris* plerumque vocantur, etsi non raro etiam *Canonici majoris Ecclesiae*, & interdum *Canonici S. Restitutae majoris Eccle ae*. Iidem Canonici in suo sigillo semper Salvatoris imaginem praeseferunt, & in veteribus eorumdem chartis summo in apice imago Salvatoris expressa cernitur.

Ad ultimum id quoque scire interest, ecquaenam Capella *Salvatoris Veteris* fuerit, & qua de causa id nomen sit consecuta. Capella Salvatoris veteris non antiquae Stephaniae fuit, sed hodiernae Cathedralis: nec alia profecto fuit, quam sacellum nobilis familiae Capycio-Galeotae, in quo sacello hodie Venerabile Eucharistiae Sacramentum asservatur: id quod tum ex pluribus chartis intelligitur, tum in primis ex emphyteutico contractu domus ejus capellae inito sub Archiep. Gaspare de Diano anno 1450: quod instrumentum nuper repertum loco opportuniore a me Parte altera recitabitur. Porro cur ea Capella sibi *Salvatoris* nomen quaesierit, rationem pro me reddet charta (I) altera nuper quoque reperta; ex qua docemur fuisse in eo sacello imaginem S. Sal-

testudine, sunt ita recentis operis, ut non ante eumdem annum 1592. prorsus facta videantur. Nisi vero anno quidem 1592. Servatoris tantum truncus interpolatus fuerit, cetera vero longo post intervallo.

Postremo supra confirmavimus, Salvatoris effigiem eamdem prorsus a nobis teneri, quae ultimis Stephaniae temporibus fuit. Verum age tantisper demus, recentiorem esse: at certe non alia de causa ibi depicta fuit, quam ut alteri veteri, quae antea fuisset, succederet. Nec enim inauditum est, vetustis imaginibus recentes subrogari solere. Sicuti quis negat, quin hodierna seniorum coronas offerentium pictura perquam recentissima sit? At eam alteri antiquiori suffectam, infra demonstrabitur. Quare semper id erit verissimum, in hac basilica, quae nunc S. Restituta vocatur, omni tempore Salvatoris imaginem fuisse cultam, quia haec eadem S. Restituta plane vetus illa decantata ecclesia Salvatoris, sive Stephania fuerat.

(I) *Die V. Novembris* 1598. *per Fabium & Ludovicum Capycium Galeotas principales* &c. Inter cetera . . . *Item come detta cappella in rubrica descritta è devotissima sì per l'imagine antiqua della Madonna santiss. con nostro Signore in braccio, che sta nel quadro di sopra, come per quella che si chiama del Santissimo SALVATORE VECCHIO, che sta in la cona grande di sotto con la figura di S. Attanasio alla destra, e di S. Gennaro alla sinistra, che sono pitture antique e molto divote, come anche per esservi conservati sotto l'Altare di detta cappella dui corpi di Santi, delli quali l'uno è il corpo di S. Attanasio vescovo* &c. Reliqua instrumenti hujus in calce hujus opusculi inter Monumenta reperies: ubi integrum cum sua ἀνδιστοίχῳ dabimus.

Digitized by Google

S. Salvatoris expoſitam. At poſtremo cur Salvatori epitheton *Veteris* addebatur? An quia ea imago illa ipſa vetuſtiſſima Salvatoris veteris Stephaniae fuiſſet, ideo *Salvatoris veteris* dicebatur? Non puto: nam veteris Stephaniae Salvator in apſidis fornice, non vero in tabula depictus erat: iſque adhuc in apſide hodiernae S.Reſtitutae viſitur. Accedit quod tabulae ejus, quae in ſacello SS. Sacramenti proſtabat, a dextris S. Athanaſius viſebatur: quem idcirco ibi depictum apparet, quia ejus corpus ſub Ara ſacelli ejus conditum fuit. Quocirca haud prorſus alio tempore eadem tabula depicta fuit, quam quo & ſacellum illud hujus novae Cathedralis conſtructum eſt.

Ergo cur illud ſacellum *Salvatoris veteris* vocari initio placuerit (nam ab initio ſic fuiſſe appellatum, docet emphyteuſis ſub Gaſpare Archiepiſcopo celebrata anno 1450. h. e. circiter centum triginta annis poſt hodiernae Cathedralis encaenia) cur inquam capella *Salvatoris veteris* dicta initio fuerit, ea veriſſima eſt cauſa, quod ea imago ex vetere veneranda Divini Salvatoris effigie expreſſa fuiſſet. Sic enim mediis temporibus fieri conſuevit, ut ex imaginibus antiqua religione inſignibus deſcriberentur aliae, eiſque nomen, unde fuerant expreſſae, imponeretur. Etiam in hodierna S. Reſtituta quae S. Mariae de Principio hodie colitur effigies, eam ex antiquiore fuiſſe imitando tranſcriptam, infra cap. VI. oſtenderur.

Jam vero ſubeſt & alia ratio, cur veterem Stephaniae Salvatorem in tabula effingi placuerit, eamque iconem in nova Cathedrali proponi. Nam ex vetuſtiſſimo id more manavit, quo, ubi veteri Cathedrali nova ſuccederet, praecipuae quaeque veteris imagines aut, ſi poſſet, transferrentur in novam, aut ſaltem eae omnes effigies in unam recentem picturam ex vultibus illis expreſſam cumularentur, in nova ſcil. baſilica proponendam venerationi fidelium. Sic in vetere Capua tres diverſis temporibus fuiſſe putantur Cathedrales. I. Conſtantiniana fuit a Conſtantino in honorem Apoſtolorum facta, cujus adhuc rudera ad Eccleſiam *S. Petri ad corpus* ſuperſunt. II. Illa quam S. Symmachus Epiſcopus ſaeculo V. in honorem S. Mariae dedicavit, quae integra adhuc viſitur ſub nomine *S. Mariae Majoris*: III. quam creditur S.Germanus Epiſcopus VI. ſaeculo in honorem SS.Stephani Protomartyris & Agathae aedificaſſe, cujus adhuc integra apſis & ambitus muri viſitur. Poſt autem ſolo aequatam veterem Capuam, cum Landulfus Epiſcopus in nova Capua baſilicam Cathedralem IX. ſaeculo exſtruxiſſet; in tribunalis fornice omnium ſuperiorum Cathedralium depictas opere muſivo imagines exhibuit. Nam in medio Deiparam, & in ejus gremio Jeſum parvulum (ut in Symmachi baſilica) ad dextram autem interius Petrum & exterius Stephanum, inde ad ſiniſtram Paulum ac deinceps Agatham (prout in Conſtantiniana & Germaniana fuerant) exhibuit. Pluribus exemplis abſtineo,

Digitized by Google

ſtineo, praeſertim qui ſimile quiddam in muſivo S.Mariae de Principio factum oſtendere poſſim; in quo in medio Deipara cum parvulo, hinc & inde Januarius & Reſtituta ex anterioribus imaginibus expreſſi fuere, uti cap. VI. oſtendam.

Pari ergo ratione cum XIV. ſaeculo nova Cathedralis exſtructa fuiſſet; placuit ut in hac ſacellum aliquod exſiſteret, in quo quidquid ſacratius in priore erat, colendum exponeretur. Vide ſubjectam chartam: ex qua intelliges, duas in ſacello S.Salvatoris Veteris fuiſſe icones: in ſuperiore depictam fuiſſe Deiparam, in ejuſque gremio parvulum Jeſum; in inferiore vero Divinum Salvatorem (ex illo ſcil. vetere qui in hodierna S. Reſtituta cernitur, expreſſum) hinc S. Athanaſium (cujus corpus ſub Ara conditur) inde S.Januarium patronum.Haec vero omnia ex priore Stephania huc tradu&ta fuerunt.

II. Argumentum de coronis adhuc in ſumma apſide conſpicuis.

Hujus capitis initio Sect. I. vidimus, *Stephaniae* vocabulum a Graeco Στέφανος *Stephanos*, non quatenus appellativum eſt nomen, ſed quatenus nomen eſt proprium Epiſcopi qui Cathedralem refecit ampliavitque, deſcendere. Sed quia uti dixi, τὸ *Stephanos* etiam *Coronae* appellativum eſt nomen; mirum quantum ſecuta poſteritas in ea Coronarum etymologia ſibi placuit: in qua quidem etiam antiquos ſibi olim placuiſſe, plura Joannis diaconi loca demonſtrant, ubi a variis Epiſcopis *coronas* in Stephania aut in pariete depictas, aut aureas argenteaſve oblatas, teſtatur: quod certe ad ejus nominis alluſionem pertinebat. At aetas poſtea ſecuta ſerio decertare coepit, utrum *Stephania* ab Epiſcopi proprio nomine an vero a *Coronis* nomen ſibi quaeſiviſſet. Meminit ejus controverſiae alicubi Chioccarellus, & ante hunc Caeſar de Engenio, cujus locum vide in ſeq. Adnotatione. Porro qui contendebant, a coronis id nomen hauſtum, ex ſeniorum coronas offerentium pictura fidem aſtruebant. Ea vero pictura cum hodiedum in ſumma apſide cernatur; quis dubitat, quin majores noſtri hanc, quae hodie S. Reſtituta vocatur, pro vera Stephania agnoverint?

At enim dixeris, hanc, quae hodie cernitur quatuor & viginti ſeniorum coronas offerentium pictura, admodum recentem videri, tunc forſitan factam, quando baſilicae laqueare renovatum fuit, in cujus medio eximii operis tabula, a Luca Jordano depicta, affixa fuit. Fateor quidem, ſeniores, quos nunc coronas offerre cernimus, operis eſſe novitii: at quis dubitare poteſt quin hodiernae picturae antiquior altera generis ejuſdem praeceſſerit? Aut ſiquis adhuc de eo addubitat ſaltem Caeſaris de Engenio, & Barth. Chioccarelli, qui ante hos plus centum annos ſuas hiſtorias ediderunt, luculenta (II) teſtificatione ſuam

(II) Caeſar de Engenio Caracciolus in Neapoli Sacra, quam anno 1623. edidit, agens

Digitized by Google

ſuam dubitationem abſtergat neceſſe eſt: ſimulque fateatur, non alia de cauſa coronas a ſenioribus oblatas ibi expreſſas fuiſſe, quam quod majoribus noſtris perſuaſum omni tempore fuerit, hodiernam S. Reſtitutae baſilicam prorſus eamdem ac veterem Stephaniam fuiſſe: cujus tamen *Stephaniae* nomen illi ex vulgi captu interpretabantur.

III. Argumentum de S. Joanne ad fontes, ſive de Vincentii Baptiſterio minore adhuc aetatem ferente.

Ex luculentiſſimis Joannis Cimeliarchae (qui paulo ante novam hanc Cathedralem ſub Bernardo Epiſcopo h. e. ante quingentos annos floruit) nec non Chronici S. Mariae de Principio, & Joannis Villani locis, infra cap. VI. ſect. 3. 6. 7. producendis, perſpicue intelligitur, veteris Stephaniae tribunali proxime adhaeſiſſe Eccleſiam ſive capellam S. Joannis ad Fontes. Atqui percommode ad rem noſtram fit, quod in tanta oratoriorum in proximo Stephaniae poſitorum labe, tamen ea capella non tantum adhuc ſpiritum ducat, ſed & quaſi recens floreat, ac ſimul ex antiquiſſimis muſivi operis picturis ſuam caniciem oſtentet: quae quidem haud ſecus atq; olim, apſidi templi S. Reſtitutae ἐμέτρως (*proxime*) adjacet. Age jam quis, amabo, relinquitur dubitandi locus, quin quae hodie S. Reſtituta vocatur, ipſiſſima Eccleſia Stephania fuerit? An quiſquam erit tam obſtirmati ingenii, qui ultro caecutire malit, quam luce meridiana frui?

Hoc vero S. Joannis oratorium fuiſſe unum ex Stephaniae baptiſteriis, omnia ſatis evincunt: I. *S. Joannis* nomen: II. cum additamento *Ad fontes*: III. aediculae figura cum rotunda teſtudine: IV. fons rotundus in aediculae medio, qui tamen hodie marmoreis tabellis coopertus, pedibus tranſeuntium teritur: quem etiam viſitatio Hannibalis de

D Capua

agens de ea baſilica, quae hodie S. Reſtituta vocatur (quam omnium conſenſione tunc & omni tempore pro Stephania habitam, nemine prorſus de eo dubitante, ſignificat) pag. 16. ubi *Stephaniae* nomen ab auctore Stephano, recitato chronographi Joannis loco, arceſſiviſſet; ſtatim opinionem alteram his verbis proponit. *Altri finalmente dicono, che fuſſe detta la Stefania dalla parola Greca STEPHANOS, che ſignifica Corona, e ciò per vederſi nella figura del Salvatore ventiquattro Seniori inginocchiati, i quali offeriſcono le ſue corone al Salvatore, conforme la viſione di S. Giovanni nell' Apocaliſſe.* Quae verba non ad recentem, quae nunc in pariete ſupra apſidem viſitur, ſed ad antiquiorem picturam ſunt referenda, quam diu poſt Engenium Canonici loco veteris ſubrogarunt.

Diu poſt, inquam: nam eadem vetuſtior pictura adhuc aevo Bart. Chioccarelli (h. e. anno 1643. quo ſuum edidit epiſcopor. chronicon) exſtabat; quippe pag. 42. poſt deſcriptam Salvatoris effigiem in teſtudine adhuc conſpicuam, ſic pergit. *Et exterius* (h. e. extra apſidis teſtudinem, in qua Salvatoris imaginem deſcribit) *e regione eamdem Eccleſiam* (S. Reſtitutae) *ingredientium, alia Servatoris noſtri VETVSTISSIMA effigies perſpicitur: in cujus dextero latere quatuor Seraphini, e ſiniſtro vero tres, cum ſeptem ardentibus candelabris, inferius vero ordines multi virorum, qui flexis genibus ſinguli junctis manibus coronas geſtant, eaſque Salvatori in throno ſedenti offerunt. Sed haec imago ex Apocalypſi cap. 4. deſumpta videtur* &c. Non eſt ergo dubitandum quin illius VETVSTISSIMAE (uti Chioccarellus vocat) loco poſterior haec hodierna ſucceſſerit, quam Canonici loco vetuſtioris malo prorſus conſilio ſubſtituerunt.

Digitized by Google

Capua pro *primitivae* (III) *Eccleſiae* fonte baptiſmali habuit. Vel ſi igitur teſtimonia modo a me indicata deſint; tamen inauditum eſt, tunc temporis baptiſterium alibi quam in Cathedrali fuiſſe. Si igitur haec baſilica baptiſmalis fuit, etiam Cathedralis Neapolitana ſive Stephania fuerit neceſſe eſt.

Dixeris, anguſtius hoc fuiſſe baptiſterium quam pro Neapolitana multitudine, praeſertim Sabbato Sancto ad baptiſmum percipiendum catervatim confluente. Atqui reſpondemus, facile hoc illud baptiſterium *fontis minoris* fuiſſe, quod Vincentius Epiſcopus VI. ſaeculo conſtruxit. Ceteroqui plura fuiſſe in proximo Stephaniae baptiſteria ſive Fontes, ſatis arguit illuſtris Joannis chronographi locus in Joanne ejus nominis III. (qui XXVIII. numeratur) his verbis. *Hic fecit conſignatorium ablutorum inter fontes majores ... atque Stephaniam.* Praeter hunc locum ſeria animadverſione dignum, idem chronographus in Vincentio de fonte minore loquitur. Uter vero Joannis diac. locus in Capellam S. Joannis ad fontes conveniat, ſeorſum in ima (23) libri ora diſcuſſum reperies; etſi potuiſſem ea cura ſuperſedere, ac meo jure id mihi ſumere, ut quod nunc exſtat, pro Vincentiano accipiatur.

IV. Ar-

(III) Acta Viſitationis Hannibalis de Capua ann. 1582. ubi de *Capella S. Joannis in Fontem*, ſic habent: *In pavimento* (ejus Capellae) *eſt fovea quaedam orbiculata ad inſtar fontis baptiſmalis juxta formam & uſum primitivae Eccleſiae.*

(23) *De Fontibus Majoribus Soterianis, deque Conſignatorio Ablutorum, ac Baptiſterio minore Vincentiano, adhuc aetatem ferente, loca chronographi Joannis illuſtrantur. Vincentiani Baptiſterii teſtudo opere muſivo depicta, quae adhuc ſupereſt, leviter deſcribitur.*

Chronographi Joannis locus in Epiſcopo Joanne III. (qui paullo poſt initia VII. ſaeculi iniit epiſcopatum) ex editione Muratorii (to. 1. ſcript. Ital. Parte 2. pag. 301.) integer talis eſt. *Hic fecit Conſignatorium Ablutorum inter FONTES MAJORES a Domino Sotero epiſcopo digeſtos, & eccleſiam Stephaniam: per quod baptizati ingredientes januas a parte laeva* (Chioccarellus affert *Dextera:* recte, quia mox ſequitur *Sinistrae*) *ibidem in medio reſidenti offeruntur epiſcopo, & benedictione* (*Benedictionis* involucro τὰ ἀσώδη h. e. *ſubſtantialia* uniuſcujuslibet Sacramenti opinor continentur: de Confirmatione vero hic agitur) *accepta per ordinem egrediuntur parti ſiniſtrae.* Obiter eſt heic monendum, Ughellum in hoc epiſcopo Joanne pro *Conſignatorium Ablutorum* attuliſſe *Conſignatorum Albatorum;* idque ex Ughello hauſiſſe Cangium, quem vide in *Conſignatorium Albatorum*. At Muratorius ad Joannis Diac. chron. τὸ *Albatorum* repudians, unice *Ablutorum* admittit; cum tamen utrumque rectiſſimum eſſe, quivis per ſe videat. Illud potius curae eſſe debuit, utrum horum meliores. hujus chronographi membranae exhiberent. Atqui Ughellus ſuum illud *Albatorum* deſcripſit ex Chioccarello: quem certum eſt ita in ſuo Joanne Diac. reperiſſe; alioqui non tam ſerio ad id explicandum (quod certe nemo puerorum neſcit) incubuiſſet, cur ſcil. qui baptizati fuerunt, *Albati* dicantur. Cereroqui ibid. Chioccarellus non tam anxie cetera chronographi verba affert, ſed ea propemodum in paraphraſin redigit, ut difficultates amoveat. At eam Chioccarelli paraphraſin tamquam ipſiſſima chronographi verba Ughellus recitat, & ex Ughello Cangius loco cit.

Porro ex ſuperiore Joannis Diac. loco duo maxime diſcimus ad rem, de qua agimus, peropportuna. I. Ab Sotere epiſcopo (qui poſt medietatem ſaeculi V. ſedit) *Fontes majores* ad baptizandum fuere *digeſti*: quos quidem tum demum *Majores* vocatos cenſeo, poſtquam

Digitized by Google

IV. Argumentum ex columnarum ſymmetria, & quaternis earum ordinibus petitum.

Principio meminiſſe oportet, Eccleſiam Salvatoris poſt ducentos a Conſtantino evolutos annos ab Stephano I. refectam & amplificatam

quam a Vincentio ſaeculo VI. *Fons minor* effectus fuit: de quo mox dicam. II. Capella hodierna S. Joannis ad fontes nihil cum Fontibus majorib. Soteris commune habuit; nam Soteriani fontes a Stephania Conſignatorio medio ſecernebantur; cum contra *S. Joannis ad fontes* oratorium Stephaniae tribunali teſte Jo: Cimeliarcha & aliis adhaeſerit, & nunc quoque adhaereat.

Reſtat igitur ut hodierna S. Joannis ad Fontes aedicula non aliud ſit quam *baptiſterium fontis minoris* illud, quod Vincentius ſexto ſaeculo fecit: de quo chronographus hunc in modum: *Fecit baptiſterium fontis minoris intus epiſcopio*: h. e. intra Stephaniae ambitum, quae illuc uſque pertinebat. Vox enim *epiſcopii* in hoc chronographo modo cathedralem, modo epiſcopale hoſpitium notat. At hoc loco τὸ *Intus* de Eccleſia, non item de domo, quae *Extra* erat, uſurpabatur. Pergit Joannes. *Et Accubitum* (h. e. triclinium, in quo clericos poſt longos baptiſmi ante-paſchalis, aliorumve dierum labores menſae adhiberi mos fuit) *juxta poſitum grandis operis depictum*. Ex illo porro GRANDIS OPERIS diſcretivo additamento arguitur, baptiſterium Vincentianum e contrario *parvi operis* fuiſſe, haud ſecus atque hodiernum S. Joannis ad fontes ſacellum: quod quam recte *Fontis minoris* vocetur, circulus marmoreus in ſacelli medio poſitus (qui nunc deſcenſum ad fontem obtegit) ſatis mediocris, demonſtrat.

Sane cur praeter majores fontes a Sotere extra cathedralem quinto ſaeculo neceſſario factos (magni enim, etiam gentilium, concurſus ad baptiſmi gratiam tunc adhuc fiebant) putarit praeterea Vincentius minorem etiam fontem intra ipſam Stephaniam ſibi conſtruendum, non alia videtur exſtitiſſe cauſa, quam ut eo, ſaltem extra Sabbati Sancti generale lavacrum, quoties unum duoſve neceſſitas tingi ſuaderet, uteretur.

Poſtremo hujus, de quo tamdiu loquor, minoris baptiſterii adhuc ſuperſtitis teſtudo tota depicta opere teſſellato viſitur. Quod opus muſivum maximam partem etiamnum integrum ſupereſt: niſi quod ex octo ſegmentis unum, aperto ibi lumine, dirutum deſideratur: & quod alicubi muſivum vetus ſuperinductis coloribus interpolatum cernitur; & quod duo Servatoris & Mariae ingentia capita, e regione (loco feneſtellarum obſtructarum) poſita, ante quingentos plus minus annos coloribus depicta fuerunt. At reliquum totum opus aetati Vincentii h. e. medio VI. ſaeculo congruit: dignißimum ſane monumentum, quod in aes inciſum harum rerum cupidi contemplentur. Doleo quod hoc cimelium Joan. Ciampini (qui omnia Italiae muſiva opera ad IX. uſque ſaeculum undecumq. corraſa oculis eruditorum exhibuit) diligentiam effugerit. Quo magis optandum eſt, ut exſiſtat ex Neapolitanis ἀρχαιολόγοις aliquis, qui totius hujus teſtudinis effigiem aereis formis expreſſam cum harum rerum amatoribus communem faciat; imo ab interitu vindicet, antequam fato aliquo labefactetur. Ea tota teſtudo in octo, ut ante dixi, ſegmenta cuneata diſtinguitur, in quorum ſingulis ſingulae Evangelicae hiſtoriae depinguntur, veluti Chriſti cum duobus diſcipulis Emmauntem pergentibus diſcubitus, aliaeque in orbem hiſtoriae. Quarum quae myſterium Adnuntiationis Mariae exhibet, vix differt ab earum picturarum ingenio, quae ante centum circiter annos factae viſuntur: hinc ſcil. Angelo, illinc Maria, ambobus genu flectentibus, interpoſito pluteo. Singularis eſt Mariae oris demiſſio, vultuſq. Deum ſpirans. In quatuor angulis myſtica Ezechialis animalia alata conſpiciuntur. Porro ſingulis ſegmentorum hiſtoriis ſinguli verſus inſcripti imminent, ſed vetuſtate fugientibus characteribus. Ac mihi nondum vacavit, admotis ſcalis ex figura litterarum de aevo muſivi decernere. Verum ſi quando ab harum rerum curioſis compertum fuerit, eas litteras VI. ſaeculo aliquanto poſteriores videri; tum dicemus, opus quidem muſivum poſt Vincentii tempora fuiſſe factum, at conclave ipſum cum *baptiſterio minoris fontis* ab Vincentio auctore ſine controverſia fuiſſe profectum, teſte luculentiſſimo Joan. Diacono.

Digitized by Google

fuiſſe initio VI. ſaeculi: deinde VIII. ſaeculo abſumptam incendio, ab Stephano II. iterum fuiſſe reparatam atq. operibus exornatam; & ab Stephanorum alterutro nomen Stephaniae adeptam. Itaq. in ea, quam ab his Stephanis accepimus Stephaniam (quorum aetate cum ceteris pulchrioribus artibus architectura peſſum iverat) cave exſpectes, ut eas architectonicas rationes deprehendere liceat, quas in operibus primi aut alterius Chriſti ſaeculi obſervamus. Imo percommode nobiſcum agitur, quod in hodierna S. Reſtitutae baſilica columnarum ſcapi non omnes uniuſmodi, ſed diverſorum ſint modulorum, quodque cum eisdem columnis plerumq. nec baſes nec capitula conſentiant. Nam contra dolerem, ſi cum aevo Hadriani aut Antoninorum omnia pulchre congruerent. Stephaniam enim nunc (h.e. rude & inconditum opus; quod non niſi in tanta hujus S. Reſtitutae ἀσυμμετρίᾳ agnoſcere poſſumus) non mirificum illud M. Agrippae Pantheon quaerimus.

Praeter autem hunc congruum Stephaniae characterem, qui ex perverſis architectonicae diſciplinae rationibus oritur, etiam columnarum ſeries conſideranda eſt: quae quidem in illuſtrioribus IV. V. & VI. ſaeculi Eccleſiis vix aliter quam quadruplicata fieri conſuevit. Exſtant paſſim Romae & alibi hujus quadruplicis columnationis ſpecimina: ſed ne longe abeam; ſtat hodieq. apud Capuam veterem inſignis ac perampla baſilica, olim *S. Maria Suricorum* vocata, quaternis columnarum ordinibus ſulta, ab S. Symmacho Capuae Epiſcopo, S. Paulini Nolani coaetaneo, primitus conſtructa: quam eo tempore Capuae Cathedralem fuiſſe, mihi non eſt dubium. Talem profecto (etſi tanto parcioribus dimenſionibus, quanto Neapolis metropoli Capua tunc minor erat) talem inquam & hodiernam S. Reſtitutam (cujus mutilum dumtaxat nunc truncum habemus) fuiſſe, quaterni columnarum ordines adhuc ſuperſtites praeſeferunt. Etſi nunc quidem extimae duae columnarum ſtrigae intuentibus deperiere, poſtquam ante hos octo aut decem annos viſum Canonicis fuit columnas extimas (quae hodie capellarum parietes terminant: hodie, inquam; nam capellae antiquitus nullae erant, ut alibi monuimus) poſtquam inquam placuit columnas exteriores ſtructitiis paraſtatis quadratis includere.

At ſi cum Falconio Serſalioque viris clariſſ. Stephaniam in hodiernae Cathedralis ala tranſverſa ſive cruce metari placeat; nullus prorſus quaternis columnarum verſibus locus erit, ac forſitan ne binis quidem: ſtringente hinc via publica (quam illac tunc decurriſſe volunt) illinc oratorio duplici, uno S. Petri Minutulorum, altero S. Laurentii; uti jam ſupra ſect. II. animadvertimus.

V. Argumentum ex Epiſcopalis hoſpitii συνεχείᾳ (cohaerentia) *deſumptum.*

Joannes diac. de Stephano I. narrat: *Fecit baſilicam ad nomen Sal-*

Digitized by Google

Salvatoris copulatam cum Episcopio: quae usitato nomine Stephania vocatur. Cave autem hic *Episcopium* pro aede Cathedrali accipias: nam, quia ipsa Stephania Cathedralis fuit, inepte significasset chronographus Cathedralem cum seipsa copulatam. Verum quid moror? Vox *Episcopii* in Joanne diac. modo pro Majore sive Episcopali Ecclesia, modo pro Episcopali habitaculo usurpatur. At huic loco non nisi notio posterior convenit. Hoc ergo Joannes significare vult, Salvatoris basilicam cujusmodi primitus a Constantino condita fuerat, disjunctam non nihil ab Episcopi aedibus fuisse. Quae si majore intervallo distabant; novas credo Stephanus aedes fecit Cathedrali a se refectae attiguas. Sin minus id intervallum erat; utrumq. Pontifex aedificium ita laxius, opinor, prorogavit, ut sibi invicem opportune adhaererent.

Habes profecto praeter alios, hunc quoq. insignem Stephaniae characterem: quem non nisi in ea, quae nunc S. Restituta vocatur, facile agnoveris. Nam etsi hodiernum archiepiscopale palatium proxime S. Restitutae applicitum cernitur; ea tamen συνέχεια multo intimior ante hos quingentos annos erat. Nam domus illa, cujus janua opere antiquo constructa, Ecclesiae Domnae Reginae e regione opponitur, ea abhinc quadringentos annos adhuc Episcopalis hospitii ostium erat. Quam postea domum ante 350. annos Henr. Card. Minutulus deseruit, ab aliis postea coemptam: Henrico interim ibi maxime palatium Archiepiscopis aedificante, ubi nunc Seminarium cernitur: de quo cap. seq. plenius edisseram.

At quam immanis, inquis, temporum hiatus Stephani I. aetatem (qui saeculo VI. primus Cathedrali hospitium Episcopale applicuit) ab saeculo XIV. sejungit! Verum non ab VI. saeculo, sed ab decimo (quo ineunte Joan. diaconus chronicon Episcopor. scripsit) numerari jubeo. Nam non alia de causa notavit chronographus, quis primus cathedralem atq. aedes Episcopales invicem admoverit, quam quia suo tempore adhuc cohaerebant: alioqui saltem notasset, suo tempore Cathedralem & Episcopium, quae olim coaluerant, disjuncta reperiri. Et ex ultimorum Episcoporum vitis ab Joanne scriptis satis colligitur adhuc sub illis eam cohaerentiam perdurasse. Deinde non usque ad XIV. saeculum numerari jubeo, sed ad tertium decimum: quo chronici S. Mariae de Principio (in quo pertexitur historia duorum conjugum, qui impetrata prole domum Episcopalem hodiernae S. Restitutae attiguam aedificaverit) fuisse conscriptum, cap. VI. sect. I. ostendam. Ac demus, si id quaeris, hanc narrationem esse fabulosam (de quo suo loco dicemus) at hinc certe evincitur, exeunte saeculo XIII. domum Episcopalem eam fuisse cujus janua nunc Domnae Reginae Templo obvertitur. Atqui ab decimo ad XIII. saeculum perexiguum est spatium: quod profecto hominum memoria comprehendere, & scripta ante id tempus monumenta sa-

ta facile pervium humanae ſagacitati feciſſent. Non temere ergo auctor Chronici S. Mariae de Principio, & Jo: Villanus ſic de palatio Archiepiſcopali loquuntur, quaſi ſi ab antiquiſſimis temporibus intime applicitum Stephaniae fuerit. Ea loca videbis infra cap. VI. expoſita.

Habes igitur indicia quinq. palmaria (nempe Salvatoris in apſide effigiem, Coronas, Baptiſterium fontis minoris apſidi attiguum, columnarum ἀσυμμετρίαν, Epiſcopalis hoſpitii cohaerentiam) ex quibus, ſi ſincere & ex animi ſententia agitur, non poſſis non fateri, veterem Stephaniam haud plane aliam ab ea, quae nunc S. Reſtituta nuncupatur, fuiſſe. Haec vero ſi cui ſatis non ſint, non video ecquid ſatis futurum ſit. Videamus interim, quidnam ſit, quod adverſarios in hanc novam opinionem induxerit.

CAPUT IV.

Objecta quaedam dilauntur.

Quae quidem a Falconio & Serſalio viris clariſs. in ſuae opinionis praeſidium adſciſcuntur, ea etſi ex ante dictis facile convelluntur; tamen non alienum erit ſuam ſingulis ipſorum argumentis reſponſionem ſubjicere.

I. OBJECTIO.

Ac principio exorditur noſter Serſalius ab operoſa quadam ratiocinatione, cui tamquam fundamento totum ejus de Stephaniae in Cruce hodiernae Cathedralis antiquo ſitu ſyſtema innititur. Ea ratiocinatio ſic procedit. Joannes diac. de Stephano II. ſic memorat. *Aedificavit igitur intus Epiſcopio abſidam non parvi operis: duaſque procero cacumine turres, ſub quibus Eccleſiam S. Petri miris exornatam conſtruxit operibus. Ante cujus ingreſſum ſex Patrum ſanctorum depinxit Concilia, connectens ex latere non mediocris prolixitatis* (24) *ſolarium.*

Dixerit aliquis, quid hoc πρὸς Διόνυσον? Atqui ſi Serſalii mentem capio, hoc ſibi vult. Quas turres proceras duas Stephanus fecit, eae Serſalio videntur haud dubie in frontis Stephaniae extremis angulis erectae fuiſſe; is enim mos antiquorum fuit. Adhaec Eccleſia S. Petri ſub turribus facta non aliud quam illa ipſa *S. Petri* capella fuit (nam tritum eſt, apud Jo: diaconum quaelibet minora oratoria vocari *Eccleſias* & interdum *baſilicas*) quae nunc vulgo *S. Anaſtaſiae* nuncupatur, eſtque nobiliſſimae Minutulorum familiae patronatus: cujus janua in crucis

(24) Hoc eſt *caenaculum*. Antiquis *caenaculae* erant cubicula non terrae aequalia, ſed ſuperne ſuſpenſa, Graece ὑπερῷα. At ſequior aetas vocabat eadem *Solaria*: unde *ſolariatum cubiculum* terreno opponitur. In charta anni 954. apud Ughellum to. V. p. 1539. *Duobus cubucellis* (h. e. parvis cubiculis) *uno terrineo, & alio ſolariato*. At neſcio quid alii de *ſolario* iſtoc commenti fuerint, aliis aliud interpretantibus.

Digitized by Google

crucis hodiernae Cathedralis extremo meridiem versus angulo patens, soli occidenti obvertitur. Ex his autem sequitur, antiquam Stephaniam non alibi, quam in cruce hodiernae Cathedralis stetisse; certe quia ibidem S. Petri (vulgo *S. Anastasiae*) aedicula adhuc supereſt: proinde nihil, Stephaniam habuisse cum ea basilica commune, quae nunc S. Restituta vocatur. Habes omnes argumentationis Serſalianae intellectu difficilioris opes expositas: in quibus tamen, ubi eas ad vivum resecueris, nihil superfore virium, sat scio, testaberis.

Ac primum fateor quidem S. Anastasiae aediculam, antea *S. Petri* nuncupatam fuisse: at eamdem plane fuisse ac S. Petri Ecclesiam, quam Stephanus II. aedificavit, quis unquam nobis ostenderit? Quis sibi persuaserit, descriptionem *Ecclesiae S. Petri* a chronographo traditam posse in hodiernam S. Anastasiae aediculam convenire: quae satis angusta videtur; cum contra Ecclesia S. Petri ab Stephano facta, tam ampla fuerit, ut in ejus introitu sex generalium conciliorum consessus depictos exhibere potuerit? Quis jam dubitare poterit, quin quam Stephanus fecit, justa basilica fuerit? praesertim cum turres illae duae non ad Stephaniae, sed ad ipsius Ecclesiae S. Petri frontem pertinuerint, uti mox ostendam.

Nam ut cum nostro Serſalio redeam tandem in gratiam; sic possumus rem transigere, ut simul & Joanni diacono lux maxima, & sacello Minutulorum longe majus quam antea decus accedat, ac postremo sic omnia componantur, ut amice conspirent. Ergo in supra scripto chronographi loco (ubi ait *Intus Episcopio absidam* a Stephano factam) si quidem *Episcopii* nomen strictius pro Episcopali tantum Ecclesia accipimus, tum dicemus duo discreta a chronographo aedificia memorari, nempe intra Cathedralem (h.e. in hodierna S. Restituta) *apsidae cujusdam* (non quidem primariae, sed minoris cujusquam alterius) opus, extra vero Cathedralis ambitum turres duas cum Ecclesia S. Petri & solario. Sin *Episcopii* vocabulum laxiore (25) ambitu intelligi placeat; tum possumus sic chronographi verba accipere ut *Absida* non sit aliud ab Ecclesia S. Petri aedificium, sed ipsum basilicae S. Petri tribunal designet, nec in verbis supra

(25) *Episcopium* apud Joannem diac. aliosq. scriptores (sicuti etiam Graecis Επισκόπιον & επισκοπεῖον modo tantum pro Episcopali Ecclesia stricte sumitur, modo tantum pro episcopali hospitio. Exempla passim ex Jo: diacono, & alia apud Cangium in utroq. Glossario prostant. At equidem contenderim, ejus veram notionem patere latius, suoq. ambitu continere Episcopalem aedem, ac simul adjacentia aedificia, veluti baptisterium unum aut plura, sacraria, accubita sive triclinia, tabularium, apothecas, & cetera hujusmodi. His adde proxima oratoria sive Ecclesias, quae etsi discreta, tamen unum cum cathedrali efficiebant; sicuti in Hierosolymitana S. Sepulcri basilica Constantiniana erant quidem tria distincta aedificia, unum peringens, quod *Anastasis* proprie dicebatur, alterum *Martyrium* sive Aedes sepulcri, tertium *Golgothae* Ecclesia; & tamen omnia tamquam unius basilicae nomine censebantur: de quo alibi accuratius dicam. Adde his omnibus quod hospitia tum Episcopi, tum etiam ministrorum, & siqua sunt alia sub eodem *Episcopii* ambitu interdum veniebant.

Digitized by Google

ſupra recitatis niſi una continens aedificatio deſcribatur. Malo tamen equidem priore notione accipere; nam in verbis *Intus Epiſcopio*, particula INTVS reſtringendi poteſtatem, ut & (26) alibi in eodem chronographo, habet. Verum utrovis modo interpreteris, certe ſatis ex chronographi deſcriptione liquet, Eccleſiam S. Petri ab Stephano factam, nec parvam, nec mediocrem fuiſſe, ſed potius juſtae magnitudinis. Id ex eo perſpicitur, quod in ejus introitu ſex generalium conciliorum conſeſsus depicti viſebantur: cui picturae in mediocris oratorii introitu locus non fuiſſet. Deinde ejuſdem Eccleſiae frons in ſuis angulis binas erigebat procero cacumine turres, in morem ſcil. juſtarum baſilicarum. Id enim haud dubie verba chronographi ſignificant: *Aedificavit . . duas procero cacumine turres, ſub quibus Eccleſiam S. Petri . . conſtruxit*. Nam quia turres multo proceriores erant Eccleſia, imo & partem Eccleſiae conſtituebant; idcirco recte ea Eccleſia SVB iis turribus hinc atque inde erectis jacuiſſe dicitur. At inauditum eſt, quod vult (27) Serſalius, nim. hodiernam S. Petri ſive S. Anaſtaſiae aediculam ſub turribus duabus (quas praeſertim inter ſe ſatis diſtantes facit) ad perpendiculum fuiſſe conſtructam: quod quis quaeſo intelligat? aut quis unquam iſto modo loquitur, quo Joan. diaconum loquentem facit?

Ergo, ſi me audis, dabitur quidem, in hodiernae Cathedralis cruce fuiſſe quamdam juſtam baſilicam, verum non illam celebrem *Stephaniam*, ſed alteram S. Petri: quam ſi quidem *Stephanicam* vocare pertenderis, quia ab Stephano II. conſtructam; non repugnabo. Atque haec Stephaniana S. Petri baſilica ſub binis turribus facta, ad hodiernam SS. Petri & Anaſtaſiae aediculam uſque protendebatur; ac forſitan, ſi id quaeris, hodierna SS. Petri & Anaſtaſiae capella pars fuerit antiquioris S. Petri Eccleſiae. Deinde ubi novae Cathedralis crux aedificari debuit, majus illud S. Petri templum communi tot aliorum aedificiorum ruina involutum fuit. Verum in ejus memoriam hodiernum *SS. Petri & Anaſtaſiae* ſacellum remanſit; quod facile ab Antiſtite Philippo Minutulo (quem ſatis ſcimus novae Cathedralis condendae proram puppimq. fuiſſe) exeunte XIII. ſaeculo reconcinnatum fuit, conceſſis ab eod. Archiepiſcopo familiae ſuae Minutulae juribus patronatus, quibus hodiedum fruitur. Quaerb nunc ab noſtro Serſalio, ecquid magis magnificum familiae Minutulae futurum ſit, utrum quod eorum ſacellum tam nobili & antiquae baſilicae, quae turres ſibi peculiares in fronte haberet, ſucceſſerit;

(26) Joannes diac. in Vincentio Epiſcopo: *Fecit baptiſterium fontis minoris INTUS EPISCOPIO*. Quod vere intra veterem cathedralem eſt, hodieq. dicitur *S. Joannes ad fontem*.

(27) Nam re vera Serſalius uni tantum turri, quae orientem ſpectabat, ſubjectum id ſacellum, oſtendere poteſt; nam turrim alteram occiduam idem longius promovet, & tamen utramq. Stephaniae ſive Cathedralis ornamentum fuiſſe, vult. Atqui cum chronographus utriq. turri ſuppoſitam S. Petri Eccleſiam fuiſſe narret (*ſub quibus*, inquit, non *ſub qua* turri) neceſſe eſt, utramq. turrim Eccleſiae S. Petri, non Stephaniae, ornamentum fuiſſe.

Digitized by Google

rit; an vero quod eadem capella duarum turrium satis inter se distantium (si quidem illae ad Stephaniae angulos pertinuissent) celsa cacumina dorso imposita instar elephantorum gesserit. Quod quis quaeso concoquat?

II. OBJECTIO.

Adhaec idem Serfalius Joannis diac. locum in Stephano I. opponit hisce verbis conceptum. *Hic inter alia bonitatis studia fecit basilicam ad NOMEN SALVATORIS COPVLATAM CVM EPISCOPIO, quae usitato nomine Stephaniae vocatur.* Sic vero ratiocinatur. *Episcopium*, inquit, non aliud hic significat, quam Episcopale hospitium. Hoc autem ibi fuisse constat, ubi nunc Seminarium visitur: quippe adhuc supra majores Seminarii fores in vico Manocciorum Minutulae familiae insignia conspiciuntur: certe quia Phil. Minutulus Archiep. post novam Cathedralem erectam in hasce veteres Archiepiscopales aedes ornandas incubuisse videtur, eoque ibi insignia apposuisse. Cum ergo Stephanus suam Stephaniam (quae haud dubie vetus Cathedralis fuit) aedibus Episcopalibus admovisse dicatur; haud alibi esse Stephania potuit, quam in hodierna novae Cathedralis cruce: praesertim cum hodiedum tum S. Petri Minutulorum, tum etiam Laurentii oratoria ibi adhaereant, quae partes fuisse veteris Stephaniae contendit.

Atqui totius ratiocinationis hujus aedificium ruat necesse est, quippe cujus assumptionem negare cogimur. Nam ex iis quae superiore cap. sect. 3. in V. Argumento edisserui, hospitium Episcopale in postico apsidis basilicae, quae hodie S. Restituta vocatur, antiquitus adjacebat (vide loco cit. dicta) eaque de causa necesse est non aliam fuisse Stephaniam, quam quae hodie nomine recentiore *S. Restituta* vocatur.

Ceterum quod de insignibus gentis Minutulae portae majori Seminarii superpositis additur, sane quam imbecillum est argumentum. Nec enim inde elici quidquam sani potest ad firmandam Serfalii sententiam. Nam I. marmorea portae Seminarii ornamenta longe posteriora sunt, quam pro Phil. Minutuli aetate h. e. saeculi XIII. fine. II. Nec quae gentilitia Minutulorum insignia in janua Seminarii visuntur, ea ad Philippum referri possunt, qui ab anno circ. 1285. ad 301. sedit: quo tempore vix prima gentilitiorum armorum rudimenta in Regnum Neapolitanum per reges Andegavenses inducta creduntur: quae tamen initio ab Regibus magis & equitibus quam ab Episcopis usurpabantur. Et quia quae in porta Seminarii scalpta sunt, galerum Episcopalem non gerunt, nihil cum Philippo commune habent.

Ac possem equidem ad quemvis alium ex gente Minutula nobilem laicum portae Seminarii insignia referre (nam in vicinia Curiae Capuanae frequentes habitabant Minutuli, qui ei curiae adscripti erant, pro more scil. illius aevi, quo in proximo quisq. suorum sedilium suas ae-

Digitized by Google

des incolerent) nisi mallem sincere agere. Fateor igitur, ubi nunc Seminarium Archiepiscopale est, ibi ante CCCL. annos fuisse Archiepiscopale hospitium. Verum id non a Phil. Minutulo factum fuit (qui quidem in corrogandis undiq. pecuniis in hoc tantae Cathedralis opus, quam tamen nec perfectam videre quivit, ad extremum spiritum intentissimus, de Archiepiscoporum palatio cogitare nullo modo potuit) verum ab altero gentili suo Henrico Card. Minutulo, qui extremo saeculo XIV. Cathedram hanc iniit. Hic enim, cum ejus decessores diutissime in postico Stephaniae, quae hodie S. Restituta vocatur, habitassent (de quo vide dicta cap. 3. sect. 3. Argum. V.) primus Archiepiscopale habitaculum ibi construxit, ubi nunc Seminarium visitur. Ergo si Stephania olim ibi exstitisset, ubi hodie novae Cathedralis crux visitur, adeo non copulata cum Episcopio sive priore Episcopali domo fuisset, ut potius ab ea longiuscule abstitisset, quandoquidem non ante Henr. Minutulum initio XV. saeculi praesulum domicilium admoveri cruci novae Cathedralis coepit. Ceterum de aedium Archiepiscopalium vicibus plura qui nosse cupit, quae hinc atq. inde de hac re corrasimus, ea in subjecta (28) Adnotatione junctim reperiet.

III. OB-

(28) *Quid in Episcopalis hospitii positu mutatum diverso tempore fuerit.*

Ab Stephani I. aetate h. e. VI. ineunte saeculo (uti cap. 3. sect. 3. Arg. 5. diximus) *Episcopium* sive Episcopale hospitium copulatum cum Stephania, quae nunc *S. Restituta* vocatur, fuit. Idq. diutissime mansit. Nam Alberici aetate h. e. ineunte saec. XIII. & aevo, quo mox Chronica S. Mariae de Principio, & Jo: Villani prodierunt (quorum testimonia Cap. VI. sect. 1. & seq. producentur) adhuc Archiepiscopale palatium in postico hodiernae S. Restitutae erat. Ergo ibidem tum proxime ante novam erectam cathedralem tum post erectam, semper palatium archiepiscoporum fuit; cujus janua hodieq. satis elegans visitur templo Domnae Reginae oppositа. Ejus domus adhuc parietes quadrato lapide circumvestiti cernuntur. Etsi (quia janua mediis aedibus respondere debuit) id palatium latius orientem versus patebat, ita ut magnam etiam partem hodierni palatii, a Cardinale Philamarino postremo renovati, complecteretur.

Et eo quidem loco, quem hactenus designavimus, Antistitum aedes fuerunt; sed non ultra saeculi XIV. finem. Nam anno certe 1390. Archiepiscopus Guilelmus Guindatius extra consuetum palatium habitabat, uti legitur in Instrumento concordiae initae inter dictum Guil. Guindatium Archiep. cum Capitulo Neap. quod instrumentum reperitur in Hannibalis de Capua Visitatione S. Restitutae fol. 173. in apographo Capituli. Nam in fine ejus instrumenti sic scribitur: *Acta fuerunt haec Neapoli in hospitio habitationis dicti Dom. Archiepiscopi sito in platea Nidi, in quo idem Dom. Archiepiscopus propter NECESSITATEM & DEFECTVM sui palatii Archiepiscopalis ad praesens habitat sub anno* praedicto, nim. 1490. Porro quod de *necessitate & defectu palatii* conqueritur, id eo pertinet, quod eo tempore ita palatium vetus ruinosum fuerit, ut inhabitabile evaserit; ac propterea mox (uti dicetur) Henr. Minutulus alibi hospitium Archiepiscopale stabile fixerit; nec prius illud fatiscens palatium ante Oliverium Carafam, centum ipsis annis posteriorem, reparari coeperit. Porro antequam a Guil. Guindatio discedam, sciendum est hunc Archiepiscopum parum notum Chioccarello fuisse (qui tantum cujusdam Guindatii meminit sub ignoto nomine) at eum diserte *Guilelmum* a Fabio Jordano & ab Vghello vocari: quod totum ex ante dicto instrumento confirmatur. Is partes Antipapae Clementis VII. secutus, ab eo anno 1388. electus Archiep. Neap. fuit, nec ultra ann. 1394. ejus memoria reperitur.

Et

Digitized by Google

Et Guilelmus quidem Guindatius temporarium hospitium incoluit. At postremo Archiepiscopus Card. Henricus Minutulus sub ipsum ejusdem saeculi finem (certe ante annum 1400. quo Jordanus Ursinus, Ughello auctore, creatus est Archiep.) novum ac stabile sibi & successoribus palatium condidit, cruci novae Cathedralis ante centum annos aedificatae attiguum: quod haud dubie illud fuit, quod nunc antiquiorem ac primariam partem Seminarii Archiepiscopalis constituit. Id vero testantur gentilitia insignia, non tam illa portae Seminarii adhaerentia (quae quidem cum galero careant, ad quemvis ex eadem gente posteriorem possessorem referri, ut infra videbimus, malo) quam quae hinc & inde in geminis domus hujus angulis adfixa parieti conspiciuntur; quae superpositum galerum dependentibus funiculis fimbriatis habent, haud secus atq. gentilitium ejusd. Henr. Minutuli stemma, quod in summa trabe marmorea mirificae Cathedralis portae ab eodem Henrico factae cernitur. Hoc ipsum testatur & Chioccarellus in Henr. Minutulo his verbis: *Erexit etiam Henricus peramplum palatium Metropolitanae Ecclesiae junctum pro Archiepiscoporum residentia ac incolatu, ut ex ejus insigniis patet: quod nunc Seminarii ejus Ecclesiae usui est.* Cur porro Henricus ex priore palatio in hoc alterum immigraverit, non tam applicitus novae Cathedrali situs eum invitasse videtur, quam deterruisse antiquius Archiepiscoporum habitaculum, quod fatiscens minabatur ruinam, uti mox ex Oliverii Caraffae facto demonstrabitur.

Et quidem toto XV. saeculo in eadem Henriciana domo Archiepiscopos habitasse, nuper comperi ex instrumento emphyteuseos cujusdam domus capellae S. Salvatoris Veteris, celebrato coram Archiep. Gaspare de Diano cum aliquot Canonicis & Domino Hectore Galeota patrono capellae S. Salvatoris: quod instrumentum in processu quodam beneficiali Archivi Archiepiscopalis insertum, a me integrum Parte II. producetur. In eo igitur instrumento Archiepiscopale palatium sic describitur, ut apertissime illud ipsum fuisse appareat, quod ante quinquaginta ferme annos Archiepiscopus Henr. Minutulus sibi & successoribus paraverat. Id enim sic ibi describitur: *Notum facimus & testamur, quod praedicto die* (ultimo Octobr. anni 1450.) *nobis praefatis Judice, Notario, & subscriptis testibus personaliter accersitis ad ARCHIEPISCOPALE PALATIUM Neapolitanum SITUM & positum IN PLATEA CAPUANA* (sic enim tunc ea vocabatur) *civitatis Neapolis juxta viam publicam a tribus partibus, juxta ipsam Majorem Ecclesiam Neap. & alios confines &c.* Ex qua descriptione notabis, tunc temporis id palatium tantum Cathedralis fabricae adhaesisse, a ceteris vero tribus lateribus viam publicam habuisse confinem: id quod hodiedum licet animadvertere. Nam eo spectant Henrici insignia in utroq. angulo domus affixa. Ergo via Capuanae plateae non tantum ortivum, sed etiam meridionale ac boreum latus illius palatii ambiebat; praesertim cum hodie dum ea domus boream versus nullam habeat adjacentem fabricam, sed Archiepiscopali viridiario applicetur.

Quamdiu autem in hoc Henriciano palatio Archiepiscopi haeserint, etsi liquido demonstrare non ausim; tamen mihi facile persuadeo, non ultra millesimum & quingentesimum Christi annum ab Archiepiscopis fuisse habitatum. Quo tempore erat Neapolitanus Antistes vir immortali memoria dignissimus Card. Oliverius Caraffa: qui diu absens, non ante ann. 1498. ad Neapolitanae tandem Ecclesiae suae sinum convolavit: in qua cum prae ceteris operibus, mirabile hypogeum recondendo S. Januarii corpori construxisset, etiam de Archiepiscopali domicilio optime meritus a Chioccarello memoratur p. 297. his verbis: *Restituit atq. ampliori spatio exornavit palatium Archiepiscopale, quod fere collabens, ruinam minabatur.* Ubi *Restituendi & Ampliore spatio exornandi*, & *ruinae* formidatae vocabula non possunt in Henricianum (quod & recens tunc erat, nec umquam ampliatum) convenire, sed non nisi in illud antiquius, quod & in praesentia a Praesulibus incolitur: quod multo magis ea quae apud Chioccarellum sequuntur, declarant. *Et quidquid fere*, inquit, *in Archiepiscopi aedibus boni est, Oliverius confecit, ut ejus inscriptiones e marmore sculptae passim appositae testantur.*

Ac non multo post h. e. post ejusd. XVI. saeculi medietatem Archiepiscopus Marius Caraffa *Archiepiscopale palatium* (verba sunt

Digitized by Google

III. OBJECTIO.

Venio ad illam longe maximam difficultatem, quae ex loco auctoris vitae S. Athanasii petitur. Et hunc quidem anonymum auctorem vulgo volunt aequalem ipsi sanctissimo praesuli Athanasio fuisse. Sed equidem plures habeo causas, cur multo (29) recentiorem censeam. Sed

Chioccarelli in Mario p. 343.) *in optimam formam restituit, atq. aedificiis auxit, sacellumque ..construxit, in cujus icone Marii effigies depicta est* (nunc non Marii, sed Card. Philamarini depicta in eo sacello cernitur: at Marianam tabulam, quae ibi fuerat, in aedibus seminarii me contemplatum memini) *atq. in sacelli janua ... marmorea inscriptio.. MARIUS CARRAFA ARCHIEP. NEAP.* Verum non tam his se optimus Antistes praestitit memorabilem, quam quod hodiernum Archiepiscopale seminarium ex Tridentini Concilii praescripto primus erexerit, ut inscriptio minori Seminarii portae ad occidentem solem spectanti imminens docet. Quod eo hic commemoro, quod id Seminarium in ante dicta Henriciana domo fundatum supra ostenderimus.

Jam vero quid illud est, quod saepe laudatus Chioccarellus dum pag. 344. de Seminario per hunc Marium ann. 1566. constabilito loquitur, dat intelligere, in Archiepiscopali palatio id fuisse constructum? *Commoda*, inquit, *& perampla eis* (pueris) *domicilia in Cathedralis ecclesiae palatio praescripsit*. Verum fallitur certe vir diligentissimus. Nam Henricianum illud quondam palatium, quod a Mario in Seminarii usum traductum fuit, eo tempore nec Archiepiscopale, nec *Cathedralis Ecclesiae palatium* dici poterat, sed tantum privati alicujus domus: id quod aperte Marius ipse in epistola quadam (quam nuper in Capituli nostri Archivo repertam gaudeo) Romam scripta testatur, affirmans se domum illam sex ducatorum Neapolitanorum millibus aere suo in usum Seminarii comparasse; non addens tamen a quo coemerit. Sed tamen quia marmoreis portae Seminarii ornamentis privata quaedam gentis Minutulae insignia (sine galero scilicet: quo tamen non carent alia duo in domus angulis vere Henriciana insignia, uti supra exposuimus) scalpta insunt; facile est conjicere, sive ab Oliverio Caraffa, quando Archiepiscopale hodiernum domicilium restituit, sive ab alio ex successoribus Henricianum illud palatium alicui viro nobili ex gente Minutula fuisse divenditum, a quo postea Marius illud ipsum in usum Seminarii comparaverit.

Longior sane, quam praevideram, fui: & tamen adhuc de hodierno Archiepiscoporum palatio verbum unum addam. In eo igitur ab usque Oliverio Caraffa per CXL. annos sic Archiepiscopi habitabant, ut tamen non nisi sub aperto caelo ex palatio in cathedralem procederent. Cui incommodo ut Afcan. Philamarinus occurreret, novas magnificas scalas in S. Joannem ad Fontem direxit, unde per basilicam S. Restitutae in Cathedralem progrederetur.

(29) *Scriptorem vitae & translationis Athanasii, coaevum illi fuisse, ex locutione illa NOSTRIS TEMPOR. & ex NVPER non evincitur. Imo eum XI. aut XII. saeculo vixisse, ex ALMI cognomine quod Ludovico dat, & ex querelis de rapto caelibatu, ostenditur. Utrum ea scripta Petro Casinensi sint tribuenda, de eo amplius esse cogitandum.*

Acta Vitae & Translationis S. Athanasii a Guil. Cupero, cio Bollandiano ad XV. Julii ante plures annos edita visuntur: ad quae vir eruditus ita praefatur, ut non dubitare se profiteatur, quin is scriptor aequalis aut suppar S. Athanasio, qui vergente IX. saeculo floruit, sit habendus: id quod duobus ejusdem scriptoris locis confirmat. In fine enim Prologi scribitur: *Qui NOSTRIS TEMPORIBUS antiqua miracula per famulum suum* (Athanasium) *perpetrare dignatus est*. Et hic quidem de miraculis aliquanto recentioribus, quorum indiculus subjicitur, potest illud *Nostris temp.* intelligi. At quid loco altero fiet, qui sect. 6. his verbis legitur?

No-

Digitized by Google

Sed quia tamen auctor antiquus est; non possum ejus auctoritatem spernere. Afferatur ergo in medium integer ejus locus. Qui quantam Athanasius in Ecclesias magnificentiam exercuerit, his verbis declarat. *Hic itaq. zelo fretus divino constituit sacerdotes hebdomadarios in Ecclesia Domini Salvatoris, quae Stephania vocatur: qui in ea continuis diebus publicam Missam celebrarent, sicut mos est Ecclesiae Romanae; in qua etiam ad eorum sumptus necessarias rerum distribuit opes. In Ecclesiis quoq. B. Andreae Apostoli, & Protomartyris Stephani custodem designavit; ubi & res obtulit ad luminariorum concinnationes, & sumptus ipsius custodis. Ecclesiae vero S. Restitutae* (vides hic *Sanctam Restitutam* aperte a *Stephania* distingui) *quae a Constantino Impe-*

Nostris nuper temporibus sanctissimus Athanasius... ita carus exstitit Deo &c. At hic quoq. τὸ *Nostris nuper temp.* laxius est capiendum, ita ut opponatur primis nascentis ecclesiae saeculis, quando idem fere erat *Christianus* qui *Sanctus*. Nam e contrario hic auctor conqueritur, aetate illa sua viros sanctos fuisse rarissimos: de quo mox dicam.

Nam mihi sane non videtur hic auctor ante XI. saeculum, idq. aliquanto provectius haec, quae habemus, scripsisse. Id quod ex pluribus indiciis deprehendere mihi videor. Quorum illud videtur mihi clarissimum, quod Ludovico Pio *Almi* cognomen tribuit sect. 7. (ubi memorat *Lodoicum piissimum cognomento ALMUM, ejusq. sobolem Lotharium*) quod non ante saec. XI. usurpatum reperitur. Leo Ostiensis (qui ann. 1115. obiit) I. Chron. Casin. 18 *Ludovicus Imperator qui cognominatus est Almus, vel Sanctus*. Joannes Monachus, auctor Chronici Vulturnensis (cui contexendo adhuc per initia saeculi XII. vacabat) initio lib. 2. ubi vitam Josuae Abb. inchoat: *Cum esset Imperatoris Hludovici, qui ALMUS est appellatus... cognatus*. Idem lib. 3. in historia decollator. 900. Monachor. *Mortuo Hludovico Aug. qui Almus dictus est, Lotharius ejus F. regni heres effectus est*. Adhaec quod sect. 2. & 3. rarissimum suo aevo clericorum caelibatum fuisse conqueritur, is character est non tam IX. quam XI. aut XII. saeculo conveniens. Nam etsi diu antea id malum grassabatur, tamen parum sentiebatur, quia nondum ferri gravissimae de eo leges coeperant. At postquam XI. & XII. saeculo nullum concilium fuit, quod non in impuros clericos intonaret, tum & [illegible] etiam in scriptoribus crebrae de ea pene querimoniae passim occurrunt. Hinc scriptor hic initio sect. 2. *Non ergo mirum... CAELIBEM & Deo dignum virum etiam nunc in hac praesenti vita reperiri*. Et num. 3. *Quae* (Campania) *sicuti ferax est... ita CAELIBES & Deo dignos viros saepe produxit & educavit*.

His igitur de causis, & quod stylus multo cultior quam pro IX. aut X. saeculi captu videtur; numquam adducar ut credam, hunc scriptorem sive aequalem sive supparem S. Athanasio fuisse. Multominus illud mihi persuadebitur, ab eo scriptam Athanasii vitam quinquennio illo, quod inter ejus mortem & translationem interfuit, uti credidit Ant. Caraccioli; ex eo scil. inductus, quod vitae auctor mentionem nullam translationis faciat. At is, puto, acta Translationis a Cupero edita non vidit, quorum auctor in praefatione laudat superiorem librum suum, quem de vita scripserat. Utriusq. ergo opusculi unus est idemq. auctor, sicuti & stylus unus est.

Illud magis discutiendum viris doctis relinquo, utrum duorum opusculorum (vitae scil. & Translationis) stylus cum dictione Petri Diaconi Casinensis (qui XII. saeculo tum quartum Chronici Casinensis librum, tum alia plura opuscula elucubravit) consentiat. Nec enim ad eam curam nunc satis est otii. Certe in Casinensi tabulario haec de Athanasio scripta cum ceteris Petri opusculis compinguntur: ex quo factum, ut & Baronius & alii haec opuscula sub Petri Casinensis nomine laudaverint. Sed utrum re vera ex Petri Casinensis stylo profecta fuerint, id sine praevia discussione pronuntiare non audeo. Id tantum mihi fumo, haec duo de S. Athanasii rebus commentaria nec antiquiora XI. saeculo labente fuisse, nec duodecimo (quo Petrus Diac. floruit) recentiora.

Digitized by Google

Imperatore, (ut (30) fertur) condita est, connectit utrosque Joannem Baptistam atq. Evangelistam, & custodem cum officialibus Clericis ordinavit, reliqua illic ad praesidium eorum largitus est. Atq. hic ille locus est qui Falconium atq. Serfalium transversos egit, quibus nondum subolucrat (quod nec aliis ad hunc diem odorari contigit) illam antiquorum S. Restitutam, cum hodierna cognomine basilica nihil praeter nomen habuisse commune.

Ergo huic loco ut respondeam; fateor quidem negari non posse, quin is auctor Stephaniam ab S. Restituta sui temporis aperte distinxerit: at nego *S. Restitutae* nomine eam ipsam accepisse basilicam, quae hodie a nobis S. Restituta vocatur. Nam hodiernam S. Restitutam fuisse olim ipsam Stephaniam sive Ecclesiam Salvatoris, & ineluctabilibus jam passim argumentis evicimus, & pluribus aliis suo loco firmabimus. Itaq. hic auctor suam S. Restitutae veteris aedem non inter majoris nominis Ecclesias (cujusmodi tunc Stephania erat; quae postea mutato nomine, ut toties inculcavimus, in S. Restitutae appellationem successit) numerat, sed inter adjacentes Ecclesias, quae alio nomine vocabantur oratoria, ut S. Petri, S. Andreae, S. Stephani, aliaq. in Stephaniae vicinia. Ac notandum est, aevo medio nomina *Basilicae & Ecclesiae* saepissime pro mediocribus oratoriis fuisse usurpata. Prae ceteris sic passim usurpat Joannes diac. ut jam ante animadverterat Ant. Caracciolus (31) cap. XV. sect. 4. Ergo erat tum Joannis chronographi aevo, tum Scriptoris vitae S. Athanasii, tum postremo etiam anno 1100. sub Petro Archiep. (de quo mox) quaedam Stephaniae adhaerens *Ecclesia S. Restitutae*, in qua ejus reliquiae conditae (32) colebantur.

Atq.

(30) Παρεντιθέμενον illud, *Ut fertur*, abest a Cuperi Bollandistae editione. At parenthesin illam ab ipsa antiqui biographi manu prodiisse, censeo. Enim Chioccarellus in suo certe Ms. reperit. Nec enim de suo temperamentum illud *ut fertur* addidisset, ut qui in eo esset, ut S. Restitutam modis omnibus a Constantino aedificatam contenderet. Etsi in adscribendo hoc loco leviter variat; sic enim pag. 30. haec verba recitat: *Quae a Constantino primo Augustorum Christianissimo, UT FERTUR, condita est.* Sed & idem temperamentum Lectiones S. Athanasii anno 1525. Neapoli editae agnoscunt, in quarum quarta sic legitur: *Idem faciens ... de ministris Ecclesiae S. Restitutae, quae a Constantino primo Augusto Christianissimo condita est, ut fertur.*

(31) Cui tamen cave credas, dum haec oratoria (sive basilicas aut Ecclesias) cum hodiernis Cappellis, quae unum cum principali basilica faciunt, ejusq. membra habentur, confundit. Res enim sic se habet. Olim etiam in magnis Ecclesiis & cathedralibus unum dumtaxat altare sub apside erat: altaria secundaria aberant. Itaq. quoties reliquiarum condendarum aut alia de causa novum altare excitandum erat, nova minor Ecclesia sive in vicino, sed sejuncta erigebatur, sive adhaerens, sed ita tamen ostio intercedente separata, ut diversa prorsus Ecclesia censeretur.

(32) Nam cum saeculo septimo (ut ad Kal. marm. in Additamentis ad commentarium de S. Restituta dictum fuit) S. Virginis corpus ex Enaria insula Neapolim advectum fuisset; tunc in postico capellae hodiernae S. Mariae de Principio quaedam minor Ecclesia condita fuit, i. cujus Altari reliquiae S. Restitutae condebantur. Qua postremo diruta, Reliquiae simul cum nomine in veterem cathedralem (quae ex eo nunc *S. Restituta* dicitur) immigrarunt.

Digitized by Google

Atq. in hoc demum S. Reſtitutae oratorium S. Athanaſius ſua benefacta contulit. At vero cum ineunte XIV. ſaeculo S. Virginis reliquiae ex ſuo peculiari oratorio in hodiernam, quae ſic vocatur, baſilicam translatae fuiſsent; ab eo factum ut ei templo novum *S. Reſtitutae* nomen inditum fuerit, ut alibi plenius cap. V. exponemus.

Jam vero hujus antiquioris S. Reſtitutae oratorii (quod nus ab Stephania ſive hodierna S. Reſtituta diſtinguitur, & tamen ei adhaeret) meminit etiam quantivis pretii charta permutationis facta a monaſterio S. Archangeli ad Bayanum cum Congregatione Eccleſiae S. Reſtitutae apud Chioccarellum pag. 126. his verbis. *Imperante domino noſtro Alexio* (Comneno) *magno imperatore anno nonodecimo* (h. e. anno 1100.) *ſed & Joanne Porphyrogenito magno imperatore ejus filio anno .... die XXV. menſ. Junii indictione VIII.* Ac dolendum quod in ea membrana multa abſumpſerit aevi voracitas: ſed commode eſt, quod adhuc haec verba legebantur: *Congregationis ECCLESIAE SANCTAE RESTITVTAE DE INTVS EPISCOPIO SANCTAE NEAPOLITANAE ECCLESIAE* (ex quibus colligis id S. Reſtitutae oratorium fuiſſe *intus Epiſcopio S. Neapolitanae Eccleſiae*, quae primitus *Stephania* uſitatius vocabatur, nunc vero demum *S. Reſtituta* dicitur; hoc eſt hodiernae S. Reſtitutae veterem alteram, de qua quaerimus, adhaeſiſſe) *a praeſenti die promptiſſima voluntate commutavimus*. Cetera apud Chioccarellum loco cit. legantur. Ei permutationi Petrus Archiepiſcopus, deinde Sergius conſul & dux & protoſebaſtus, poſtremo Primicerius, Archidiaconus, duo Diaconi, treſq. Subdiaconi Canonici S. Neapolitanae Eccleſiae ſubſcripſerunt.

Poſtremo videbis etiam infra cap. VI. ſect. V. Chronici S. Mariae de Principio locum, ex quo eadem omnia de antiquiore altera S. Reſtituta multo clarius colliguntur.

Habes profecto affatim documentorum, cur merito vitae Athanaſianae ſcriptor Stephaniam (h. e. hodiernam S. Reſtitutam) ab antiquiore illa altera S. Reſtituta diſtinxerit. Ac ſane ſuccenſerem, niſi ſedulo diſtinxiſſet. Ego contra ut duarum cognominum Eccleſiarum aequivocum amolirer, jam ab hujus ſcriptionis initio hanc veterem baſilicam, quam hodie pleno jure Canonici poſſident, non abſolute *S. Reſtitutam* (veritus ſcilicet ne cum vetuſtiore altera ejuſd. nominis Eccleſia confunderetur) vocavi, ſed addito congruo temperamento ſemper *Hodiernam S. Reſtitutam* caute appellitavi: in quam cur illius antiquioris nomen transfuſum, & quando fuerit, & jam modo attigimus, & cap. ſeq. ſect. 2. plenius exſequemur.

IV. OBJECTIO.

Illud quoque Falconius unaque Serſalius objiciunt, ſanctorum Epiſco-

Digitized by Google

piſcoporum corpora, qu[illegible] S. Joannes IV. in Stephaniam intuliſse a chronographo Joanne narratur, ea hodie in novae Cathedralis tranſversa navi, quam crucem vocant, recondita deprehendi: quod argumento eſt, in eadem cruce olim Stephaniam fuiſse.

Verum hoc argumentum tum demum valeret aliquid, ſi quo ordine quibuſve cum ornamentis S. Joannes Scriba ſanctos Praeſules Neapolitanos *ſingillatim* in Stephania collocavit, eodem plane ſitu atq. cultu in praeſentia in hodiernae Cathedralis cruce conſpicerentur. Audiamus chronographum in S. Joanne Scriba ſic rem univerſam paucis deſcribentem. *Corpora quoque*, inquit, *ſuorum praedeceſſorum de ſepulcris, in quibus jacuerant, levavit, & in Eccleſia Stephania SINGILLATIM collocans, aptavit unicuique arcuatum tumulum, ac deſuper eorum effigies depinxit*. Ecquos rogo nunc *arcuatos tumulos*, ecqua ſacra Epiſcoporum corpora *ſigillatim collocata* mihi poſsunt oſtendere? At contra ſatis ſcimus Neapolitanorum Praeſulum (non quidem omnium ſed pauciſſimorum) reliquias partim ſub Ara maxima; partim ſub Ara Sacratiſſimi Sacramenti ſimul poſitas requieſcere: quo translatas ex Stephania fuiſse neceſse eſt, ubicumq. demum Stephania fuerit.

Verum quid moror? hic quoq. adverſarii noſtris ſtudent commodis. Nam re vera in ea quae hodie S. Reſtituta dicitur, ea omnia fuiſse corpora, infra cap. VI. ex Joann. Cimeliarchae teſtimonio confirmabitur. Proinde Stephania non alia ab ea, quae hodie S. Reſtituta vocatur, Cimeliarchae tempore h. e. ſaec. XIII. erat.

V. OBJECTIO.

Adhaec quod tot innumerabilium columnarum ſylvam, quibus hodiernae Cathedralis pilae circum ornantur, ex eadem Stephania, quam in ante dicta cruce fuiſse comminiſcuntur, ſublatam fuiſse conjiciunt; equidem majore confidentia, quam qua ipſi ajunt, id totum pernego. Nam uti ſupra oſtendimus, ſi Stephania in hodiernae Cathedralis cruce fuiſset; ea tam anguſta fuerit neceſse eſt, ut columnarum ordines omnino reſpueret. Aut ſi quas columnarum ſtrigas admiſiſset, eas ferme ſeptem pedales ſibi adſciviſset, ac diverſas omnino ab iis, quas hodie circa pilas, quae nunc ſunt, animadvertimus. Unde ergo, inquis, ea tot columnarum ſeges deſumpta fuit? Ex Stephania, inquam (quae Stephania eadem atq. hodierna S. Reſtituta fuit, ut ſaepe inculcavimus) in qua incredibilem columnarum vim fuiſse oportet praeter eas, quae adhuc ibidem quaternis ordinibus diſpoſitae conſpiciuntur. Nam primum id totum ex navi Eccleſiae, quod ex longitudine detruncatum fuit, pari columnarum ſymmetria meridiem verſus procedebat. Adde his atrii columnas, cujus quatuor porticus totidem columnarum verſibus fulciebantur. Adhaec adde infinitam vim columnarum, quae in majore baptiſte-

Digitized by Google

ptisterio (nam hodie unum tantum ex minoribus supereſt) quae in *excubitis* (uti vocat chronographus) h. e. in tricliniis, quaeq. in tot aliis adhaerentibus fabricis erant; quae omnes simul cum Cathedrali, & Episcopali hospitio id totum integrabant, quod olim *Episcopium* vocabatur. Adde postremo & minores in Stephaniae proximo erectas Ecclesias, ut illam haud mediocrem S. Petri ab Stephano II. exstructam, alteram S. Restitutae antiquiorem, tertiam S. Januarii, ut alias plures omittam, omnes communi ruina involutas, ut novae huic Cathedrali locum praeberent. Habes profecto ditissimas plures fodinas, ex quibus tot columnae, quas hodie circa pilas adspicimus, erutae fuerint.

VI. OBJECTIO.

Postremo quod ad Chronici S. Mariae de Principio, aliorumq. loca pertinet, quibus abutuntur adversarii; ea cap. VI. excutientur: & ita quidem excutientur, ut adeo nihil inde spei reliquum sibi futurum sperent, ut ea potius elata voce clamitent, Stephaniae reliquias adhuc in hodierna S. Restitutae basilica spiritum ducere.

CAPVT V.

Cur Stephania aevo posteriore prius S. Januarii, mox S. Restitutae nomina invenerit.

SECTIO I.

Quandonam & qua de causa sibi Stephania nomen S. JANVARII adsciverit: quodq. id nomen non nisi de hodierna S. Restitutae basilica usurpari potuerit. Per occasionem epocha liquescentis cruoris detegitur.

§. I. *De vetustissima, quam sibi primitus arrogarunt Neapolitani, S. Januarii tutela: deq. ejusdem extramurana basilica Patroni corpore insignita.*

BEatissimum Christi testem Januarium ab antiquissimis usq. temporibus patronum primarium Neapolitanorum fuisse, ex historia martyrii, atq. Translationum ejus, nec non ex Uranii epistola de obitu S. Paulini, ac postremo ex Petri Subdiaconi Ecclesiae Neapolitanae (h. e. Cathedralis) quadam subscriptione satis docta & accurata, quam ex (33) Mabillonio in Comment. ad Kalend. marmor. dedimus, satis luculenter constat. Et tamen ullum S. Januarii oratorium in Stephania aut in proximo Stephaniae ab antiquo fuisse, nusquam litteris proditum re-

F peri-

(33) Vide ad 29. Martii pag. 131. ubi Petrus *Notarius S. Ecclesiae Catholicae Neapolitanae* h. e. Cathedralis (sic enim ille se inscribit pag. 129.) obtestatur *per confessionem meritaque B. Januarii Martyris* (haud dubie pro patrono praecipuo habiti) ne codex, de quo agitur, de archivo Cathedralis discedat.

Digitized by Google

peritur. Neque id immerito; quia ubi corpus requieſcebat, ibi & ejus baſilicam fuiſſe neceſſe eſt.

Ergo peculiaris in S. Januarii memoriam extramurana Eccleſia tunc exſtabat, ab S. Joanne I. conſtructa, quando Martyris corpus e Marciano ſublatum in ea condidit, teſte Joanne chronographo: quae quidem, utpote tantum recondens theſaurum, maximae ſemper dignationis fuit, ita ut eadem noſtri antiſtites turbulentis (34) temporibus pro Cathedrali uterentur. Et ita quidem ſe res habuit, quamdiu ibi extra moenia S. Patroni corpus quievit.

§. II. *De S. Januarii, corpore quidem Beneventum, capite vero & ſanguine in Stephaniam translatis: deq. facta tum primum in Stephaniae cubiculo S. Martyris Eccleſia & Altari ad recondendas ejus reliquias. Locus Joannis Diac. nondum intellectus enucleatur.*

Nunc ſi poſſumus, inquiramus quid acciderit, poſtquam Sico princeps Beneventanus anno 817. ex illa extramurana baſilica Januarii corpus Beneventum abſtulit. Tunc quidem ſolum S. Martyris truncum fuiſſe aſportatum, ſacrum vero caput & cruoris ampullas Neapoli remanſiſſe, certiſſimum eſt. Ubinam ea pignora remanſerint, rogas. Facile viris doctis aſſentior, ea tunc in eadem extramurana S. Januarii aede remanſiſſe. Nam ſive quia forſan ſeorſum ibi aſſervabantur a corpore, ſive alia de cauſa; facile fuit ea duo pignora, ſive Siconis piae aviditati praeripere, ſive eodem Sicone aſſentiente retinere. Atqui non diu ibi tantum theſaurum ſubſtitiſſe, ſed mox in Cathedralem fuiſſe tranſlatum, minime dubito: etſi quandonam id acciderit, nemo antiquorum ſcriptum reliquit. At equidem eam capitis & cruoris translationem medio IX. ſaeculo ab S. Joanne Scriba (ejus nominis quarto: quem hujuſmodi plurimis translationibus ditaſſe Stephaniam ex chronographo Joanne conſtat) factam, ac mox ab ejus ſucceſſore S. Athanaſio nobilem S. Januarii Memoriam Stephaniae adjacentem fuiſſe adornatam, & in ejus Altari Caput & Sanguinem Martyris fuiſſe recondita, perſuaſiſſimum habeo. Jam quae modo hic uno ſub aſpectu poſuimus, ea latius deduci neceſſe eſt.

Ac primum omnium ex quodam Joannis diac. loco nondum cuiquam intellecto conſtat, fuiſſe ante S. Athanaſium quamdam S. Januarii Eccleſiam ſive potius Eccleſiae rudimentum, quam ipſe Athanaſius exornaverit, in eaq. Altare conſtruxerit ejus formae, quae ad reliquias (ipſius utiq. Martyris) recondendas comparata videretur. Eum chronogra-

(34) Legatur Joannes diac. in Pa[illegible]o epiſcopo ſeniore, Stephani II. deceſſore: ex quo cognoſces, hunc epiſcopum a ſuis civibus non receptum, toto biennio in Eccleſia S. Januarii extra moenia conſediſſe, eaq. pro Cathedrali uſum.

Digitized by Google

nographi locum, non sine ubere commentario ad rem de qua agimus minime inutili, in ima libri (35) ora reperies, omnino legendum.

Cum

(35) *De Athanasiana S. Januarii Ecclesia Joannis diaconi locus nondum perceptus enucleatur.*

Hodiernis Ecclesiarum CAPELLIS *respondebant apud antiquos cubicula. Quid haec* CUBICULA *fuerint, unde sic dicta, & quo ab hodiernis Capellis differrent. Loca S. Paulini & libri Pontificalis illustrantur. Quid* REGIA, *quidve ejus diminutivum* REGIOLA *fuerit. Ex hisce regiolis sive ostiolis constat, in Athanasiana S. Januarii Ecclesia S. Martyris Caput & Sanguinem fuisse servata: quae postea ibidem in vetere Thesauro colebantur.*

Joannes diac. in S. Athanasio inter opera ab eo ineunte episcopatum facta hoc primum memorat: *Ecclesiam S. Januarii in ipso subiculo positam renovavit, nobiliumq. Doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum Altare cum regiolis argenteis. Supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Januarii ejusq. sociorum acupictili opere digessit. Eodem enim opere in Ecclesia Stephania tredecim pannos fecit &c.* Quem locum non levi defrictum brachio expoliviſse magnopere proderit.

Ecclesiam, inquit, *S. Januarii in ipso cubiculo positam renovavit.* Quid *Ecclesiam* vocet, ex eo quod sequitur, intelligis. Saepe hoc inculcavimus, hujus aevi scriptoribus *Ecclesiae & Basilicae* vocabula modo primariis Ecclesiis, modo earum adhaerentibus oratoriis tribui. Atq. aliqui dixere, quas nunc Capellas vocamus, eas ab Joanne vocari interdum *Ecclesias*. Verum nego, apud antiquos *Capellas* nostris similes exstitisse. Nam hodiernae quidem capellae ita duabus basilicae alis hinc atq. inde praetexuntur, ut eae haud ambigue membra primariae basilicae sint habenda, nullis a basilica januis discreta, imo pervia, & cuilibet introeunti basilicam palam expositа, ac postremo una eademq. basilicae dedicatione consecrata. At vero quas hodie capellas, quo dixi modo constructas, nuncupamus, iis apud antiquos quaedam *Cubicula* (sic enim vocabantur) hinc atq. inde dispositа respondebant: quae recte possis etiam *Oratoria* nuncupare, quia ostio medio discreta ab navi & alis basilicae, secessum in secreto oraturis praebebant. Ac vide quo pacto S. Paulinus cubicula basilicae S. Felicis (quatuor hinc, totidem inde) descripserit: *Cubicula intra porticus quaterna* (singulis) *longis basilicae lateribus inserta, secretos orantium vel in lege Domini meditantium ... locos praebent.* Ecclesiastica isthaec *cubicula* ex Matt. VI. 6. haud dubie nomen inveniſse videntur. *Tu autem*, inquit, *cum oraveris, intra in CUBICULUM tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Hujusmodi cubicula, tum in domibus tum in Ecclesiis, alio vocabulo *Dietae* aut *Zetae* dicebantur: quae minime pervia, secessum secretum ab omni interpellatione praestabant. De *Dietis* egi ad Acta S. Castuli M. Pergit B. Paulinus. *Omne cubiculum binis per liminum frontes versibus praenotatur.* Hinc porro vides, ea cubicula ostiis non caruisse, in quorum singulis frontibus Paulinus binos versiculos inscripsit. Eorumdem cubiculorum eodem modo dispositorum meminit in Sergio liber Pontificalis: *Hic tectum & cubicula, quae* CIRCUMQUAQUE *ejusdem basilicae* (S. Petri) *sunt ... studiosius innovavit ac reparavit.* Ergo si recte verba nostri chronographi capimus, *S. Januarii Ecclesia* (quam etiam auctor Translationis Athanasii Templum S. Januarii vocavit) revera tam mediocris erat, ut unius ex cubiculis in orbem Stephaniae dispositis modum non excederet. At Ecclesiarum Episcopalium (non adhaerentium sed vicinarum) nonnullae multo majores erant, ut Ecclesia S. Petri, de qua cap. IV. dixi.

Jam vero chronographi verba, unde discessimus, repetamus. *Ecclesiam*, inquit, *S. Januarii in ipso cubiculo* (h. e. in cognomine cubiculo, aut Martyris ipsius cubiculo) *positam renovavit.* Nam ea cubicula haud raro Sanctis inscribebantur; sic enim Liber Pontificalis in Symmacho: *Fecit autem oratoria duo, S. Jo. Evangelistae & S. Jo. Baptistae ... quae cubicula* (vides heic vocari *cubicula*, quae superius *oratoria* dixerat) *omnia a fundamento perfecta construxit.* Ergo illud, de quo Joannes diac. memorat, recte antea *cubiculum S. Januarii* dicebatur: at postquam Altare ibi constructum, in eoq. reliquiae conditae fuerunt, ab eo tempore *Ecclesia S. Januarii*

Digitized by Google

Cum autem ea S. Januarii Ecclesia *renovata* ab Athanasio dicatur; necesse est eamdem, quamvis rudem & imperfectam, jam ante Athanasium (quo tempore ea CVBICVLI nomine donabatur) fuisse; & quidem facile per id tempus informatam, quo post raptum ab Sicone Martyris corpus, capitis & cruoris reliquias ex basilica extramurana in Stephaniam illatas fuisse, proxime ostendimus. Ab Siconis autem facto ad Athanasium duo tantum sedere Episcopi, Tiberius & S. Joannes Scriba hujus nominis quartus. Horum prior in tempora sibi ac suae Ecclesiae turbulentissima incidit, ita ut nec de transferendis reliquiis, nec de oratorio parando cogitare quiverit. Nec aliud profecto restat, nisi ut id decus S. Joanni Scribae reservetur. Is scilicet cum in id maxime incum-

nuarii vocari coepit, & quidem *in ipso cubiculo* h. e. ejusdem nominis cubiculo *posita*.

Pergit chronographus *Nobiliumq; Doctorum effigies in ea depinxit*. Vides quam antiquus Doctorum cultus in Ecclesia fuerit. S. Leonem *Doctoris* sollemni titulo jam inde ab saeculo VII. fuisse insignitum ex epigrammate Papae Sergii ad XXVIII. Junii demonstravimus.

Porro sequitur: *Faciens ibi marmoreum Altare*. Cubiculum quidem S. Januarii *Renovavit*, h. e. exquisitis picturis ornavit, ut, quia forsitan antea Ecclesia non fuerat, ab eo in Ecclesiam consecraretur, erecto Altari. At Altare *fecisse* dicitur, non simpliciter *Renovasse*. Et quidem *marmoreum* fecit, ut reliquiis S. Januarii aptum conditorium esset.

Faciens, inquit, *ibi marmoreum Altare cum REGIOLIS ARGENTEIS*. Quid hoc loco Joannes *Regiolas* vocat? Scio *Regiam* apud Ecclesiae scriptores esse portam sive Ecclesiae, sive sacrarii alteriusve partis: cujus haud dubie diminutivum nomen habendae sunt *Regiolae*, de quibus hic agitur. An igitur portas Ecclesiae S. Januarii, per quas in Stephaniam patebat aditus, intelligit? At portas aereas haud semel factas in Ecclesiis memini, argenteas non memini. *Cum regiolis*, inquit, *argenteis*. Deinde si de porta Ecclesiae agebatur, *Regias* dixisset, non ὑποχορίστικῶς *Regiolas*. Mihi, ne morer, haud dubium est, quin hae *Regiolae* illa ipsa ostiola fuerint, per quae ad conditorium reliquiarum S. Januarii intromitti oraria, aut similes panni possent, ut contactu sanctificarentur. Res trita est. Utitur eodem diminutivo vocabulo in eadem plane re vetustissimum Breviarium Capuanum, quod penes me est, in Lectionib. S. Rufini Episcopi Capuae (qui & olim VII. Kal. Sept. colebatur, & hodiedum colitur) in quo Lectione VII. *Deinde Episcopus* (S. Decorosus scil. Capuae Episcopus) *clausit regiolas, quae erant ante Altare*. Mox Lect. VIII. *Ad regiolas, quas Episcopus clauserat, vidit infantem* (antea prope exanimem, tunc autem intercessione S. Rufini recreatum) *alacrem huc illucq. circa altare deambulantem*. Haec eadem in Lectionib. S. Decorosi narrantur: nisi quod *Januae* in his vocantur quae ibi ὑποχορίστικῶς *Regiolae*. Ex his porro *Regiolis* discis, in Altari illo, quod S. Athanasius fecit, Reliquias fuisse positas, nec alterius quam Januarii, quia in ejus memoriam Ecclesia exstructa fuit: nec porro aliud ibi quam Caput & Sanguinis ampullas reconditas, quando cetera Sico abstulerat. Adde hoc etiam, has ipsas fuisse Capitis & sacri Cruoris reliquias, quae in vetere Cathedralis nostrae Thesauro (qui ibidem fuit, ubi olim Athanasiana S. Januarii Ecclesia, uti dicetur) diutissime ante relatum ex Monasterio Montis Virginis corpus asservabantur: quas Carolus II. Andegavensis, uti dicetur, argento & auro inclusit. Eae igitur olim, pro more antiquiorum temporum, sub Altari cubicularis illius Ecclesiae S. Januarii condebantur.

Sequitur apud Chronographum de Altaris velamine. *In quo*, inquit, *martyrium S. Januarii ejusq. sociorum acupictili opere digessit*. Sicuti ex Stephaniae columnis tredecim pannos suspendit idem pontifex, in quibus eodem opere Phrygionico Evangelicam descripsit historiam. Illud *acupictili* junctim scripsi, sicut in Anastasio legitur; nam male in hujus chronographi edito duabus id vocibus (nempe *acu pictili*) exhibetur.

Digitized by Google

cumberet, ut Stephaniam invectis Sanctorum corporibus locupletaret etiam de inferendis in eamdem superstitibus B. Januarii pignoribus cogitasse videtur, minime passus ea in intuto loco h. e. in extramurana Ecclesia asservari; ne raptorum (sicuti proxime evenerat) aviditati paterent. Nisi vero quis malit hoc translationis decus in ipsum Athanasium transfundere: qui non alia de causa Oratorium illud principio rude perfecerit, ibiq. mox Altare construxerit, nisi ut ibi S. Januarii reliquias ab se ex Memoria martyris extramurana translatas reconderet. Ex his omnibus profecto vides, jam inde ab nono sive medio sive jam vergente saeculo exstitisse quoddam B. Januarii oratorium, ejusdem reliquiis onustum, iis scilicet, quae tamquam unica ex naufragio tabula, tunc solae superabant.

§. III. *Ab hac cubiculari S. Januarii Ecclesia nomen ejusdem Januarii cum tota Stephania fuisse communicatum. Ejus nomenclaturae praeter alia jam nota testimonia, vetustissimum ex vita S. Athanasii documentum non dum animadversum repetitur.*

Hoc vero sanctuarium tantae veneration paullatim esse coepit, ut non immerito tota Stephania non aliter quam *S. Januarii Ecclesia* vocaretur. Cujus appellationis jam aliquot XIII. saeculi documenta a nostratibus scriptoribus deprompta fuerant: quae qui volent, in imo (36) margine adnotata cernent. At interim nostrorum hominum sollertiam longe antiquius monumentum fugit, quod inferne (37) ex Translatione S. Atha-

(36) Exstant apud Bollandistas ad Acta Translationis tertiae S. Maximi Mart. factae anno 1207. ab Anselmo Archiepiscopo, & a teste oculato scripta. Qui num. 8. Archiepiscopum alloquens sic narrat: *Deinde... reliquias Mart. & Levitae Maximi.... ad Majorem Ecclesiam* (Neapolitanam) *veniens, satis devote & honorifice collocasti.* Nihil hic quidem de S. Januarii nomenclatione legitur. At vero ibid. apud Bollandistas ejusdem S. Maximi antiquae lectiones exstant, in quarum VI. haec eadem sic leguntur: *Deinde... reliquias Mart. & Levitae Maximi.... ad majorem Ecclesiam BEATI JANUARII Mar. satis honorifice collocasti.* Haec vero eadem appellatio longe locupletiore teste confirmatur, nim. Clementis IV. diplomate, quod ex tabulario Capituli Neapolitani eruit Cam. Tutinus, & integrum in vita S. Januarii edidit pag. 123. Quo tamen diplomate quod Ecclesia Neapolitana *In ipsius* (B. Januarii) *honore dedicata* memoratur, id non de primaria basilica (quae quidem Salvatori dicata fuerat) sed de ejus parte illa, quae Ecclesiam sive oratorium S. Januarii constituebat, esse capiendum, infra ostendetur. Postremo in formula juramenti a beneficiariis praestiti Humberto Archiepiscopo (sub quo nova haec Cathedralis aperta fuit) sic beneficiarius ad ultimum promittit: *Limina BEATI JANUARII singulis annis personaliter visitabo, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Sic me Deus adjuvet. &c.* Exstat ea formula apud Tutinum ibid. pag. 100.

(37) Ab auctore Translationis S. Athanasii nostri (apud Bollandistas ad XV. Julii) sect. 9. dicitur *in Templum S. Januarii* ductum fuisse Athanasii corpus, ex Casinensi monasterio reductum, ac postea in oratorio S. Laurentii sepultum *juxta S. Joannem* (ejus nominis quartum) *suum nutritorem*. Ex his vides

S. Athanasii proferimus, ac simul nondum viris doctis intellectum exponimus: ex quo palam fit, sive ipsius Athanasii tempore coepisse Stephaniam ab S. Martyre sibi nomen adsciscere; sive potius (quia potuit ejus scripti auctor κατὰ πρόληψιν *per anticipationem* uti nomine, quod suo tempore incepit) eam nomenclaturam coepisse XI. sive potius XII. saeculo usurpari: quo tempore videri auctorem illum claruisse, jam supra Adnot. 29. demonstravimus.

Maneat igitur, jam inde saltem ab saeculo XII. & XIII. Cathedralem nostram, quae antea *Stephania* vocabatur, *Ecclesiam S. Januarii* dici coepisse: neq. id adeo quod Divino Salvatori consecrata esse desiisset, sed quia adjunctum celebre S. Januarii oratorium haberet. Nam sollemne omni tempore hoc fuit, ut ab adjunctis (38) oratoriis majores basilicae nomina sibi mutuatitia adsciscerent.

Ea quae hactenus exposui, duabus maxime animadversionibus confirmari possunt. I. Non solebant Martyrum reliquiae apud antiquos alibi quam sub Altari reponi. Ex quo efficitur, translationem Reliquiarum S. Januarii in Stephaniam, & Oratorii cum Altari constructionem eodem ferme accidisse tempore, quippe inter se conserta, ut alterum sine altero esse nequiverit. Nec enim Altare in Martyris memoriam Deo sacrari sine ejusd. Martyris reliquiis poterat; nec Martyris Reliquiae alicunde translatae, stabili in sede collocari alibi, quam sub Altari debebant.

II. Hinc vero etiam Clementis Papae IV. (cujus locum in Adnot. 36. indicavimus) verba intelliguntur, aliorsum ab aliis haud scite accepta. *Volentes*, inquit, *ut B. Januarius apud Ecclesiam Neapolis* (*Neapolis* ait, h. e. intramuranam aedem Cathedrali adhaerentem, non illam extramuranam, quae Clementis aevo *De foris* dicebatur) *QUAE IN EIVS*

des, ab hoc auctore (qui facile saec. XI. aut XII. scripsit) cathedralem Neapolitanam vocari *Templum S. Januarii*. Quod etiam ex eo possumus intelligere, quod in eodem opusculo infra in recensione miraculorum sect. XXII. mulier ait: *Ubi eum* (Athanasium) *quaesitura pergam? Ille* (qui ei apparuerat) *respondit: In Ecclesia Salvatoris vel* (pro *Et*) *ad venerabile ejus sepulcrum*. Ergo quod supra *Templum S. Januarii* vocaverat, idem plane quod *Ecclesia Salvatoris* erat.

Porro cur Ecclesia Salvatoris sive Stephania, vocaretur etiam *Templum S. Januarii*, Joannes diac. causam aperiet; qui in Athanasio scribit, ab hoc S. Episcopo *Ecclesiam S. Januarii*, quae tamquam Oratorium Stephaniae esset, fuisse renovatam, & marmoreum ibi altare constructum, & alia quaedam ibi facta: quem locum modo Adnot. 55. adscripsimus & explicavimus. Ab hoc ergo Oratorio Stephania nomen *S. Januarii* sibi postea adscivit.

(38) Hujus moris exempla omnium saeculorum atq. locorum affatim suppetunt. Domestica duo haec nunc menti occurrunt. Joannes diaconus in S. Severo Episcopo: *Nunc vero* (Severus) *requiescit in ea ipsa Ecclesia Neapoli constituta, quam alii Severianam, alii propter ORATORIUM* (Georgii) *IBI FACTUM, S. GEORGIUM vocant*. Alterum ex nova hodierna Cathedrali in Virginis Assumptae honorem facta petemus: quae quidem non tantum olim sed & hodiedum passim *Ecclesia S. Januarii* vocatur, neq. id alia de causa, quam ob adjunctum nobilissimum Thesauri ejus Martyris oratorium. Verum frustra in re apertissima laboramus.

Digitized by Google

EIVS HONORE dicitur DEDICATA. Ex his porro verbis Tutinus infert, totam cathedralem tunc temporis in honorem S. Januarii dedicatam fuisse, idq. Falconius sequitur. Atqui fugit eos ratio. Nam Neapolitana vetus Cathedralis usq. ad hodiernae structuram semper Salvatori Divino sacra fuit, quod ex innumeris horum ipsorum temporum monumentis & passim docuimus, & cap. seq. confirmabimus. Quare Clementis verba non nisi de Ecclesia S. Januarii, quae Cathedrali adhaerebat, sunt capienda: quae conditis ab S. Athanasio sub Altari capitis & cruoris reliquiis, recte *in S. Januarii honorem dedicata* dicitur. Pergit Pontifex: *In ejus maxime festivitate .. extollatur: attendenteſq. quod XIII. Kal. Oct. .. vindemiarum occupati laboribus ab Ecclesiarum visitationib. necessario retrahantur, festivitatem eamdem .. VIII. Id. Maii statuimus .. .. celebrandam*.

Ergo Neapolitana Cathedralis ab saeculo IX. usq. ad Clementem IV. (h. e. ad annum usq. 1266. quo illud diploma signatum fuit, annis ante Cathedralem inceptam prope L.) peculiarem habuit Ecclesiam in honorem S. Januarii dedicatam, ipsi Cathedrali adhaerentem: ex qua factum, ut tota Cathedralis interdum *S. Januarii templum* vocaretur.

§. IV. *Cubicularis S. Januarii Ecclesiae vestigia etiamnum hodiernae S. Restitutae basilicae adhaerescere ostenditur: quocirca Stephaniam illam, quae B. Januarii Ecclesiam sibi habuit applicitam, & ab ea nomen traxit, non aliam ab hodierna S. Restituta fuisse*.

Nunc illud est considerandum, utrum id S. Januarii Oratorium re vera ei basilicae, quae hodie S. Restituta vocatur, ita adglutinatum fuerit, ut ea de causa potuerit sibi S. Januarii nomen arcessere. Ita prorsus sese res habuit. Nam ubinam quaeso Athanasianam S. Martyris Memoriam fuisse necesse est, nisi aut in ipsomet antiquiore (qui adhuc exstat) S. Januarii *Thesauro*, aut saltem medio inter Veterem, qui adhuc est, thesaurum, & hodiernam S. Restitutae basilicam intervallo? Exstat hodieq. is vetus, uti dixi, thesaurus prope sinistram novae Cathedralis portam, quae alae sacratissimi Sacramenti recta regione objicitur. Ad veterem hunc thesaurum, turri cuidam impositum, olim cochlearibus ascendebatur scalis, nunc directis (39) satisque venustis. Idem porro thesaurus Mariae

(39) Cur scalae cochleatim antea dispositae, postea sub Archiep. Alfonso Carafa a Maria Toleta Proregis piissima conjuge in directum reficerentur, hanc Tutinus pag. 111. ex Actis Curiae Archiep. affert causam, nempe custodis aetate grandaevi, dum cruoris ampullas allaturus descenderet, inopinatam ruinam. Nam ubi ille primo in gradu, fallente vestigio, concidit; excussae ex pectore Sacerdotis ampullae totam gradatim cochleam ad imum usq. pavimentum circumactae decurrerunt. Illico omnes vitra confractae, cruoremq. effusum deplorabant. Quae ubi integra compererunt; id miraculo adscriptum, feminam lectissimam ac pientissimam impulit, ut et scalas rectas atq. magnificas conderet, & ipsum thesaurum reficeret atq. exornaret.

Digitized by Google

riae (40) Toletae munificentia anno 1557. ornatus fuit: sed dit antea imo ante hominum memoriam ibi sanctissimi patroni Reliquiae asservabantur. Hoc ergo vetus S. Martyris cimeliarchium non tantum argumento est, nonnisi in proximo hodiernae S. Restitutae olim veterem illam a chronographo Joanne memoratam S. Januarii Ecclesiam exstitisse, verum etiam, vel si quoquo versum illam metari libeat, semper tamen fuisse basilicae, quam nunc S. Restitutam vocant, necessario contiguam. Nam si ante dicto Thesauro meridiem versus S. Januarii Martyrium proxime admoveris; tum id nonpoterat hodiernae S. Restitutae Ecclesiae, quae longius meridiem, versus porrigebatur, non adhaerere. Sin eamdem Memoriam ad orientem veteris thesauri (quod multo verisimilius est) porrectam longius fuisse libeat; ibi quoque in hodiernam S. Restitutam incurrerit necesse est.

Ac sane cum etus Stephania post novam Cathedralem erectam in jura Canonicorum sub hodierno *S. Restitutae* nomine transiisset; totum id interni spatii, quod inter hodiernam S. Restitutam ac veterem Thesaurum a Maria Toleta renovatum intercedit, totum (41) id, inquam, ad huc

(40) De quo vide superiorem Adnotationem. Praestabit tamen ejus rei testem inscriptionem afferre: quae talis est.

D. O. M.
Dum Ferdinandus Toleti Alvae Dux Italiae Prorege
Praesidet Truentoque invicta virtute hostes Regni
Neapolitani finibus arcet
Maria Toleta ejus uxor Divo Januario aediculam hanc
Ex suo dicat, & voti compos ornat. An. Salutis
MDLVII.

Cui marmori, qua parte vacuum spatium inferne reliquerat, inscriptio altera recentiore manu ab eruditiss. Icto Jacobo Castello, viro optimo amicissimoq., adjecta haec fuit.

Dudum ampliore augustiereq. sede
Divo Januario constituta
Aediculam jam vacuam
Conlegium Divae Restitutae Virg. & Mart. sibi recepit
Quo statо quoque die corporati
Velut abdito in recessu pie sancteq. Deum colant
Actum auctoritate Ascanii Philamarini
S. R. E. Card. Archiep. Neap.
Assentiente Capitulo die III. Non. Jun. Ann. CIↃIↃCXLVII.

Concessionis hujus acta reperiuntur in Card. Philamarini Visitatione anni 1643. At non nisi demum anno 1647. ea concessio executionem nacta fuit.

(41) Sane cum ante paucos annos Altare S. Thomae Apostoli (quod quia cella nulla inclusum, sicuti cetera, fuerat, sed in ipsa Cathedralis ala parieti applicabatur; ob id abnorme videbatur) introrsum ad instar ceterarum in orbem aedicularum promovendum fuisset; totum id spatium quod operi necessarium fuit, a Neapolitano Capitulo gratis nobili familiae Theodorae (cujus juris id Altare est) concessum fuit.

Digitized by Google

adhuc ab eodem Capitulo poſſidetur eodem plane jure, quo & ipſa tota baſilica, quae olim Stephania fuit. In proximo igitur hodiernae S. Reſtitutae (olim Stephaniae appellatae) atque in ipſomet forſan antiquioris theſauri ſitu vetus illa *cubicularis S. Januarii Eccleſia* ab S. Athanaſio exornata adjacebat; aut vero facile ab vetere Theſauro, orientem verſus porrecta, ibi Stephaniae adhaereſcebat. Cujus oratorii celebritas in cauſa fuit, ut ultimis maxime temporibus tota vetus Stephania (quae hodie Sancta Reſtituta vocatur) nomen hoc etiam ſibi arrogaverit, ut *S. Januarii Eccleſia* diceretur.

Jam vero id S. Januarii Oratorium, cui jam longius immoramur, tamdiu ſtetit, donec novae Cathedralis conſtruendae cura Neapolitanos inceſſit. Quam ubi perfici placuit, S. Januarii aedem, quae conſtructioni impedimento erat, aut demoliri aut decurtare neceſse fuit. Sed tamen ejus loco turris in angulo novae Cathedralis prope portam erecta fuit, in qua tamquam in munimento tuto, B. Martyris reliquiae una cum ceteris ſacris Patronorum pignoribus recondi viſum fuit. Cui antiquiori Theſauro mox ante hos centum & quod excurrit annos Neapolitana Civitas impendiis plane regalibus hoc admirandae ſtructurae, quod hodie ad dextram introeuntium Cathedralem cernitur, Sanctuarium ſubrogavit; in quo non tantum capitis & cruoris B. Januarii reliquiae, ſed & ceterorum patronorum ſtatuae cum ſuis reliquiis aſſervantur.

§. V. *Obiter tum B. Januarii reliquiarum ex Altari erutarum tempus, tum & patrati tunc primum Sanguinis liqueſcentis miraculi epocha panditur.*

Modo a me demonſtratum fuit, illud S. Januarii Oratorium, (cujus Joannes diac. meminit: quod Stephaniae, h. e. hodiernae S. Reſtitutae ea parte adhaerebat, qua parte nunc antiquior S. Januarii Theſaurus cernitur) aut prorſus everti, aut detruncari debuiſſe, ut novae Cathedralis ampliſſima navis cum ſuis alis explicari poſſet. Quando igitur id fieri placuit, tum ſimul & Altare S. Januarii reliquiis ab S. Athanaſio (ut Adnot. 35. oſtenſum fuit) ditatum, dirui neceſſe fuit. Eo igitur prorſus temporis articulo (plane quartodecimo, uti dicetur, ineunte ſaeculo) venerandum Januarii caput & cruoris ampullas in conſpectum veniſſe, non dubito; nam ante id tempus nulla prorſus earum reliquiarum mentio reperitur.

Ergo, ut ſaepe dixi & iterum memoro, ea duo pretioſiſſima pignora ſub altari veteris illius cubicularis Memoriae ab Athanaſio locata fuerant; nec enim aliter dedicabantur in Martyrum honorem Martyria, quam illorum reliquiis ſub altari repoſitis. Cumq. oratorium ſimul & altare B. Januarii, ut novae Cathedrali locum praeberent, demolienda fuiſſent; venerabile illud caput cum ſacri cruoris ampullis detectum

Digitized by Google

fuit. Eaque una causa fuit, ut tum primum de utroque cimelio thecis argenteis includendo cogitari coeperit: de quo jam dicendum.

Nam idem Carolus II. Andegavènsis, qui exeunte XIII. saeculo & ineunte XIV. in novam Cathedralem perficiendam una cum Archiepiscopo ac populo sumptus suppeditabat, idem inquam anno 1305. S. Januarii ex auro & argento simulacrum conflandum locavit, in quod Januarii caput includeret, ut ex regesto (42) Regiae Siclae, & ex ejusdem Caroli regiis insignibus ac nomine in Januarii protome inscripto constat. Cumq. ampullarum cruoris theca ejusdem plane videatur operis atq. ingenii, & coronam superne impositam habeat; dubitari nequit, quin ea quoq. sive eodem circiter tempore ab Rege pientissimo constructa fuerit, sive non multo post ab alio principum Andegavensium.

Quorsum vero haec tam curiose notavimus? nempe ut intelligatur, frustra se fatigare scriptores nostros in figenda sanguinis liquefacti epocha. Frustra inquam id nostri satagunt. Nam si quid tale unquam saeculis illis remotioribus ac martyrio proximioribus acciderit, id plane ignoramus. At citimis certe temporibus (quandoquidem videtur Dei providentia his maxime saeculis id miraculum reservasse, quibus caritas multorum frigescens iteratis tanti perpetis prodigii follibus exsuscitanda fuisset) mihi hoc tantum Divinae virtutis signum, adhuc Deo miserante perennans, haud antiquius quadringentis quinquaginta annis, imo & paullo forsan recentius, videtur. Ad id vero temporis nos vitae S. Peregrini locus nondum intellectus ducit, quem seorsum ita inferne (43) exponimus, ut simul verisillimam ejus miraculi epocham stabiliamus.

Id quoq.

(42) Ejusmodi documenta ex Regesto Regiae Siclae eruta cognoscere apud Tutinum licebit in vita S. Januar. pag. 127.

(43) PROCVRSIO
De liquescentis B. Januarii Cruoris epocha.
PARS I.
Qua primoribus lineis informatur epocha prodigii.

Nec saeculi XI. nec XII. ulla sunt vera ejus miraculi documenta: nec verisimile, tunc Reliquias e regione poni solitas, quippe quae sub Altari recondebantur. Ex vitae S. Peregrini loco recte intellecto, putatis temporibus colligitur, paullo plus trecentesimo supra millesimum Christi anno jam id miraculum celebrari coepisse: quae epocha cum eo tempore, quo theca Capitis a Carolo II. facta, cohaeret. Sub idem tempus auctorem vitae S. Peregrini incidisse videri poterat. Sed postea auctorem hunc (qui Lupus de Specchiis vocabatur) medio XV. saeculo floruisse, compertum fuit. Vel sic tamen ejus auctoritate exordia miraculi sub Carolo II. figi posse, demonstratur.

Saepe quaesitum a patriarum originum scrutatoribus fuit, quam pridem miraculum liquescentis cruoris patrari coeperit, aut saltem quodnam sit ejus rei antiquissimum monumentum. Ac plane omnium vetustissimum illud esset, quod ex manu exarata S. Peregrini vita petitur: in qua is dicitur, cum esset Scotorum regis (Malcolmi, uti volunt) filius, relicta regia, ad invisenda sacra loca animum appellens, vergente saeculo XI. Neapolim veniens, prodigio sanguinis ebullientis interfuisse. Verum hoc testimonium pluribus modis a viris doctis eluditur: de quo postea videbimus. Nec certe videntur ante tempora Caroli II. uti vidimus, caput

&

Digitized by Google

& ſanguis e regione poni coepiſſe.

Huic teſtimonio fere ſuccedit alterum ex manu exarato Maral. Cartuſiani continuatore ductum, in quo Archiepiſcopus cum Clero proceſſiſſe obviam Rogerio regi Neapolim ingredienti anno 1140. legitur una cum Capite & Sanguine S. Januarii. Vide locum apud Tutinum in vita S. Januar. p. 86. Verum Cartuſianus iſte (qui niſi fallor ſaec. XV. vixit; aut perdiu certe poſt Caroli II. tempora) rem ex more ſui ſaeculi deſcripſit. Nam non tantum ſub Rogerio, ſed & uſq. ad Caroli II. tempus eae Reliquiae ſub Altari poſitae, non oſtendebantur.

His igitur teſtimoniis parvi penſis, primus omnium judicio ſcriptorum noſtratium Aeneas Sylvius (qui poſtea an. 1458. Pius II. fuit) ante trecentos amplius annos in ſuis Commentariis diſerte hujus miraculi meminit hiſce verbis. *Sacrum*, inquit, *illum Divi Januarii cruorem, quem modo concretum, modo liquatum oſtendunt, quamvis ante annos mille ducentos pro Chriſti nomine ſit effuſus.* Etſi, ut obiter moneam, ab Januarii paſſione ad Aeneam haec ſcribentem non modo ducenti, ſed ne CL. quidem ſupra mille annos fluxerant. Hic igitur omnium antiquiſſimus hujuſce prodigii teſtis putatur: poſt quem plures alii gregatim tum apud Tutinum ibid. tum apud Ant. Caracciolum producuntur, & omnium accuratiſſime in Ms. Chioccarelli volumine Brancatiano: in quod vir ſollertiſſimus monumenta omnia ad S. Januarium pertinentia, undecumq. corraſa coegit.

Sed redeo ad vitae S. Peregrini auctoritatem male a noſtris repudiatam: quam equidem contendo, recto poſſe talo conſiſtere, modo rite intelligatur. Hujus vitae Ms. verba ſic Tutinus ibid. recitat. *Venit* (S. Peregrinus) *Neapolim, quam veteres Parthenopem appellarunt, ad Sancti Januarii Martyris quotidianum & inſigne miraculum; ubi geminae phialae vitreae parvulae habent intra ſe ipſius Martyris durum ſanguinem ſicut ſaxum: quae cum ad Caput ejuſdem Martyris appropinquantur, ſubito liqueſcit ſanguis in illis cum aliqua ſpumanti bullitione.* De miraculo quidem vera omnia ſcriptor iſte narrat, ſed ejuſmodi tamen, quae non S. Peregrini (quem XI. ſaeculo peregrinatum volunt, & ab ea peregrinatione *S. Peregrini* tuliſſe nomen, quia verum ejus nomen ignorabatur) quae inquam non Peregrini, ſed ſcribentis aetati convenirent. Nam ſatis hoc familiare ſcriptoribus parum eruditis ſemper fuit, ut rebus diu ante geſtis circumſtantias adderent ſuo tantum tempori convenientes. Ac Peregrinus quidem reliquias S. Januarii ſub Altari poſitas eſt veneratus: at biographus, qui diutule poſt tempora Caroli II. ſcripſiſſe videtur, putavit, quod miraculum jam ſuo tempore palam fiebat, idem & ante trecentos annos a S. Peregrino viſum. Re autem vera poſt Caroli II. aetatem haec ab auctore vitae ſcripta fuiſſe, quae ſtatim ſequuntur, fateri cogunt. *Qui Martyr*, inquit, *a mille annis citra jam migravit ad Dominum, & phialae illae intactae perſiſtunt.* Nam ſi ab anno CCCV. (quo Januarius occubuit) mille annos numeres; ad annum 1305. perveniemus. Quare hunc vitae ſcriptorem haud longiſſimo poſt annum 1305. intervallo vixiſſe & vidiſſe miraculum, ſuſpicabar. Quem quidem fuiſſe exterum, conjiciio. Quippe hujuſmodi trita ac familiaria eventa ſcriptores populares notare non aſſolent: exteri accurate ſolent. Itaq. Aeneas Sylvius, & qui deinceps teſtes miraculi producuntur, exteri quoq. fuerunt.

Verum his omiſſis, demus huic vitae (quam videre non licuit) non conſtare in omnibus fidem. At in his certe, quae ad aevum ſcribentis pertinent, ei mentiri haud impune licuiſſet. Ergo hoc ſaltem ex hac vita intelligimus, milleſimo ferme poſt fuſum a S. Januario ſanguinem anno eumdem ebullire & liqueſcere conſueviſſe. Quare id miraculum anno Chriſti 1300. & quod excurrit, patrari coeperit oportet. Atq. ea mihi vera ejus miraculi epocha plane videbatur: quae in Caroli II. thecas fabricantis tempora incideret.

Ita equidem rationes mecum ipſe putabam. Sed poſtea ex quodam Tutiniano auctorum Mſcriptorum ſyllabo didici, S. Peregrini vitam a *Lupo de Specchiis* ſcriptam, finiſſe. Hunc eumdem vitae ſcriptorem Caeſar de Engenio (ubi de S. Peregrini Eccleſia, pag. 82.) *Lupum de Speis* vocat, & conſiliarium & R. Camerae Summariae praeſidentem ſub Alfonſo I. fuiſſe dicit. Hoc doctus indicio, Toppii opus *De orig. Tribunalium* adii: a quo is pluries laudatur, & bis tantum *Lupus de Specbio* aut *Specchio*, at alibi ſemper *De Speio* cognominatur: etſi de ſcripta per eum S. Peregrini vita nuſquam

Digitized by Google

mentionem injicit. Ex ejusdem parte 1. pag. 148. constat sub Alfonso I. praesidentem R. C. Summariae fuisse anno 1443. Is adhuc anno 1467. & sequente Praesidens erat Camerae, uti ibid. ex pag. 211. constat. Porro quantum ex aliis ejusd. Toppii monumentis potest intelligi, videtur fuisse simul Praesidens Cam. & Consiliarius. Item domo Valentianus eid. Toppio parte 2. p. 206. dicitur.

Haec de auctore vitae: quam ne nunc quidem videre usquam contigit. Ex quibus vides, hunc qui adhuc anno 1467. viveret, & ab anno circiter 1440. Camerae Regiae praesideret, videri sub annum 1430. S. Peregrini vitam scripsisse, i.e. centesimum eoq. amplius post simulacrum S. Januarii a Carolo II. factum. Hinc etiam discis, ubi is scriptor ab Januarii martyrio ad suam de S. Peregrino scribentis aetatem *annos mille* numerat, ei numero centum, & quod excurrit, deesse annos, uti summam ex vero collectam habeas. At contra Aeneas Sylvius (a quo supra ostendimus, a martyrio ad suam aetatem *annos mille ducentos* fuisse numeratos) quinquaginta circiter annos de suo largiter adtexuit. Nam quis non rotundos numeros, verae summae securus (praesertim cum non id agitur) sequitur?

Ergo quamvis Lupus hic noster S. Peregrini vitam centesimo & quod excurrit anno post thecam Capitis a Carolo II. conflatam (h.e. post exordia miraculi verisimillima) scripserit; nihil tamen ex putatis a me rationibus decedit. Nam anno circiter 1430. (quo videtur Lupus elucubrasse vitam) id miraculum tam antiquum ei videbatur (necdum enim exordia prodigii curiose tradita litteris invenerat) ut potuerit illud ad S. Peregrini tempora h. e. ad quadringentos retro annos retrahere. Nil ergo mirum si divinum id signum saltem centum paullo plus annis ante Lupum inceperit.

PARS ALTERA.

Qua adumbratio prior accuratius expolitur. Ejus miraculi initia nec priora anno 1337. nec posteriora medio ferme. eodem saeculo fuisse, suadetur. De S. Januarii Rosalibus.

Et hactenus quidem deploratissimam hujus miraculi epocham leviter informaveram. Sed postquam superiora scripsissem, incidi in Tutiniana Rituum Ecclesiae Neap. Joannis Ursini (qui medio saec. XIV. hanc rexit Ecclesiam) excerpta: de quibus Parte altera hujus opusculi copiose agam. Ex iis igitur Ritibus comperi, nondum ad annum 1337. (quo ii Ritus promulgati fuerunt) in festo Translationis id miraculum patrari consuevisse; imo nullum prorsus in tota illa Rituum collectione prodigii hujus vestigium exsistere. Ursiniana loca mox fide summa producam. Quocirca doctior his locis factus, *nunc* (ut ille ait) *retrorsum*

Vela dare atq. iterare cursus
Cogor relictos.

Nihil ergo probabilius afferre posse mihi videor, quam Carolum quidem II. nihil praeter sacri Capitis simulacrum conflavisse. Sanguinis enim ampullae tunc temporis aut adhuc ignotae delituisse videntur, aut certe aliquandiu sine theca, qua nunc includuntur, in armario repositae jacuisse. Necdum enim e regione Capitis positae, nullas adhuc fluoris & concretionis vices ostenderant. Itaq. Joanne Ursino suum Rituale opus anno 1337. evulgante, nulla dum, uti credo, miraculi notitia Neapolitanis fuerat. Cur enim non modo in Transiationis festo ullum de Sanguine Januarii verbum injicitur, sed nullo prorsus per anni circulum tempore de eo venerationi fidelium proponendo fit mentio? Potuit ne res tanta praeteriri silentio? At demum fere medio eodem saeculo, ac certe sub Regina Joanna I. (quae ab anno 1343. ad 1382. regnavit) tam stupendum prodigium animadversum fuisse suspicor; ac statim tum thecam illam, quae nunc cernitur, tum simul etiam nobile ac magnificum ferculum, cui theca ampullarum immittitur, fuisse conflata. Ab eo vero tempore statis anni diebus coepisse utrasq. Reliquias e regione poni, ac miraculum tantum palam omnibus celebrari, necesse est. Ac vere mihi hoc videor esse dicturus, in tanto ac tam testato prodigio hanc quoque hominum illius temporis supinitatem mihi prorsus prodigialem videri, ita ut non modo nunc nihil prorsus de ejus Divini signi exordiis usquam scriptum reperiatur; verum etiam quod vix centesimo post ejus miraculi initium anno Lupus de Specchio in sua S. Peregrini vita adeo nihil prorsus de tam recentibus initiis sciverit, ut potius e tam longinquo id prodigium adciverit, ut illud idem jam tum saeculo XI. factitatum crediderit, & a S. Peregrino Malcolmi Scotorum regis filio conspectum. Adeo

veris-

Digitized by Google

verissimum est eventorum quamlibet celebrium initia nisi litteris consignata fuerint, ne ad centum quidem annorum spatium propagari.

Nunc quoniam ex Ursinianis Ritibus colligi diximus, anno 1337. hodiernum miraculum adhuc fuisse inauditum; age loca quae huc pertinent, adscribamus.

Cap. 35. *Item in festo S. Januarii de mense Maii talis ordo servetur.*

Cap. 36. *Die Sabbati in vigilia ejusd. festi de mane in aurora CAPVT beatiss. Januarii coopertum pannis cum duobus clericis portantibus duas torcias reverenter portari debet per clericos, quibus .. Archiepisc. commiserit, ad unam infrascriptar. Ecclesiar. secundum dispositionem .. Archiepiscopi, videl. S. Apostoli, S. Pauli Major. S. Mariae Major. S. Mariae Rotundae, S. Andreae ad Nidum, S. Georgii Major. S. Mariae ad Plazzam, vel ad aliam Ecclesiam, si .. Archiepiscopo videbitur ...*

Cap. 37. post panca. *Dominus Archiepiscopus .. processionaliter cum Capitulo suo toto, Episcopis, Abbatibus, clero universo, cunctis de populo ibid. congregatis, vadit ad Ecclesiam, in qua CAPVT beatiss. Januarii reconditum fuerat die Sabbati proxime praecedentis, de mane, ut superius exprimitur, & cum ibi fuerit Universitas Civitatis Neap. quae CAPVT beatiss. Januarii associare tenetur .. duo de praedicta Universitate de Platea Capuana & Nidi & inde duo de aliis Plateis, & duo de Populo portare tenentur supra Caput beatiss. Januarii pallium cum hastis more solito. Quod CAPVT in die praedicta deferre tenentur Praelati usq. ad tertium spatium viae secundum beneplacitum Domini Archiep., & postea ubi fatigati essent, Capitulum Ecclesiae Neap. deferre tenetur. Quod cum delatum fuerit ad dictam Ecclesiam, & in Altare reverenter ... repositum, Dominus Archiep. vadit in sedem suam .. & incipit Vesperas ... Episcopis & Abbatib. suffraganeis stantibus in stallis seu locis consuetis.* Ex his vero satis arbitror animadvertitur, usq. ad annum 1337. non modo ignotum fuisse sanguinis liquescentis prodigium, sed ne efferri quidem in ea processione sacrum Cruorem, aut proponi ad venerationem consueviſſe. Aut si vero id tunc factum fuisse pertenderis; sane dicemus, rei tantae silentium (ibi praesertim, ubi id silere minime licuisset) fore ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius; nec ab ullo sanae mentis prorsus admitti posse.

Ex hoc, uti dixi, tanto ac tam constanti silentio manifestum est, usq. ad ann. 1337. nihil dum de eo miraculo auditum. Cur vero sub Joanna I. id tandem editum rear, hanc habeo causam. Anno circ. 1430. aut summum 1450. Lupus in Peregrini vita tam antiquum id miraculum credidit, ut id potuerit ad quadringentos retro annos retrahere. Quod si illud multo recentius anno circiter 1350. fuisset; certe senes recentis initii meminissent, ac Lupum opportune dedocuissent. Non potuit igitur multo serius medio XIV. saeculo exordium prodigii contingere.

Addam nunc ex iis quae sequuntur, panca, propterea quod ad ῥοδισμὸν (*Rosalia*) S. Januarii pertinent. Nam statim postea triplex matutinum praescribitur: quorum primum a Capitulo Neap. dicebatur, duo sequentia a Congregationibus aliquot Ecclesiarum. Sequitur deinde Missa per Archiepiscopum celebranda, ut in die Nativitatis. Postremo additur. *Solatia consueta fieri debent* (praesentibus) *ad Expensas Domini Archiepiscopi. Et ad dictam Missam venire tenentur Archipresbyteri Calviczani, Aftagolae, & Foris fluminis cum clericis suis cum CORONIS ROSEIS & ALIOR. FLORVM, nec non & ferre ARBORES ORNATAS FLORIBVS & avibus diversis.* Quibus deinde Archiepiscopus dare prandium debet.

Haec, uti dixi, ad ῥοδισμὸν sive *Rosalia* S. Januarii sunt referenda: qui ritus in causa fuit ut festum Translationis S. Januarii a majoribus nostris vernaculo nomine diceretur *l' Ingbirlandata*. Eodem quoq. & illa pertinent, quae de eodem festo leguntur cap. 38. his verbis. *Antequam Dominus Archiep. fit in Ecclesia, tenentur Episcopi & Abbates omnes suffraganei una cum clero universo civitatis Neap. esse in Choro parati, videl. Episcopi & Abbates cum pluvialib. mitris & crociis; Capitulum autem cum cottis & pluvialib. Clerici vero omnes cum cottis, CORONATI CORONIS ROSEIS vel ALIOR. FLORVM in capitibus, nec non deferre ARBORES ORNATAS FLORIBVS & avibus diversis. Archipresbyteros .. omnes Archiepiscopus ad comedendum invitare debet.* De ῥοδισμῷ sive *Rosalibus* istis (quae certe mihi

Id quoq. notandum est, Canonicos Neapolitanos, (ad quorum jura vetus Stephania sub nomine S. Restitutae transmissa fuit) non temere per idem tempus curasse, ut in musivo opere S. Mariae de Principio S. Januarii effigies exprimeretur, ut quoniam ejus oratorium proxime evertendum erat, eo saltem loco imago (44) simillima fidelium cultui proponeretur.

Hactenus ostensum fuit, ob eam quoque causam videri hodiernam S. Restitutae Ecclesiam fuisse veterem Stephaniam, quod utriq. Athanasiana B. Januarii Ecclesia proxime adhaesisse ostendatur: ex eo vero fieri, ut non nisi hodierno S. Restitutae templo *S. Januarii* appellatio (quae Stephaniae peculiaris fuit) congruere debuerit. At vero qui nuper Stephaniam in hodierna Cathedralis cruce posuerunt, ostendant mihi rogo ubinam in ea vicinia oratorium S. Januarii fuerit, cum ipsimet fateantur, suam commentitiam Stephaniam ex uno latere via publica, ex altero SS. Petri & Susannae, itemq. S. Laurentii Ecclesiis artatam fuisse, quo minus alia oratoria posset admittere.

SECTIO II.

De vetere novaq. S. Restitutae nomenclatione.

Nec dissimilis est ratio cur vetus Cathedralis, quae antiquitus Stephania aut basilica Salvatoris nuncupabatur, post exstructam hanc novam sub regibus Andegavensibus Cathedralem *S. Restituta* appellari coeperit. Etenim jam inde ab eo tempore, quo S. Restitutae corpus ab insula Enaria in Cathedralem Neapolitanam invectum fuit, ei Virgini Memoriam sive oratorium non incelebre fuisse constructum, certissimum est: de quo vide dicta cap. superiore in responsione ad III. objectionem & quae cap. seq. ex chronico S. Mariae de Principio afferemus. Id vero Restitutae Martyrium in postico hodiernae aediculae S. Mariae de Principio fuisse infra demonstrabitur, cum de ejus sacelli musivo ac subjectis versiculis commentabimur. Post

mihi videntur sub CPolitanis principibus, quibus haec urbs parebat, ex Ecclesiae CPoli. -ae imitatione Neapolim fuisse traducta) dixi accurate ad Kalendar. Marmor. ad XIII. Febr. Adnot. 27. quae inscribitur, *De Rhodismo S. Timothei, deq. S. Januarii Inghirlandata*. Vidisse ibi dicta pigebit neminem; nec enim nunc actum agere volupe mihi aut lectori fuerit.

(44) Simillima, inquam, ei, quae in Ecclesia S. Januarii ab S. Athanasio posita fuerat. Quod ideo notamus, ne tibi vir optimus, at (quod aetas illa peccabat) minime *χριτικὸς* Tutinus imponat, quem vide pag. 95. Is quia cum ceteris nostris scriptoribus credidit musivum S. Mariae de principio fuisse a Constantino constructum (quod tamen non ante annum 1313. fabrefactum, ex subjectis ibi versibus cap. VI. ostendam) ob eam causam censuit, Carolum II. Andegavensem curasse, ut simulacrum aureum, in quod caput Januarii inclusit, eodem vultu effingeretur, quo idem Martyr in musivo S. M. de Principio conspicitur. Verum, uti dixi, satius erat affirmare celeberrimorum Sanctorum vultus ad eamdem semper effigiem per manus traditam conformari consueviss: itaq. ab eo factum, ut uterq. vultus, tum musivi, tum etiam aurei simulacri haud absimilis esset; imo uterque quoad poterat, simillimus ei Martyris imagini fieret, quae in Athanasiana S. Januarii Memoria colebatur.

Digitized by Google

Post novam igitur Cathedralem erectam, cum vetus Stephania (quae in Capituli Neapolitani dominium transiit: quonam jure, infra aperiemus) vetera τῶν πρωτείων ornamenta amisisset: cum adhaec omnibus sacris pignoribus, quae in novam Cathedralem translata fuerunt, praeter S. Restitutae ac S. Joannis Scribae corpora, exspoliata fuisset; coepit ab iis, quae sacratiora retinuit, nomen sibi adsciscere. Duo autem praecipue hanc veterem Cathedralem ab eo tempore illustriorem efficiebant, S. Restitutae corpus, itemq. S. Mariae de Principio aedicula. Ea igitur huic veteri Stephaniae nomen quaesierunt: quae ab eo tempore duplici appellatione decorata fuit. Jam tum enim passim haec vetus basilica tum *S. Maria de Principio*, tum etiam *S. Restituta* vocabatur. Hoc quod per summa capita hic informavimus, id plenius ac planius infra suo loco exponemus. Atq. ea est causa, cur semper ac vetus haec Cathedralis mihi appellanda fuit, eam *Hodiernam S. Restitutam* ad nauseam usq. nuncupavi. Quod necessario faciendum fuit, ut ambiguitatem nominis devitarem. Nam *S. Restitutae* vox olim tum apud Joannem diac. tum apud auctorem vitae longioris S. Athanasii strictius accipiebatur, pro ea scil. adjacente Ecclesia, in qua S. Restitutae corpus venerationi patebat: dum interim haec vetus Cathedralis suis donaretur nominibus, nim. *Stephaniae* aut *Salvatoris*. At postquam saeculo XIV. nova Cathedralis patuit; vetus Stephania passim *S. Restituta* (ob illatum scil. S. Restitutae corpus) nuncupari coepta fuit.

CAPVT VI.

Ex citimorum saeculorum ante & post novam hodiernam Cathedralem unanimi consensione, & ex scriptorum ante hos ducentos annos sententia ostenditur, Stephaniam non aliam ab hodierna S. Restituta fuisse.

HActenus id data est opera, ut antiquorum nostratium scriptorum, qui quidem adhuc extent, loca undecumq. corraderem, ex quibus veterem illam decantatam Stephaniam (quae nim. in Constantinianae basilicae Salvatoris nomen successerat) in hodierna S. Restituta adhuc aegrum & anhelantem spiritum ducere fateri cogamur. Et quidem auctores illi ex quibus testimonia decerpsimus, ad XII. aut saltem XI. usq. saeculum pertinent. Nunc porro videamus, utrum in eamdem consensionem sequentes etiam scriptores conjurent, ii nim. qui ab saeculo XIII. ad hanc usq. aetatem scriptis aliquid consignarunt, & ii maxime qui paullo ante aut paullo post hanc erectam novam Cathedralem claruerunt: quo tempore veteris Stephaniae reliquiis novum *S. Restitutae* nomen inditum, contendimus. Tunc enim a nemine ignorari poterat, quaenam recens Cathedralis esset, quis vero veteris decur-

Digitized by Google

curtatae truncus, qui tunc adhuc palpitans cernebatur. Quod si per ea quae dixi tempora in illa, quae hodie *S. Restituta* dicitur, veterem Cathedralem, ac nominatim *Stephaniam* agnoscendam fuisse intellectum fuerit; ecquis amplius rei tam certae atq. testatae movere controversiam poterit? Age, ab saeculi XIII. scriptoribus tribus, qui haud diu ante novae hujus Cathedralis fundamenta jacta floruerunt (Albericum dico & Jo: Cimeliarcham, & alium quemdam chronographum) ordiamur.

SECTIO I.

Alberici testimonium.

Apud Ughellum (in Antistitum Neap. serie) in S. Asprenate Episcoporum primo exstat S. Episcopi *Vita & obitus* a quodam Alberico (45) scripta; haud magni pretii illa quidem, nisi quod *Stephaniae* meminit: ex quo intelligas ante medietatem XIII. saeculi adhuc *Stephaniae* nomen perduravisse. Nam quod ea hujus Alberici aetas fuerit, ex prologo, quem scriptioni praemisit, intelligitur, quo Petrum de Surrento Archiepiscopum Neap. alloquitur, a quo se stimulatum ad scribendum praefatur. At Petrus iste ab anno 1216. ad 1251. nostram Ecclesiam administravit. De Stephania autem sic Albericus iste nomine tenus meminit, ut nihil inde eruere in rem, qua de agimus, liceret; nisi auctor chronici S. Mariae de Principio (quod haud diu post Albericum, h. e. eodem vergente saeculo scriptum fuit) totum eum Alberici locum ita decerpsisset, ut tamen haud dubie *Stephaniam* in ea, quae hodie *S. Restituta* vocatur, agnoverit. Quo circa Alberici mens ex interpretatione laudati chronici prorsus est capienda.

Is igitur Albericus in fine vitae, ubi ad miracula narranda devenit, sic incipit. *De cetero quantum qualemq. se in praesulatus pontificio exhibuerit* (Aspren) ... *signa quae in nostris quoq. temporibus per eum operari dignatur Divinitas .. manifestant. In hac Neapolitana urbe vir quidam religiosus & Deum timens fuerat, & huic conjux religiosa ... justi ambo ante Deum procedentes in mandatis & justificationibus Domini sine querela: & non erat eis filius sive filia, cum eis substantia non mediocris & familia* (servorum) *afforet non exigua. Flagitabant S. Praesulis merita prece assidua .. terebant sedulis gressibus ejus basilicae dicata limina ... Penetrant sancta eorum vota .. caelum & per Aspren porriguntur ad Deum. Demum si magnis licet componere parva, alteri Zachariae, Elisabeth alteri, alter Joannes nascitur, virtutum luce varia & moribus honestissimis decoratus. Non obliti praememorati jugales ea, quae*

(45) Verum hujus scriptoris nomen *Albericus* fuit, uti (praeterquam quod *Alberici* nomen usitatissimum XII. & XIII. saeculo fuit) ex omnibus, qui eum postea citarunt, constat. At quia in Vghello *Alberius*, errore opinor typographico, legitur; ea menda ex Vghello in Cangii Glossarium redundavit, in cujus praevio Scriptorum indice *Alberius* consonâ detractâ scribitur.

Digitized by Google

quae ſancto Patre Aſpre intercedente adepti caelitus fuerant beneficia, pro gratiarum redditione AD ANTISTITIS DECVS AVLAM decentiſſime CONSTRVVNT, ſicut uſq. in HODIERNAM DIEM CERNERE eſt in ea quae dicitur STEPHANIAE BASILICA.

Ex his vides, hoc miraculum proxime Alberici tempora contigiſſe (NOSTRIS TEMPORIBVS; uti huic miraculo praefatur) proinde pro vero eſſe habendum. At noſtrorum plures id uti fabuloſum traduxerunt: quos ſcil. offendit narratio eadem, quae in Chronico S. Mariae de Principio & Jo: Villano miris adulterata modis cernitur. In his enim duobus haec ſic ferme leguntur, quaſi ſi ipſo Aſprene adhuc vivente patrata fuerint. Mitto quod idem chronicon atq. Villanus ei puero caelitus impetrato *Joanni* nomen fuiſſe narrant; cum tamen Albericus, quia genitores ejus cum Zacharia & Eliſabeth comparaverat, debuerit etiam puerum cum Joanne conferre; ex quo ei *Joannis* nomen impoſitum minime ſequitur. Poſtremo illud quis ferat, quod AVLAM illam, quam genitores *ad Antiſtitis decus conſtruxiſſe* ab Alberico memorantur, chronici ejuſdem auctor neſcius quidnam interpretaretur, prodigalitate ſumma uſus, tum Stephaniam totam, tum etiam Epiſcopale palatium (cujuſmodi ſcil. XIII. & XIV. ſaeculo ab Archiepiſcopis incolebatur) uno illo AVLAE (46) vocis ambitu complectitur? In eo tamen commodum ſe

H chro-

(46) In Chronico S. M. de Princ. fol. 4. narrationis hujus hic finis eſt. *Demum Joannes* (imo is potius qui cum Joanne ab Alberico comparatur) *naſcitur ... non obliti conjuges praefati quae a dicto B. Aſpren intercedente adepti caelitus beneficia fuerant, pro gratiarum redemptione ad Antiſtitis decus hoſpitium cum aula, cameris & jardeno deceptiſſime conſtruxerunt. Nec non ad honorem & gloriam Jheſu Chryſti* (h. e. Salvatoris, cui Stephania dicata fuit) *eccleſiam ſeu baſilicam ipſi hoſpitio contiguam* (copulatam *cum epiſcopio* dixerat Joannes diac. in Stephano I.) *cum duabus aliis* (corr. *aliis*: niſi vero quod Etruſci ſcriptores *Alia* pro *Ala* ſaepe dixerunt, id ex corrupta ejus aevi Latinitate manavit) *& cappellis quam pluribus* (quae capellae jam tum aevo hujus chronographi extimas duas alas occupaverant, ita ut duae tantum alae interiores tunc ſupereſſent) *ſitam in longum, cum curti videlicet* (atrium intelligit foribus baſilicae praeſtructum) *ad nobilem Capuanae plateam* (viam hanc qua parte Stephaniam praetergrediebatur, *Plateam Capuanae* dictam reperio, quod exordium caperet a *Caſtro Capuanae*, imo ab ipſa Capuana porta: unde & *Curia Capuanae* nomen arripuit) *ut uſque in hodiernum diem eſt cernere in ea quae dicitur baſilica Stephaniae.*

Haec vero Joannes Villanus noſter extremi ſaeculi XIV. ſcriptor in Neapolitanum ſermonem ita convertit, ut etiam ex Alberico ipſo potaſſe aliquid videatur. *Finalmente ſi è lecito d'aſſimigliare l'uno di queſti ad Zaccaria e l'altro ad Eliſabeth, che loro naſcie un altro Joanne, cioè che come Zaccaria & Eliſabeth fecero Joanne, così a queſto marito & mogliere naſci uno figliolo chiamato Joanne, quale creſcendo de età di diverſe virtute & honeſte coſtume ornato, li predicti marito & mogliere non diſcordandoſe de S. Aſpren, e che haviano acquiſtato per ipſo ſi facto dono & quanto beneficio mandato gli era dal cielo per ipſo, pigliaro per rendere lor gratie, ad honore del dicto Epiſcopo fecero l'hoſtiere ſuo con ſale & camere & giardino dilectiſſimo. Oltra a queſto a honore & gloria de Jeſu Chriſto feceno edificare la Eccleſia o baſilica conjuncta al dicto hoſtieri & parochie, cappella poſta ſopra la piacza de Capuana con una corte, la quale per fino*

ad

chronicon istud praebet, quod in sequentibus (fol. 5. a tergo & fol. 6.) aediculam, in qua Aspren & Candida vitam traduxerunt, nunc prope S. Joannem ad Fontem, nunc prope capellam S. Mariae de Princ. fuisse agnoscat; ac per hoc *Stephaniam* ab Alberico nominatam non aliud quam hodiernam S. Restitutam ex suae aetatis consensu interpretetur.

Sed & chronographi S. M. de Princ. locum (quem mox plenius sect. III. num. I. explicabimus) & Jo: Villanum missos faciamus; & illud potius inquiramus, quid re vera Albericus AVLAM illam intellexerit, quam caelitus fecundi genitores *ad Antistitis* (Asprenis) *decus construxerunt*. Ut a magis usitata apud Ecclesiae scriptores ejus nominis notione ordiar; AVLA interdum navim (47) Ecclesiae, alias totam ipsam (48) Ecclesiam designat. Et posterior quidem notio loco Alberici convenit. Itaq. si me audis, genitores illi non aliud, quam *Aulam* (i. e. Ecclesiam) *ad decus Antistitis* Asprenis *construxerunt*. At quia *Aula* illa in Stephania, tamquam in toto pars (vide locum supra ex Alberico recitatum) Alberici aetate cernebatur; ob eam causam non ipsam Stephaniam cum Lectionibus (49) S. Asprenis anno 1525. editis, & cum chronico S. M. de Princ. interpretari decet, verum potius minorem Ecclesiam Stephaniae adjacentem *ad Antistitis* Asprenis *decus constructam* a genitoribus illis, qui paullo ante Alberici aetatem vixerunt. Itaq. S. Asprenis Ecclesia ista, in qua haud dubie ejus corpus quiescebat, facile XII. saeculo erecta fuit.

Nunc de loco, si fieri possit hujus Aulae investigando stimulat non levis cura. Ac sane quidem de ala illa S. Restitutae, quae a cornu epistolae meridiem versus procedit, cogitare non licet, si quidem (quod vulgo volunt) latus illud basilicae ortivum via publica stringebatur. Itaq. oratoria

al tempo de mè se vede, & chiamase la basilica de Sancto Stefano. Hoc est *basilica ab S. Stephano* (primo hujus nominis) *aedificata*, eoq. *Stephania* vocata. Nam si in S. Stephani protomartyris honorem dicatam illam Stephaniam interpretatur, splendide fallitur.

(47) Vide Cangium in *Aula*, ubi exempla hujus significationis affert.

(48) In Musivo apsidis Cathedralis Ecclesiae Capuanae (quod Card. Nicolao Caracciolo Cathedralem renovante & amplificante deperiit) hi duo hexametri legebantur.

Condidit hanc AVLAM (i. e. Ecclesiam)
Landulfus & Otho beavit:
Moenia res morem: vitreum dedit Hugo decorem.

Vitrea decoris nomine opus illud musivum intelligebatur.

(49) In Lectionib. SS. Neap. anno 1525. editis, in S. Asprenis lect. VI. sic legitur: *Conjuges vero ipsi... basilicam ad honorem Sancti Aspren decentissime construunt, quae usq. in hodiernum diem dicitur Stephaniae basilica*. Recte quidem *Basilica* vocatur, quam Albericus Aulam nominaverat: at ultima, nisi vitio carent, ostenderent, a genitoribus illis totam Stephaniam fuisse factam. Sed magis est, ut manca typographico errore periodus, fine dubio videatur sic supplenda: *Quae usq. in hodiernum diem (cernitur in ea quae) dicitur Stephaniae basilica*. Exstabat enim usq ad citima tempora in Stephaniae reliquiis (i. e. in hodierna S. Restituta) *Aula S. Asprenis* h. e. Oratorium a genitoribus illis erectum. Porro illam parenthesin (*cernitur in ea quae*) desumpsi ex supra recitato Alberici loco.

Digitized by Google

toria omnia Stephaniae adjacentia, non nihil illi admovebantur alae, quae a capella S. Mariae de Principio meridiem versus progreditur. Non potuit autem S. Asprenis Aula sive Ecclesia in posti[illegible] Mariae de Principio sita esse, quia ea maxime parte Ecclesia S. Restitutae illa (cujus tamquam a Stephania distinctae vita longior S. Athanasii meminit) posita esse debuit, ut infra ostendemus. Nec potuit in postico capellae ultimae meridiem versus collocari eadem illa S. Asprenis Aula; quia ibi Athanasianam S. Januarii Ecclesiam fuisse, uti cap. superiore diximus, necesse est. Ergo fuerit oportet medio ferme intervallo, atq. ibi forsitan, ubi ante hos paucos annos vir undecumq. ornatissimus deq. suo Neapolitano Capitulo multis nominibus optime meritus, Januarius Majellus, Caroli Archiep. Emisseni viri sanctissimi doctissimiq. germanus frater, Deo *ad Antistitis* Asprenis *decus construxit* (uti verbis Alberici utar) sacellum sane quam pulcherrimum. Ibidem, ni fallor, olim *Aula* sive oratorium S. Asprenatis fuit. Ac memini me ex eodem Canonico Majello viro benevolentissimo audisse cum diceret, idcirco se illo maxime situ S. Asprenatis aediculam exstruere voluisse, quod nempe ibi prope hodiernam S. Mariae de Principio capellam feratur Aspren una cum S. Candida prima urbis hujus Christiana vitam degisse. Aliquid certe horum tum chronographus (50) S. M. de Principio, tum etiam Caesar (51) de Engenio injicit, quo haec opinio fulciri possit: ut taceam illam assignatam a me modo rationem, quod nempe non videatur alius relinqui locus, ubi S. Asprenatis Aula a fecundis caelitus genitoribus (de quibus Albericus narrat) construi potuerit, quam medio inter capellam S. M. de Princ. & Athanasianam S. Januarii Ecclesiam intervallo.

Quandoquidem autem sacelli S. Asprenatis a numquam satis lauda-

(50) In Chronic. S. M. de Princ. fol. 6. hoc qualecumq. huc attinens legitur: *Non mirum est, si ibi* (nim. in capella S. M. de Princ.) *est magna devotio populi & concursus cotidie; nec indebite agitur, si inibi anachoritae mulieres reclusae inhabitant; quia illic sancta vetula Candida in servitio Dei juxta dictam Ecclesiam & palatium dicti antistitis Aspren vitam finivit: cujus quidem vetulae Candidae corpus ablatum abinde post tempora exstitit, & in Ecclesia B. Andreae Ap. . . . . fuit traditum sepulturae.*

Hanc S. Andreae Ap. Ecclesiam, in qua S. Candidae corpus sepultum fuit, scio illam vulgo accipi, quae *S. Andreae ad Nidum* sive *ad Nilum* vulgo vocatur. At etiam atq. etiam considerandum esse moneo, an non illa in proximo posita S. Andreae Ap. Ecclesia sit potius capienda, quae Xenodochio S. Athanasii adjacebat; quamq. ex Eugenii IV. diplomate (quod in calce libri hujus inter Monumenta dabitur) in loco hodierni Thesauri S. Januarii fuisse positam, turriq. campanariae hodiernae adhaesisse necesse est.

(51) Locum Chronici modo descriptum sic amplificat Caesar de Engenio Neap. sac. pag. XI. *Come si legge nella Cronica di Napoli* (Joan. Villani) *e di S. M. del Princ. S. Asprenio ereſſe una picciola abitazione a S. Candida appresso la sua casa con divotissimo oratorio, ove se dipinger la predetta figura della Reina de' cieli, la quale per esser stata la prima figura della gran Madre d'Iddio quivi fatta, che in altra parte di Napoli o forse dell' Italia, perciò prese il nome di S. Maria del Principio. Nel medesimo luogo santamente visse S. Candida dopo che fu fatta Cristiana, e ringiovenita nella legge di Cristo, e nell' anima e nel corpo risanata.*

to Canonico Majello aedificati mentio semel injecta fuit; non ab re futurum censeo, si quam pulcherrimam epigraphen ei sacello eruditissimus aedificator inscripsit, lectori non invideam: quae talis est.

D. O. M.
ET. S. ASPRENO
PRIMO. VRBIS. HVIVS. EPISCOPO
AB. APOSTOLORVM. PRINCIPE
CONSECRATO
A. QVO. NEAPOLITANA. CIVITAS
HIC. VBI. OLIM
SEDES. PONTIFICALIS. FVIT
NASCENTIS. CHRISTIANAE. FIDEI
LVMEN. ACCEPIT

Quam inscriptionem ea etiam de causa hic legi volui, ut appareat, quaenam viri gravissimi sententia de prima Neapolitana Cathedrali fuerit. HIC inquit VBI OLIM SEDES PONTIFICALIS FVIT.

In idem sacellum etiam veneranda fratris numquam pro dignitate satis celebrati ossa transtulit, quibus hoc epigramma imposuit.

Carolo. Majello. Archiep. Emisseno
Ex. hujus. Ecclesiae. Metropol. Canonico
Ob. eximiam. pietatem. omnigenamque. doctrinam
A. Clemente. XI. Romam. accito
Vaticanae. bibliothecae. praefectura
Basilicae. Canonicatu
Et. honore. Sacri. Cubiculi. ornato
A. Benedicto XIII.
A. Secretis. Brevium. ad. Viros. Principes. electo
Et. Archiep. dignitate. insignito
Diuturni. morbi. virulentia
Neapoli. extincto. III. Kal. Dec. an. CIↃIↃCCXXXVIII.
Ianuarius. Tit. S. Martini. primus. presb. praebendatus
Germano. fratri. benemerentissimo
Sacram. D. Aspreno. Aram. ex. electis. marmoribus
Pro. monumento. P. Ann. CIↃIↃCCXXXXV.

Ad Neapolitanum vero Capitulum quod attinet, satis credo testatum fuisse, quam se non ingratum tanti praesulis memoriae & acceptorum ab eo ingentium beneficiorum (52) memor praestiterit.

SE-

(52) Nam praeter debita officia quibus virum summum deq. se meritissimum semper impensissime vivum coluit, morte non sine vitae sanctioris publico praeconio obita, eumdem & frequentissimi funeris honore ultro prosequi voluit, eique post justa sollemnia, honorificentissimum sepulturae locum in S. Restitutae basilica dedit. Postremo ejus imaginem intulit in eam sacrarii dictam, in qua clarorum virorum visuntur

SECTIO II.

Joannis Cimeliarchae locus excutitur.

Sect. superiore ostensum fuit, ab Archiep. Petro de Surrento Albericum ad scribendam S. Asprenatis vitam fuisse incitatum. Pari ratione qui Petro successit Bernardus Caracciolus Rubeus (qui quidem ab anno 1252. ad 1262. cathedram tenuit) Joannem Neapolitani Capituli Cimeliarchen impulit, uti S. Joannis IV. Episcopi Neap. vitam elucubraret: quod Joannes ita praestitit, ut eam tamen vitam non nisi mortuo Bernardo in publicum ediderit, quippe qui Bernardum *Bonae memoriae* appellat in vitae prologo. Ex quo prologo (apud Bollandistas ad 1. April. pag. 34.) ea hic adscribam, quae causam, quam tuendam suscepimus, multo luculentiorem faciant. *De corporibus*, inquit, *sanctis, quae hactenus in Ecclesia Neapolitana* (hoc est Stephania, quia nondum de nova Cathedrali exstruenda inceserat cura: corpora autem Episcoporum intelligit, quae S. Joannes IV. cujus vitam scribendam suscipit, in Stephaniam intulerat) *quae hactenus*, inquit, *in Eccles. Neap. collocata fuerunt . . . contigit* (cum Bernardo Archiep.) *sermonem haberi. Inter quae meminimus esse venerabile corpus S. Joannis Episcopi ejusdem Ecclesiae, qui ad Acquarolam vulgariter nuncupatur* (is est S. Joannes ejus nominis IV.) *quod corpus sanctum collocatum fuisse dicitur ab antiquo in sepulcro, quod est ante parvum ostium ipsius Ecclesiae* (h. e. prope portam Stephaniae lateralem, sive dextram sive sinistram; nec enim hoc declarare pensi habuit) *in quo* (sepulcro) *IMAGO SVA DEPICTA VIDETVR* (notari haec verba volo, quibus magnum (53) veritatis indi-

eium

tur effigies: cui imagini hanc brevissimam vitae ejus notitiam subjici Canonicis placuit.

Carolus Majellus olim Canonicus deq. hoc Capitulo optime meritus, quantus a puero pietate & litteris fuerit, Archiepiscopale hoc Seminarium ejus Rectoris opera ad tantam gloriam provectum, declarat. Nihil in abstrusioribus linguis & disciplinis arduum fuit, quod non vi ingenii ac labore perviderit. Ultro Romam a Clemente XI. evocatus, & tum bibliothecae Vatic. praefectura, tum Canonicatu S. Petri donatus, postremo a Benedicto XIII. secretarius brevium ad viros principes & Archiep. Emissenus creatus fuit. In quibus muneribus, praeter rarissimam eruditionem cum aurea eloquentia & Latini sermonis nativa elegantia junctam, cum non tantum prudentia, sed & virtutibus omnibus ad miraculum enitesceret, nullum in Aula Romana majoris moliminis negotium fuit, quod non ejus opera feliciter cesserit: vir omnium opinione praeterquam sua Cardinalatu dignissimus. Neapoli obiit III. Kal. Dec. ann. CIↃIↃCCXXXVIII. Quem Canonici, olim collegam suum, funere indictivo ab se elatum in hac basilica collocarunt. Vixit ann. LXIX. mens. IX. dies XI.

(53) *In quo*, inquit, (sepulcro) *imago sua* (nim. S. Joannis) *depicta videtur*, i. e. adhuc depicta cernitur. Hanc verissimam ratio-

cium continetur). *nunc vero in altari, quod juxta portam, qua itur ad Ecclesiam S. Joannis ad Fontes, quod altare Trinitatis vocatur, est firmiter collocatum.*

Haec ultima Cimeliarchae verba etiam atq. etiam considerandа sunt; ex quibus luce clarius perspicitur, se de non alia Ecclesia in toto recitato loco loqui, quam de illa ipsa, quae hodie *Sancta Restituta* vocatur. Cur hanc, inquis, intelligit? quia non nisi in hodierna S. Restituta reperire licet portam, qua in Ecclesiam S. Joannis ad Fontes patet aditus. Hanc ergo hodiernam S. Restitutae basilicam ipse Cimeliarcha κατ' ἐξοχὴν & absolute vocat *Ecclesiam Neapolitanam*, h. e. unicam Cathedralem: nam si duae tunc Cathedrales fuissent, haud dubie additum aliquod, quo una ab altera distingueretur, adjunxisset. Imo hanc eamdem, quae hodie *S. Restituta* dicitur, fuisse re vera Stephaniam planissime significat; quia in hac eadem (quae scil. cum Ecclesia *S. Joannis ad Fontes* sic copulata erat, ut una ab altera medio tantum ostio disjungeretur) in hac, inquam, testatur tot illa corpora sancta fuisse, quae S. Joannes Scriba, teste Joanne Diac. intulerat in Stephaniam.

At enim, inquis, nullum nostra aut patrum nostrorum memoria prope ostium illud S. Joannis ad fontes *Altare Trinitatis* exstabat. Esto: nullius Altaris Trinitatis post solidos quingentos annos ab hoc Joanne Cimeliarcha scriptore elapsos memoria exstet: num continuo nullum ibi aetate ipsius Cimeliarchae fuisse, conficietur? Imo quantam, Deus bone, intra unius saeculi orbem capellarum mutationem animadvertimus! quarum aliae abolentur, aliae ex uno loco in alium transeunt. Vel in ultima Neapolitanae Cathedralis praeclara renovatione, quae nuper studio, ac prolixis sumptibus Josephi Card. Spinelli Archiepiscopi facta est, quanta, pro Superi! capellis mutatio accidit: qui plures in diversa transtulit loca, ut quidquid abnorme oculos offenderet, corrigeret & ad symmetriae rationes redigeret. Idem prorsus Altari Trinitatis accidit: etsi tamen id Altare anno 1682. adhuc quidem, sed loco diverso, exstabat: de quo mox.

Nunc

rationem affert, ex qua olim S. Joannis Scribae sepulcrum prope ostium minus fuisse ostendatur, quod ibi adhuc ejus rei indicium supereſſet, nim. imago S. Joannis loco sepulcri imminens. Ac meminisse oportet, quae Joannes diac. in vita hujus S. Joannis Scribae narraverat. *Corpora quoque, inquit, suorum praedecessorum in sepulcris, in quibus jacuerant, levavit, & in Ecclesia Stephania singillatim* (in orbem) *collocans, aptavit unicuiq. arcuatum tumulum, ac desuper eorum EFFIGIES depinxit.* Quae verba in Diatriba, quam Commentario ad Kalendar. marmor. Neap. praeviam fecimus, copiosa enarratione illustravimus pag. XXX. Adnot. XIII.

Ergo quod Joannes studium erga suos sanctos decessores praestiterat, tantumdem ei a successoribus repensum fuit. Quem Joannem inter Sanctos relatum, eodem religioso sepulturae honore decoraverunt. Nam pari prorsusq. simili sepulcro ejus corpus inclusum fuit, cum arcuato tumulo, & ejus effigie desuper depicta. Ad hunc igitur chronographi Joannis locum opportune alludit Joannes Cimeliarches, ubi, ut probet prope Stephaniae minus ostium antiquitus Joannem Scribam fuisse sepultum, ex adhuc ibi superstite depicta S. Joannis imagine argumentum petit.

Digitized by Google

Nunc enim rem totam altius repetam. Quo tempore haec nova Cathedralis encaenianda fuit, de Corporibus sanctis, quae olim S. Joannes Scriba in Stephaniam (quae hodie *S. Restituta* dicitur) intulerat, in novam Cathedralem transferendis cogitari coepit. Et tunc quidem temporis omnia, quae adhuc in Stephania aut adjacentibus oratoriis supererant, in Templum hoc novum invecta fuerunt, praeter S. Restitutae Mart. & S. Joannis Scribae corpora. Ac S. Restitutae reliquiae ex peculiari sui nominis Ecclesia (quae in postico capellae S. M. de Principio posita erat, uti dicetur infra) in Aram primariam veteris Stephaniae cum traductae fuissent; in causa fuere ut quod ex Stephaniae tunc restabat, id totum *Sanctam Restitutam* nostri homines transnominaverint.

At interim S. Joannis corpus quia miraculis adhuc fulgebat; ob eam causam non licere visum fuit illud in novam Cathedralem invehere ac permixtim cum aliis sanctis corporibus sepelire. Imo ob eamdem quoq. causam nec in Aram quidem S. Restitutae primariam tunc translatum mihi fuisse videtur, sed FIRMITER (uti quasi vates cecinerat Cimeliarches) eodem mansisse loco. Porro quod de Joannis Scribae miraculis dixi, de eo idem Cimeliarcha in fine vitae fidem prolixam facit his verbis. *In qua* (sepultura) *etiam usq. in PRAESENTEM diem non cessat ventres fidelium a doloribus sanare, & aliis miraculis coruscare.* Ea inquam causa fuit, cur S. Joannis corpus tunc quidem loco motum non fuerit. At postmodum obsolescente cultu, cum etiam miracula desiissent; ex loco parum decenti in Aram maximam transportatum fuit. Ac per eamdem occasionem factum reor, ut Altare Trinitatis in alium locum transferretur: id quod ex Actis Visitationis Hannibalis de Capua ann. 1582. didici; quorum locum (54) inferne subjeci.

Porro quod de ventribus ad sepulcrum S. Joannis Scribae omni molestia liberatis modo vidimus, tantumdem Capuae ad S. Paulini (55) Memoriam usuveniisse memini.

SE-

(54) In Actis ejus Visitationis (exscriptae in apographo authentico Capituli Neap. fol. 290. a tergo) sic legitur: *Deinde accessit ad visitandum Altare Sancti Spiritus de Pulverinis* (sic vocatum, quod esset patronatus nobilis familiae Pulverinorum) *quod est constructum in parastate ante columnas, quae sustinent transversalem alam praedictae Ecclesiae a cornu Evangelii . . . . Iconem habet . . in qua est depicta IMAGO SANCTISS. TRINITATIS* (illa eadem scil. quae olim in Altari Trinitatis, cujus meminit Cimeliarches, fuerat) *& est ibidem tela linea caerulei coloris, ne icon praedicta a muscis vel pulvere maculetur.* At equidem suspicor non alia de causa ei tabulae velum praetendi consueviisse, quam quia ei Altari, in quo (etsi tunc alibi sito) olim sanationes contigiisse ferebantur, adhuc aliquid ex prisca veneratione haerebat reliquum.

(55) Obiter hic monebimus, quod Cimeliarches de ventribus auxilio S. Joannis persanatis narrat, ei similem quoq. famam Capuae de sepulcro S. Paulini Episcopi Capuani usq. ad meam juvenilem aetatem perduraisse. Quo tempore ad S. Paulini Corpus (quod sub Ara Thesauri veteris recondebatur) ventris verminatione tentatos confluxiisse memini: imo qui hoc patiebantur, corpus suum per vacuum altare marmoreum ex una parte in oppositam traduxiisse, eaq. fide se levatos dictitasse.

Digitized by Google

SECTIO III.

Ex Chronico S. Mariae de Principio suffragia aliquot decerpuntur.

§. I. *Notitia Chronici ejus, & quod vergente saeculo XIII. primitus compositum videatur.*

AB omnibus scriptoribus nostris, qui abhinc ducentos annos res Neapolitanas illustrarunt, laudabatur jam pridem quoddam *Chronicon S. Mariae de Principio*, quod in Capituli Neap. tabulario aservari ajebant. Et tamen cum nuper illud conquireretur, nusquam se in conspectum dabat; certe quia deleto prorsus ejus titulo, ob eam causam facile quaerentium diligentiam fefellit. Itaq. cum proximis diebus chartas archivi illius excuterem; in volumen incidi ex quatuor tantum & quadraginta membranis compactum: cui nullus, uti dixi, in fronte index praefigebatur. At postea membranam primam subtilius contemplatus, ope aquae fortis, quam vocant, titulum codicis fuisse obliteratum comperi. Verum cum in eo codice ea reperissem omnia, quae Caesar de Engenio, Chioccarellus, Caracciolus aliiq. quamplurimi ex Chronico S. Mariae de Princ. arcessivere; non dubitandum amplius de ταυτότητι codicis censui. Porro fol. 43. litteris rubricatis haec adnotata reperi. *Hic liber est Capituli matris Ecclesiae Neapolitanae: in quo sanctae Mariae de Principio, [illegible]ctaeq. Restitutae sollemnia, & sacra mortuorum officia continentur. Quae omnia ex vetustissimo codice, ejusdem Capituli sumptibus, ad verbum fuere transcripta: Joanne Antonio Carrapha, Pauloq. Antonio Belhomo Cellarariis, Anno humanae salutis* 1533.

Ex his vides hoc, quod habemus chronicon, ex altero vetustissimo, quo nunc caremus, fuisse descriptum. At vero scire interest, quantae vetustatis prius illud alterum, quod amisimus chronicon fuerit. Et certum quidem est, antiquius Joanne Villano (qui chronicon suum Neapolitanum exeunte saeculo XIV. scripsisse putatur) fuisse; quia plurima ex illo Chronico Villanus ita in suam historiam patria dialecto scriptam transfudit, ut verbum verbo appenderit. Ac nequis suspicetur, contra ex Villano potius profecisse chronographum S. M. de Princ., illud impedimento est, quod quaedam quae in Chronico nostro recte se habent, Villanus quod ea minime intellexisset, aut (56) corrupit, aut caute (57) praetergressus fuit.

Sed

(56) Cujus generis illud est, quod narrationem de duobus conjugibus caelitus fecundatis non percepisse proditur. Nam lib. I. in fine cap. 38. scripsit: *La quale per fino al tempo de mò se vede, & chiamase la Basilica de Sancto Stephano*. At in Chronico S. M. scribitur *Basilica Stephania*: quod longe aliud est quam *S. Stephani Basilica*. Alia generis hujus haud pauca exempla praetereo.

(57) Cujusmodi illud est quod cap. 42. de Cimeliarcha loquens, ac de officiosis quibusdam

Digitized by Google

Sed idem tamen chronicon de quo quaerimus, est Alberico posterius, quia narrationem illam de duobus caelitus fecundis conjugibus ex Alberico desumpsit; & quidem ita inde hausit, ut plura de suo admetiretur, uti supra Adnot. 46. ex collatis utriusq. locis potes animadvertere.

Nec tantum Alberico (qui ante medium XIII. saeculum scripsit) sed & novae Cathedralis encaeniis chronicon hoc nostrum (cujusmodi saltem nunc refectum habemus) posterius est, uti ex pluribus ejus liturgicis (58) locis arguitur, novam Cathedralem cum S. Restituta copulatam significantibus.

Itaq. omnibus recte consideratis, sic censeo. Hoc volumine, quale nunc teritur, duae maxime partes continentur: quarum prior est historica de S. Petri praedicatione, de SS. Candidae & Asprenatis conversione, de Constantini in hanc Ecclesiam beneficiis, & aliis hujusmodi agens: posterior pars est liturgica, quaedam complectens officia Canonicorum Neap. peculiaria. Suspicor igitur partes hasce duas ex duobus diversis fontibus derivatas.

Fons ergo unus erat totus historicus, qui forsitan *Chronicon Ecclesiae Neapolitanae*, aut *Ecclesiae Majoris Neapolitanae* inscribebatur. Idq. Chronicon (ex quo hodierni Chronici pars mere historica manavit) posterius Alberico erat; uti constat ex narratione conjugum Divino favore liberos suscipientium: quae narratio sic aperte ex Alberico sumpta fuit, ut etiam ridicule interpolata cernatur. Illud igitur Alberico recentius erat; sed tamen novae Cathedralis encaeniis antiquius. Quod novae Cathedralis

dam Graecorum praepositorum ritibus, vocem SQVARASTASE, quae in Chronico S. M. reperitur, visam sibi intellectu difficillimam in totum praeteriit. Quam vocem nos in Appendice accurate exponemus.

(58) Ea loca occurrunt in processione quae olim fiebat in die omnium fidelium defunctorum: in qua in Altari majore novae Cathedralis quaedam orationes pro summo Pontifice, pro Regibus, proq. Archiepiscopis vita functis dicebantur: deinde aliae sequuntur dicendae in ala S. Aspren, in coemeterio Hebdomadariorum (quod in ala S. Aspren fuisse olim arguitur) & in navi Ecclesiae ejusdem. Mox per alam alteram ingressis Sanctam Restitutam, aliae orationes in ala S. M. de Principio, aliae in navi, aliae in ala secunda, & in coemeterio S. Angeli pronuntiabantur. Postremo in Choro S. Restitutae tres orationes pro Canonicis defunctis canebantur, & haec ultima oratio *PRO DIVO IMPERATORE CONSTANTINO*: *Omnipotens sempiterne Deus, cujus majestati reges atq. imperatores subjacent, quaesumus pro tua pietate miserere animae famuli tui Divi imperatoris Romani Constantini, qui HANC DIVAE RESTITVTAE AEDEM CANONICOSQ. CARDINALES QVATVORDECIM in honorem tui nominis observantissime DEDICAVIT. Per Domin.*

Ex toto autem processionis ordine probe animadvertis, haec scripta fuisse post novam Cathedralem erectam. At ex ultimis verbis etiam hoc intelligitur, eam Ecclesiam a Constantino factam (quae initio in parte historica modo *Ecclesia Stephania*, modo *Neapolitana* aut *Major Ecclesia* vocata fuerat) hic *Divam Restitutam* nuncupari, quippe quia post mutatum ei nomen haec scripta fuerunt. Ceterum quae de Canonicis XIV. a Constantino erectis dicuntur, ea decantatissima, tametsi falsa, ultimorum saeculorum narratio fuit; de quo Parte altera disputabitur.

Digitized by Google

encaeniis anteceſſerit, oſtendunt narrationis ejuſdem de conjugibus fecundatis extrema verba, quae ſunt ejuſmodi: *Baſilicam* (conſtruxerunt) *ipſi hoſpitio* (Epiſcopali) *contiguam . . . ſitam in longum, cum curti videlicet ad nobilem Capuanae pla am: ut uſq. in hodiernum diem eſt cernere in ea, quae dicitur baſilica Stephaniae*. Haec inquam verba palam arguuntur ſcripta fuiſſe, dum adhuc hodiernae S. Reſtitutae conſtaret *Stephaniae* nomen, & dum adhuc integra eſſet, ſuaſq. portas & atrium ſive *Curtem* ad Capuanae plateam haberet. Ac paſſim in tota parte hiſtorica hoc Chronicon ſe vetuſtius nova Cathedrali prodit: ſed volui narrationem illam de conjugibus fecunditatem aſſecutis ſeligere, quia ex uno illo loco id ſcriptum Alberico poſterius, nova vero Cathedrali anterius, deprehenditur. Non aliud ergo reſtat, niſi ut Chronicon illud prius (quod fontem hodierni fuiſſe diximus) vergente ſaeculo XIII. conſcriptum fuerit. Habes detectam fontis hiſtorici epocham.

At pars altera liturgica ex veteribus quidem Cathedralis veteris officiis deſumpta fuit; ſed praeſenti novae Cathedralis cum Sancta Reſtituta copulatae ſta i accommodata: ex qua parte pauca aliquot ad ſpecimen in ſuperiore Adnotatione excerpſimus.

Et tamen cum major hujus codicis, quem tamdiu deſcribimus, pars officia complectatur, prior vero hiſtorica ſit longe brevior; mirabitur aliquis, cur titulum hunc in fronte geſſerit, *Chronicon S. Mariae de Principio*: nam eo nomine (quod tamen hodie, oblitterato titulo, in fronte diſparuit) citatur ab omnibus. Verum nullus erit admirationi locus, ſi meminerimus, non inſolens hoc antiquis fuiſſe, ut quae in unum corpus compingerent, iis a prima quaq. tractatione nomen inderent: id quod interdum poſterioribus fraudi fuit, dum ei ſcriptori, quem in fronte libri inveniſſent, etiam opuſcula ſequentia omnia, ab aliis profecta auctoribus, tribuerunt.

Ante quam vero hinc abeo; Chronicon illud vetuſtius Neapolitanae Eccleſiae (ex quo in hodiernum codicem pars ior hiſtorica derivavit haud dubito quin plura alia continuerit ad ſacram Neapolitanam hiſtoriam pertinentia: quae quia ab exſcriptore anni 1533. non decerpta fuerunt, nunc amiſimus. Argumento eſt quod noſter Villanus plura Eccleſiaſticae noſtrae hiſtoriae affert capita, quae haud prorſus aliunde arripuiſſe videtur, quam ex illo ipſo antiquiore Chronico, ex quo, quae nunc adhuc in eo reſtant, ea totidem verbis tranſtulit in patriam dialectum. Verbi cauſa lib I. cap. 32. *in quodam antiquo Chronico* ſe legiſſe narrat, quo ex fonte Virgilius Maro hauſerit ſcientiam tot patrandi miracula. Quis ſcit igitur an non Chronicon iſtud ab Jo: Villano laudatum, illud ipſum Eccleſiae Neapolitanae Chronicon antiquius fuerit, in cujus initio quaedam priſcae ſaecularis hiſtoriae fundamenta de more praeſtruebantur? Quod ſi hoc parum cordatis viris viſum veriſimile fuerit; at illud certe negari

non

Digitized by Google

non poteſt, quin quae cap. 39. & 40. de Sibylla Cumana Chriſtum vaticinante, quaeq. mox cap. 47. & 48. de S. Silveſtri geſtis, ac multo plus quae cap. 49. 50. & ſequentibus ſacrae Neapolitanae hiſtoriae capita pertexuntur, ea omnia ex illo priore Neapolitanae Eccleſiae Chronico deſcripſerit: quae hodie in excerptis hodiernis anni 1533. propterea deſiderantur, quod qui tunc ad decerpendum operam locarunt ſuam, ea tantum ſelegerunt, quae ad notitiam veteris Stephaniae, quae poſtea *S. Reſtitutae* nomen invenit, peculiariter pertinerent.

Maneat igitur, antiquius illud Chronicum poſt medietatem ſaec. XIII. fuiſſe compoſitum, eoq. Chronico juſtam ſacrae hiſtoriae Neapolitanae exhibitam fuiſſe effigiem: qua integra hiſtoria nunc minus aegre caremus; tum quod in rebus antiquioribus haud pauca craſſiora commenta complectebatur, tum etiam quod nihil ex eo Chronico mihi videatur praeteriiſſe ejus ſatis fidus interpres Joannes Villanus.

In iis vero, quae ex hoc Chronico producemus, rogo lectorem, ne fabuloſis quibuſdam rerum antiquarum narrationibus, aut narrationum circumſtantiis nimium ſe offendi ſinat. Nec enim tam pingues ſumus, ut his aut fidem adjungamus, aut ab aliis adjungi cupiamus. At contra injuſtiſſimi ſimus, ſi in iis quae de ſua aetate Chronographus iſte teſtatur, iis fidem derogemus. Itaq. ſi oſtenderimus, ex hujus ſcriptoris teſtificatione omnia in id convenire, ut ibi Stephania fuerit, ubi nunc hodierna S. Reſtituta eſt; poterimus ne de eo amplius addubitare? Nunc age eximia quaeq. hujus Chronici loca in medium proferamus.

§. II. *Ex chronico S. M. de Princ. quaedam ad cauſam pertinentia decerpuntur.*

I. *De Conjugibus caelitus fecundis locus.*

Hunc totum locum chronographus iſte ex Alberico ita ſumpſit, ut etiam quaedam de ſuo adnumeraverit. Utrumq. ſect. I. reperies, ubi Adnot. 46. verba chronici noſtri eo pertinentia adſcripſimus.

Sed tamen ne, dum lectorem alio rejicio, eum delaſſare videar; ultima ſaltem narrationis illius verba huc repetam. Fol. 4. *Non obliti conjuges praefati, quae a dicto beato Aſpren intercedente adepti celitus benefitia* (liberorum ſcil. ſuſceptorum) *fuerant, pro gratiarum redemptione, ad Antiſtitis decus hoſpitium cum aula, cameris & jardeno decentiſſime conſtruxerunt. Nec non ad honorem & gloriam Jheſu Chryſti* (h. e. *Salvatoris*, cui Stephania dicata erat) *Eccleſiam ſeu baſilicam ipſi hoſpitio contiguam cum duabus* (59) *alis & cappellis quam pluribus*

(59) Imo praeter mediam navim, quatuor alae initio fuere, quatuor columnarum verſibus diſtinctae. At poſtquam uſus capellarum invaluit; extimae duae alae locum praebuere capellis: quarum intergerivi parietes in ſingulas columnas extimas deſinebant. Ea de cauſa chronographus dixit: *Cum duabus* (cum antiquitus quatuor fuiſ-

Digitized by Google

bus ſitam in longum cum curti (i. e. atrio) *videlicet ad nobilem Capuanae plateam* (*Capuanae* via illa erat, quae a Porta Capuana, & Caſtro Capuanae Cathedralem a dextra relinquens, longius in occidentem procedebat) *uſque in hodiernum diem cernere eſt in ea, quae dicitur baſilica STEPHANIAE.*

Dixeris fortaſſe, de Stephania quidem eaque cum epiſcopali hoſpitio copulata hic fieri mentionem: at nihil addi, ex quo Stephaniae ſitus dignoſcatur. Verum quod Stephania haec non alia fuerit, quam hodierna S. Reſtituta, planiſſime perſpicitur ex ejuſdem Stephaniae deſcriptione, quae mox fol. 5. a tergo legitur; ubi Stephaniae *tribunam* proximae adhaeſiſſe capellae S. Joannis ad Fontem, dicitur. Atqui ea capella, quae etiamnum integra cernitur, non niſi *tribunae* templi, quod hodie S. Reſtituta vocatur, proxime applicita cernitur.

Et hactenus quidem ea dicta fuere, quae, quibus ſincere agere libuerit, abunde ſufficiant. At quia Serſalius vir amiciſſimus in eo opuſculo, quod pluries laudavimus, ex hoc ipſo chronici S. M. de Princ. loco contrarium demonſtrare adnititur; ne ſim longior, ejus rationibus ſeorſum (60) reſpondere praeſtabilius duxi.

II. *Nar-*

ſuiſſent) *alis & cappellis*. Eaedem extimae columnae ante hos octo circiter annos Canonicorum juſſu ſtructitio opere circumveſtitae fuerunt, ita ut in praeſentia paraſtatarum ſpeciem exhibeant, columnis intrinſecus incluſis.

(60) *Reſpondetur rationibus iis, quibus Serſalius Chronicon S. Mariae de Principio in ſuas pertrahit partes.*

Locum Chronici S. M. de Princ. quem ſupra retulimus, tantum cauſae ſuae afferre praeſidium Serſalius credidit, ut poſt plures alias, quibus utitur, argumentorum velitationes, in hoc demum Chronici loco tamquam in valida triariorum manu, ſpem haud dubiae victoriae ſtatuerit. Unde hac ultima pugna perfunctus, tandem receptui canit. In eum ergo Chronici locum ubi a pag. 25. ad 28. copioſe commentatus eſſet; duplici ad ultimum argumentatione utitur, ex qua invicte conficiatur, veterem Stephaniam non in hodierna S. Reſtitutae baſilica, ſed in tranſverſa novae Cathedralis navi ſive Cruce quaerendam eſſe.

I. Argumentum ejuſmodi eſt. Ex Canonici Celani teſtimonio conſtat, hodiernam S. Reſtitutae baſilicam olim (antequam ſcil. nova Cathedralis erigeretur) fronte adverſa ſtetiſſe: cujus apſis prope hodiernum Theſaurum fuerit, porta vero ſeptentrionem ſpectaverit. Cum ergo Chronicon S. M. de Princ. memoret, Stephaniam habuiſſe *Curtim* (h. e. atrium portae baſilicae praevium) AD CAPUANAE PLATEAM i. e. ad meridianam plagam; id apertiſſime oſtendit, Stephaniam olim diverſam ab hodierna S. Reſtituta fuiſſe; eam vero in novae Cathedralis Cruce ſitam fuiſſe, ejuſq. portam & atrium ad meridiem h. e. ad Capuanae plateam ſpectaſſe.

Verum tota haec machina concidit, ſimul atq. Celanum (quem ipſemet Serſalius haud raro deceptum arguit) in eo ſplendide falſum fuiſſe conſtiterit, dum improvide S. Reſtitutae tribunal ſitu contrario olim ſtetiſſe putavit. Id vero non a Celano didiciſſe oportuerat, ſed a Chronographo S. M. de Principio: qui (uti mox num. 3. demonſtrabimus) dum capellam S. Joannis ad Fontes *prope tribunam* Stephaniae ponit, duo prae ſe aperte oſtendit, tum ſcil. Stephaniam haud aliam ab hodierna S. Reſtituta eſſe, quippe cujus *tribuna* hodie num S. Joanni ad Fontem applicita viſitur; tum etiam hodiernae S. Reſtitutae (olim *Stephaniae* dictae) tribunal numquam adverſa fronte ſtetiſſe, nec unquam ejus portam cum atrio aliorſum

Digitized by Google

II. *Narratio de Constantini Neapolim adventu & commoratione, deq. ejus in Ecclesiam Neapolitanam beneficiis.*

Totam narrationem quae huc pertinet, afferemus opportuniore loco in fine Partis alterius. Hic autem universe animadvertemus, Neapolitanam Constantini profectionem fore fabulosissimam, si quidem de Magno Constantino (ad quem tum Chronicon, quod prae manibus est, tum etiam scriptores omnes Neapolitani, qui postea sunt secuti, eam retulerunt) intelligatur: at contra pro vera esse habendam, si in posteriorem alium Constantinum (ac verisimillime in illum alium Constantis filium) transcribatur: quem diutiuscule in Occidente commoratum, uti res Occidentis componeret, alibi supra demonstravimus. Verum de his rursus Parte II. nobis sermo redibit.

III. *Narratio de S. Joanne ad fontem.*

Jam vero quae hactenus decerpsimus, nequis suspicetur de alia Ecclesia, quam de hodierna *Sancta Restituta*, olim *Stephania* dicta, posse intelligi, audiat quemadmodum in proxime sequentibus auctor accurate digito intento designet, quamnam Ecclesiam, de qua ibi loquebatur, intel-

sum quam ad meridiem spectare potuisse. Frustra igitur Sersalius commiseratur Chioccarelli stuporem: qui post recitatum Chronici S. M. de Principio locum, tamen concludat numquam alibi Stephaniam, quam ubi nunc S. Restituta, nec alibi unquam episcopale palatium, quam ubi hodieq. visitur, fuisse.

II. Argumentum in eo versatur, quod si Chronographo S. Mariae de Principio persuasum fuisset, Stephaniam ibi fuisse, ubi nunc S. Restituta est, profecto (in iis verbis: *Usq. in hodiernum diem cernere est in ea quae dicitur basilica Stephaniae*) non dixisset IN EA, sed IN HAC, quippe qui (uti observat Sersalius pag. 29.) *in ipsa S. Restituta, pro S. Restituta, & sumptibus Capituli scriberet*. Verum ea verba primitus ab Alberici Vita S. Aspren desumpta fuere. Confer ejus locum sect. 1. ubi nihilo minus illud IN EA reperies. Ex Alberico autem illam narrationem dum exscripsit is, qui chronicon antiquius Ecclesiae Neap. composuit (de quo superiore §. dixi) quid mirum, si illud IN EA retinuit? Postremo nec mirandum, si qui hodiernum chronicon S. M. de Princ. ex defectis illius chronici anterioris particulis, & ex quibusdam Officiis simul compegit, duo illa monosyllba intacta reliquerit, exscriptorem magis quam Aristarchum agens. Qui etiamsi personam Capituli in se suscepisset, imo etsi intra septa S. Restitutae hodiernae (quod absonum est) scripsisset; non putavit tamen, tantum sibi invidiae ex vocalibus duabus creatum iri; praesertim qui sciret, IS & HIC alternare & confundi saepissime.

Ad extremum meminisse oportet, recitatum Chronici locum ex Alberico quidem (ut alibi monuimus sect. 1.) fuisse desumptum; sed tamen ex insciti Chronographi excerptoris narrationem Alberici fuisse corruptam. Albericus enim dicit, a conjugibus illis caelitus fecundatis *Aulam* (h. e. minorem Ecclesiam Stephaniae adjacentem) in S. Asprenis decus fuisse factam. Id vero noster Chronographus secus intelligens, & *Aulam* pro palatio accipiens, putavit, a conjugibus tum Archiepiscopale *hospitium cum aula, cameris & jardeno*, tum etiam Stephaniam (quam scimus tamen ab Stephano auctore inveniisse nomen) aedificata fuisse. Verum de his vide supra Sect. 1. & Adnot. 49.

At quantalibet fuerit Chronographi hujus nostri sive insciti, sive fabulandi libido, ea in anteactis tantum factis versari potuit. Idem tamen dum Sthepaniae situm in hodiernae S. Restitutae Ecclesia passim agnoscit, in eo, quia de rebus sui temporis agitur, nec falli potuit, nec vero fallere impune potuisset.

Digitized by Google

intellexerit. Fol. 5. a tergo. *Fecit etiam construi praefatas imperator in praedicta Neapolitana Ecclesia* (quam num. I. & II. Chronographus iste significaverat) *olim nominata Ecclesia STEPHANIAE, capellam prope tribunam ipsius Ecclesiae antiquae sub titulo SANCTI JOANNIS AD FONTEM.* Ex his vero vel luscitiosi vident, hodiernam *S. Restitutae Ecclesiam* & *Ecclesiam Stephaniam* duo esse unius & ejusdem basilicae nomina; quippe cum, quae olim *Stephania*, eadem postea ob invectas S. Restitutae reliquias transnominata *Sancta Restituta* fuerit.

Quod vero ad unam ea duo nomina basilicam pertineant, Capella S. Joannis ad Fontem luce clarius declarat: quae sicut olim *prope tribunam* Stephaniae erat, sic nunc quoq. Sanctae Restitutae *tribunae* proximae adhaeret. Et haec quidem nemo vel pervicacissimus negaverit. Ergo simul fateamur necesse est, tum narrationem a me num. I. indicatam (de Ecclesia scil. hospitio Episcopali contigua, quae cum curti in longum protenditur in Capuanae plateam, quam *Stephaniam* vocari dicit) tum narrationem alteram de Constantini benefactis, non ad aliam quam ad hodiernam *S. Restitutam*, olim *Stephaniam* pertinere; certe quia duae illae priores narrationes cum hac tertia connectuntur, in qua Ecclesiam cum S. Joanne ad Fontem copulatam vocat *praedictam Neap. Ecclesiam*, de qua scil. proxime antea narraverat. Mitto jam quae de hac eadem capella S. Joannis deinceps addit.

IV. *De Capellae S. Joannis ad Fontes & hospitii Episcopalis cum Stephania cohaerentia.*

Eod. fol. 5. a tergo. *Erat enim prope dictam Capellam S. Joannis, & prope posticum dicti palatii Episcopalis domuncula* &c. Ex his vides, sicuti nunc capella S. Joannis tum hodiernae S. Restitutae tribunali, tum etiam Archiepiscopalis palatii postico est proxime attigua, sic & olim se rem habuisse. *Erat enim* inquit, *prope dictam Capellam S. Joannis, & prope posticum dicti palatii Episcopalis domuncula sive cellula cum oratorio & altari, ubi dum vixit sanctus Aspren, & illa sancta vetula Candida coelibem vitam duxit.* Haec alae dexterae S. Restitutae respondent in vicinia capellae S. Mariae de Principio, uti diximus hoc ipso cap. Sect. I. ubi ex Alberico decerpentes, etiam de hoc chronici loco egimus.

V. *Quod vetus Ecclesia seu Capella Sanctae Restitutae diversa ab hodierna S. Restitutae Ecclesia fuerit, etsi ambae sibi mutuo adhaeserint.*

Supra cap. IV. ad object. 3. ostensum a me fuit, exstitisse olim quamdam *S. Restitutae Ecclesiam* Stephaniae (quae hodie mutato nomine *S. Restituta* vocatur) adjacentem. Quam quidem pluribus in locis demonstravimus, facile post saeculi septimi medietatem (ac verisimillime sub Constantino Constantis filio qui ab anno 668. ad 685. imperavit: qui postmodum cum Constantino Magno confusus videtur) fuisse construc-

tam

Digitized by Google

ctam in eum finem, ut ibi S. Reſtitutae Virg. & Mart. reliquiae ex inſula Enaria aſportatae reconderentur. De hoc quidem tum ſup. cap. IV. ad object. 3. & cap. V. Sect. 2. ſcripſimus, tum longe accuratius in Additamentis ad XVI. Maii (quae circa finem To. 3. Comment. ad marmoreum Kalendarium Neap. inſeruntur) ad vivum reſecuimus.

At hujus veteris Eccleſiae S. Reſtitutae nullum prorſus hodie veſtigium ſupereſt. Nam ſive vetuſtate collapſa, ſive alia de cauſa conciderit: id tantum praeſtare poſſum, ineunte XIV. ſaeculo S. Reſtitutae oſſa in veteris Stephaniae lacerum truncum fuiſſe invecta, eamque ob cauſam veteri huic Stephaniae ab illo tempore novum *Sanctae Reſtitutae* nomen fuiſſe quaeſitum.

At commode nobiſcum agitur, quod ubinam olim vetus S. Reſtitutae Eccleſia fuerit, chronicon S. Mariae de Principio paucis quidem verbis, ſed quantum cupidis ſatis erat, indicavit. Ergo fol. 5. a tergo verſu antepen. ſic legitur. *Oratorium enim & locus ille ſanctus eſt: illud ſcil. altare & locus intus Cappellam Sanctae Reſtitutae.* Olim ergo *Eccleſia S. Reſtitutae* vocabatur; ſicuti re vera tum in charta anni 1100. quam protulimus cap. IV. ad object. tertiam, tum in longiore S. Athanaſii vita nuncupatur. At quia aetate hujus chronographi *Capellarum* nomen invaluerat, idcirco *Capellam S. Reſtitutae* vocavit. Contra vero auctor vitae B. Nicolai Eremitae utrumq. nomen conjunxit. *In Capella*, inquit, *ſeu Eccleſia Sanctae Reſtitutae*. Vide in ſeq. ſectione.

Pergit chronicon: *Ubi nunc Sancta Maria de Principio.* Ex his vides veterem Sanctae Reſtitutae Eccleſiam in poſtico hodiernae capellae S. Mariae de Principio olim fuiſſe. Notandum eſt autem praecedentia his verba ex calamo antiquioris chronographi (ex quo hodiernum chronicon excerptum fuiſſe diximus) prodiiſſe. Nam quia aevo illius antiquioris chronographi vetus Eccleſia S. Reſtitutae adhuc ſtabat (ſicuti ſtabat quoq. anno 1310. quando in eam corpus B. Nicolai Eremitae illatum fuit) idcirco non praeterito, ſed praeſenti tempore EST utitur: *Oratorium enim & locus ille ſanctus EST* &c. Sed idem oratorium quia poſtea, quo anno (nim. 1533.) ex chronico priore illo, chronicon hodiernum S.M. de Principio decerptum fuit, non amplius ſupererat; idcirco anno (uti dixi) 1533. pauca haec verba interpoſita fuere: *Ubi nunc Sancta Maria de Principio*, h.e. in hujus Capellae poſtico. Et certe nihil eſt cauſae, cur huic adjectioni fidem derogemus, quamvis ducentis circiter annis poſt dirutam S. Reſtitutae Eccleſiam hic inſerta fuerit; nam eo tempore adhuc antiquius chronicon illud exſtabat, quod haec ipſa copioſius eloquebatur: & plura alia hiſtorica rerum noſtrarum monumenta ſupererant, quibus hoc ipſum docebatur. Ab ea vero eſt cauſa, quod in muſivo S. Mariae de Principio (de quo infra Sect. V. copioſe differetur) imago S. Reſtitutae eodem muſivo opere effigiata fuerit, eo ſcil. loco, in cujus poſti-

co

Digitized by Google

co vetus illa S. Reſtitutae Eccleſia adhuc anno 1310. ſteterat, quo anno corpus B. Nicolai Eremitae in eam invectum fuit.

Ibidem ſic ſtatim ſequitur. *Quam capellam Sanctae Reſtitutae conſtrui etiam & aedificari fecit dictus Imperator.* Conſtantinum Magnum intelligit: quod etiam IX. & X. ſaeculo credebatur, palam teſtante Jo: diacono in Zoſimo (locum cap. 2. expendimus) aetate ſua eam Eccleſiam Conſtantino auctori a multis tributam: nec aliud ſaec. XI. perſuaſum fuit, quando vita longior S. Athanaſii ſcripta fuit, uti cap. IV. ad object. tertiam vidimus. Verum vivente Magno Conſtantino adhuc S. Reſtitutae corpus in Africa quieſcebat: & (ut intermedia taceam) non potuit id corpus ante medium VII. ſaeculum Neapolim tranſvehi: cujus translationis occaſione ejus Eccleſia aedificata fuit. Facile igitur quae Conſtantino Magno tribuuntur, ea Conſtantino Conſtantis filio (ut ante innuimus, ac fuſius in citatis Additamentis ad XVI. Maii expoſuimus) piiſſimo Imperatori adſcribenda fuerunt.

Proxime ſequitur. *Qui* (imperator Conſtantinus) *ex devotione quam habebat ad dictam beatam Virginem Reſtitutam, quae proximis diebus claruerat miraculis multis & glorioſis, dictam cappellam donavit Capitulo Eccleſiae Neapolitanae, quod tunc erat; & ejus commiſit regimini.* Cetera quae de Capitulo & Canonicis ſtatim ſubjiciuntur, itemq. quod *Legendam B. Athanaſii* teſtem citet; ea in Partis alterius fine diſcutiemus. Sicuti etiam ſiqua ſunt alia, quae ex eodem toties laudato chronico verti in rem noſtram poſſunt, ea ſuis locis non miſſa fient.

SECTIO IV.

Ex vita B. Nicolai Eremitae locus expenditur.

In hodierna S. Reſtitutae baſilica corpus B. Nicolai Eremitae in ſacello ejuſdem nominis, quod cappellae S. Mariae de Principio adhaeret, ſub ara poſitum colitur: qui ſub Carolo II. & ejus relicta vidua Maria piiſſima regina, Neapoli in colle Lucullano in ſolitaria Eccleſia S. Mariae ad Circulum eremiticam vitam diu egerat. Is a ſicario quodam neſcio quibus intemperiis acto peremptus, in Eccleſia quae hodie *S. Reſtituta* vocatur, ſed tum adhuc *Major Eccleſia* vocabatur (nam ejus mors in annum 1310. incurrit, quo nondum novam cathedralem fuiſſe perfectam, ſect. ſeq. oſtendemus) ſepultus fuit. Res quemadmodum geſta fuerit, in ejus vita non inepte ſcripta narratur, quam Bollandiani ſocii ad XI. Maii ediderunt, omiſſo tamen auctoris nomine, quod ignorarunt. At eadem vita in Actis Viſitationis S. Reſtitutae ſub Hannibale de Capua (in apographo Capituli Neap. fol. 313.) integra legitur ex cod. antiquiſſimo Monaſterii Surrentini S. Renati Monachor. Caſinenſium deſcripta; eaq. Magiſtro Jacobo de Piſis auctori ſuo tribuitur. In ea igitur vita haec de ſepultura leguntur (apud Boll. ad XI. Maii pag. 708. col.

Digitized by Google

708.col.2. num.7.) : *Portatur corpus ejus quasi* (61) *martyris per Clerum Neapolitani Capituli quem innumerosa gens de civitate Neapolitana sequitur , Antistite* (Humberto) *tunc* (62) *absente AD MAJOREM NEAPOLITANAM ECCLESIAM* (quae tamen tribus quatuorve post annis ob illatas S. Restitutae reliquias *Sancta Restituta* vocari coepit) *& INIBI* (h. e. in eadem Majore Ecclesia , nondum S. *Restitutae* nomen adepta) *IN CAPELLA SEV ECCLESIA* SANCTAE RESTITVTAE (haec porro est illa S. Restitutae peculiaris Ecclesia , quam vita S. Athanasii a Stephania distinguit , & adhuc tempore funeris B. Nicolai ab eadem distinguebatur : quam tamen auctor *Cappellam seu Ecclesiam* vocat , sicuti & Chronicon S. Mariae de Princ. *Cappellam* nuncupat, quia jam *Cappellarum* nomen de adhaerentibus oratoriis usurpari coeperat) *& inibi* , inquit , *in CAPPELLA seu ECCLESIA* (nam alii recentiore nomine *Cappellam* , alii antiquiore vocabulo adhuc *Ecclesiam* vocare amabant) *S. Restitutae , Divino sollemniter celebrato mysterio , in quadam tumba marmorea reconditur* . Ac paucis interjectis narrat , mox inde translatum fuisse *Ad quamdam tumbam aliam in eadem ECCLESIA SEV CAPELLA* : illa scil. quae peculiaris S. Restitutae fuerat , imo adhuc erat ; quia ejus Virginis reliquiae nondum inde in Aram maximam basilicae una cum nomine invectae fuerant .

Hic porro locus nec commentario , nec epiphonemate indiget : tanto plane aestimabilior , quanto de ultimis adhuc spirantis Stephaniae (quae

K tunc

(61) Ab exemplari descripto in Visitatione Hannibalis de Capua abest τὸ *Quasi* : quod optime quidem in exemplo Bollandistarum legitur . Sententia autem haec est , B. Nicolai corpus religiosis exsequiis , sic *quasi Martyris* , fuisse a Capitulo Neapolitano decoratum . Confer Adnot. seq.

(62) Quid hoc sedulo notasse necesse fuit, *Antistite tunc absente ?* An exsequiae peragi sine Archiepiscopo nequivissent ? Non : verum hujus loci intelligentia ex superiore Adnot. pendet , qua dictum fuit , B. Nicolaum in illis exsequiis non tralaticio funere , quasi unum e multis , sed QUASI MARTYREM (his enim verbis Magister Jacobus de Pisis auctor narrationis utitur) religioso cultu elatum fuisse . Atqui in re tanti momenti Archiepiscopi auctoritate opus fuisset . Verum absente Archiepiscopo , Capitulum in jurisdictionem successit ; eaq. de causa Capituli auctoritate omnia tunc gesta fuerunt . Nec enim tantum sede vacante , sed & absente aut aliter impedito Episcopo Capitulum in jura Episcopi succedere , docent passim Canonistae . Proderit pauca ex Card. de Luca (de Praeeminent . disc. 22. n. 6.) huc afferre . *Capitulum cum Canonicis & Episcopo constituit unum & idem corpus Ecclesiae Cathedralis repraesentativum . Cujus jurisdictionis & praeeminentiarum actuale exercitium residet penes Episcopum tamquam caput ; habitualiter vero est penes Capitulum : quod , sede vacante , seu alias ABSENTE vel impedito Episcopo , ex quodam jure non decrescendi , tam in jurisdictionalibus , quam in praeeminentialibus quoque habet* . Videatur quoq. noster M. Ant. Genuensis in Praxi Cur. Archiep. Neap. cap. 86. n. 11. qui post citata veterum Canonistar. loca , addit , cum , Hannibale de Capua Archiep. Neap. absente , ejus interim vicarius generalis diem obiisset ; in defuncti locum fuisse a Capitulo Neapolitano Horatium Raperium subrogatum . Verum his satis tritis , atq. ex Canonistarum uberius palaestra petendis abstineo .

Nostra quod interest ; hodie B. Nicolaus Eremita in S. Restitutae basilica cultum religiosum obtinet , verum ritu Confessoris , non ritu *Martyris* .

Digitized by Google

tunc *Major Neapolitana Ecclesia* usitatius vocabatur) annis loquitur; & ita loquitur, ut haec ab exstante adhuc peculiari *S. Restitutae* Oratorio sibi adhaerente distingueretur, quippe quae non dum *Sanctae Restitutae* nomen ejusdemque reliquias sibi vindicare potuerat.

Atque hinc porro intelligitur, ad eamdem hanc antiquiorem S. Restitutae Ecclesiam pertinere donationem, qua anno 1309. (qui annus sepulturam B. Nicolai Eremitae proxime anteceſſit) Bartholomaeus Siginulfus Casertae Comes, & magnus Regni Camerarius donavit *Majoris Ecclesiae Canonicis & SANCTAE RESTITVTE* (illi scil. antiquiori) *EORVM ECCLESIAE* (recte *eorum Ecclesia* dicitur; quia a fundatore suo Constantino recentiore donata Canonicis fuerat, ut in Chronico S. M. de Princ. legitur) *Castrum S. Angeli de Monte ad Cristam* cum omnibus juribus. Cujus donationis chartam a Canonicis tunc asservatam laudat Chioccarellus in Humberto pag. 202.

SECTIO V.

Versuum Musivi S. M. de Principio suffragium.

Versus tessellato operi S. Mariae de Princ. subjecti non alia quidem re causam, quam ago, juvant, quam quod in iis Templum hoc, quod hodie *S. Restituta* vocatur, disertis verbis S. Helenae h. e. ipsi Constantino Magno auctori tribuatur; ita enim ibi proditur:

Nobilis hoc templum sancta construxit Helena.

Ea igitur fama tunc vigebat, cum anno 1313. (quo circiter anno, uti dicetur nova Cathedralis, quae nunc cernitur, dedicata videtur) hoc opus tessellatum, cui versus subscripti prostant, constructum fuit. Quod si haec basilica (in qua versus illi descripti cernuntur, quaeq. hodie *S. Restituta* dicitur) Constantino auctore gloriatur, eamdem fuisse ac Stephaniam necesse erit; nam (ut cap. 2. & 3. demonstravimus) Stephanus Episcopus in id unum incubuit, nempe ut Constantinianam basilicam Salvatori sacram amplificaret ac renovaret: quae postea ab Stephanorum alterutro *Stephaniae* nomen traxit. Et id quidem unum satis erat ad constituti mihi pensi rationes. Verum cum iidem versiculi praeclara prorsus plurima ac scitu dignissima sub inconditae barbariei involucro contineant; ea omnia evolvere, ac versus ipsos justo commentario dilucidare non videbitur ab re proposita alienum. Quocirca licebit jam parumper in eos hexametros venia petita divertere.

§. I. EXCVRSIO PRIOR.

Qua versus Musivo operi S. Mariae de Principio subjecti recitantur & exponuntur.

De sacello S. Mariae de Principio (cui minime vulgaris veneratio jamdiu conciliata, adhuc perstat) doleo fabulosa plurima (a quibus, ut ingenue fatear, Clerus Neapolitanus tum semper alias, tum hoc tempore

cum

Digitized by Google

cum maxime abhorret) circumferri. Qui talibus delectatur, ea in Chronico S. Mariae de Principio, in Joannis Villani chronico Neapolitano, & aliis largiter expoſita reperiet. Inter cetera vero illud quoq. fabuloſiſſimum eſt, quod imago Deiparae (quae in apſide ejus ſacelli opere teſſellato expreſſa merito dignatione maxima colitur) ab aliis S. Lucae (de quo vide Caeſarem de Engenio) ab aliis Conſtantino Magno tribuatur. Verum mitto quod nulla Neapoli paullo eſt antiquiōr Eccleſia, quae non eidem principi tamquam auctori primo tribuatur. At in eo magis ſtuporem noſtratium miror, qui in ſubjectis eidem imagini verſibus non deprehenderint, id opus non ante annum 1313. fabrefactum fuiſſe: hoc eſt ducentis ferme annis poſtquam artem muſivariam, jamdiu in occidente ab olitam, Deſiderius Abbas Caſinenſis in Italiam revocavit, muſivariis artificibus CPoli in ſuum monaſterium arceſſitis, teſte Leone Marſicano chronographo Caſinenſi.

Porro muſivum hujus ſacelli opus in apſide conſpicuum, in medio quidem Deiparam ſedentem, ac puerum Jeſum in gremio geſtantem, a dextris S. Januarium Mart. mitra redimitum, a ſiniſtris S. Reſtitutam Virg. & Mart. exhibet. Quod quidem, uti dixi, male creduli noſtri homines ad Conſtantinum auctorem referunt, palam refragante tum rudi muſivi operis artificio, tum in primis inſcriptione, quae in extrema teſſellati operis ora legitur (63) in hunc modum.

LVX DEVS IMMENSA POSTQVAM DESCENDIT AD IMA
ANNIS TRECENTIS COMPLETIS ATQVE PERACTIS
NOBILIS HOC TEMPLVM SANCTA CONSTRVXIT HELENA:
HIC BENE QVANTA DATVR VENIA, VIX QVISQVE LOQVATVR
SILVESTRO GRATO PAPA DONANTE BEATO. (PENSIS
ANNIS DATVR CLERVS IAM INSTAVRATOR PARTHENO-
MILLE TRECENTENIS VNDENIS BISQVE RETENSIS.

§. I. *In quinq. priores verſus adnotatiunculae.*

Ad eos vero hexametros adnotaſſe aliquid non piguerit. Verſu tertio quod legitur, *Hoc templum ſancta conſtruxit Helena*, in eo leviſſimum id eſt quod Matris Conſtantini nominis penultima producitur. Id vero ex Graecorum recentiorum more manavit, in quorum verſibus (qui paſſim in liturgicis libris inſeruntur) ſaepiſſime vocales breves ſequente liquida evadunt ancipites, ad poetae arbitrium uſurpandae. Sed miſſis grammaticorum quiſquiliis, notandum eſt, quod S. Helena ſive (quod tantumdem eſt) Conſtantinus non illud muſivum opus feciſſe dicitur, ſed Templum illud totum: quod tunc quidem novum *S. Reſtitutae* nomen ſibi jam quaeſiturum erat; ſed proxime ante *Stephaniae* vocabatur,

& an-

(63) Nunc quidem litterae aut syllabae quaedam horum hexametrorum detritae cernuntur: ſed iis locis auxilio venit Chioccarellus, qui eos verſiculos (qui tunc temporis integriores erant) in Zoſimo Epiſcopo pag. 31. retulit. Nam alii nec totum epigramma proferunt, & id mendoſum deſcripſerunt.

Digitized by Google

& antequam Stephania fuiſſet, *Conſtantiniana* erat, h. e. illa baſilica quam Caeſar Neapoli Salvatori dicaverat. Nec ab illo tempore ad hanc diem primarius Salvatoris cultus in hac baſilica deperiit.

Sequitur v. 4. & 5. *Hic bene, quanta datur venia, vix quiſq. loquatur, Silveſtro grato.* Vox *Grato* non otiatur: voluit enim verſificator decantatiſſimae tunc temporis Conſtantini donationi (de qua chronicon S. Mariae de Principio prolixe meminerat) Silveſtrum ſeſe *gratum* praebuiſſe, & ſpiritualia longe aeſtimabiliora redonando, gratiam rependiſſe. *Silveſtro*, inquit, *grato Papa donante beato*. Porro de indulgentiis quas Silveſter ſacello S. Mariae de Principio (ad quod *Veniae* nomen pertinere, ſuadet adverbium HIC) largitus a verſificatore proditur, multa quoq. chronicon S. M. de Princ. praedicat. Ut fol. 5. a tergo: *Ob quod dictus Papa Silveſter ... ex Apoſtolica largitione multa ſpiritualia ſtipendia, & dona ac indulgentias conceſſit perpetuis temporibus duraturas. Oratorium enim & locus ille ſanctus eſt* &c. De eiſdem indulgentiis longior in eod. chronico mox narratio ſequitur: quam in ima (64) ora

(64) In Chronico Ms. S. Mariae de Principio fol. 6. a tergo ſic ſcribitur. *Nec etiam cenſetur eodem praetermitti ſilentio miraculum illud quod contigit, cuidam nobili mulieri anno centeſimo vigeſimo quarto poſt obitum dicti Papae Silveſtri. Dum dicta nobilis domina plurimum Deo devota dictum frequentaret Oratorium* (S. Candidae intelligit, ubi S. Maria de Principio) *& altare, in quo dictus Papa Silveſter Neapoli celebraverat pluries, & videbat alios frequentantes, ut eſt etiam hodie; ſupervenit ſibi affectio magna diſtincte ſciendi indulgentias largitas & conceſſas in dicto oratorio per dictum Papam Silveſtrum, cum aliqua animi temptatione, quod convenientius videbatur ſibi viſitare & frequentare Oratorium & altare, ubi degebant corpora SS. Martyrum Januarii, & Neapolitanorum civium Euticetis & Acutii militum, qui diebus hiis proximis, martyrium ſuſceperant pro fide Chriſti ſervanda. Quae domina dum pro hujuſmodi habenda noticia devotas preces fundiſſet Altiſſimo, unius diei mane facto ſurrexit, & dictum Oratorium more ſolito viſitavit, ubi dictos Martyres Acutium & Euticetem invenit ſedentes ante predictum Altare, & ante ſe tenentes tabulerium ſcacculorum, non ludentes in illo ad ſcacculos, ſed curioſe domos ſcacculorum & ipſum ſcaccherium numerantes. Qui dum recto ordine numeraſſent, & ex tranſverſo ineiperent numerare, preſata domina ecce manifeſte cognoſcens, ex eorum viſione aliqualiter frigida, poſt paululum amore calefacta divino, eos propinquius adiit. Salvete, inquit, ſancti Martyres, qui in hunc locum ſanctum veniſtis ſcaccherium computare, in quem magis decet orantes: miror quod tam inanem laborem ſumitis, cum dicatur proverbialiter: De omni re difficili & inviſibili* (corr. *Impoſſibili*, uti in translatione Jo. Villani) *ad computandum, iſtud computum majus eſt, & ad plus aſcendit computum ſcaccherii; quaſi dicat: Computum ſcaccherii plurimum eſt & infinitum. Cui dominae ſancti Martyres tale dedere reſponſum: Non mireris ſi laborem ſumimus, licet non inanem, ſed tibi utilem, ſi credis. Ut dicitur, numerum ſcaccherii eſſe grandem & infinitum, ſic accerto teneas, indulgentias largitas & conceſſas dicto Oratorio a dicto Silveſtro Papa in terra Chriſti Vicario eſſe permaximas & infinitas. Quae propterea teguntur & non dicuntur explicite, ne populus Neapolitanus flexibilis ad delicta ſub ſpe remiſſionis ipſorum propter multiplices venias & indulgentias, fiat proclivior ad peccandum. Hiis dictis ſubito diſparuerunt Martyres ſupradicti.* Hanc totam narrationem Joannes Villanus in ſuo Chronico Neap. in ſermonem patrium Neapolitanum traductam totidem verbis inſeruit. Is ſcil. gultus ejus ſaeculi erat.

Digitized by Google

ora subjeci in eorum gratiam, qui his parum fidis narrationib. capiuntur.

Porro quae modo recitare inceperam (*Oratorium enim & locus ille &c.*) si cum sequentibus nectantur, videntur innuere, fuisse olim aliam antiquiorem S. Mariae de Principio effigiem in Ecclesia S. Restitutae positam cui haec hodierna successit. Quod quale sit, in subjecta (65) Adnotatione exponimus.

§. II. *In reliquos versus duos.*

Quaenam hujus distichi sententia? Anno 1313. & musivum fuisse factum, & novam Cathedralem encaeniatam, & veterem datam Capitulo AD INSTAVRANDVM. Quid INSTAVRARE & INSTAVRVM in re agraria valuerint, tum quid Ecclesiastica notione.

Ultimi duo hexametri epocham continent tum operis tessellati, cui subjiciuntur, tum novae cathedralis *encaeniatae* (ut verbo S. Augustini

(65) *De antiquiore S. Mariae de Principio imagine, cui hodierna subrogata fuit.* In Chronico S. Mariae de Principio fol. 5. a tergo scribitur: *Oratorium enim & locus ille sanctus est: illud scil. Altare* (in quo S. Silvester saepe sacra fecisse vulgo tunc narrabatur) *& locus* (in quo S. Candida sancte vixisse ferebatur) *intus Cappellam Sanctae Restitutae, ubi nunc Sancta Maria de Principio.* Haec verba sunt a priore Chronographo, quia utitur praesenti tempore *Sanctus EST*, adhuc enim scribente priore Chronographo Capella S. Restitutae stabat. At extremum illud, *Ubi nunc S. Maria de Princ.* a posteriore collectore fuit opportune additum, ut locum Capellae S. Restitutae, quae deperierat, designaret.

Post recitata verba subjicitur illam S. Restitutae capellam a Constantino fuisse aedificatam: quod quorsum sit accipiendum, alibi exposuimus.

Verum suprascripta verba (*Oratorium & locus ille sanctus est... intus Cappellam S. Restitutae*) si cum iis connectantur, quae fol. sexto ad continuandam eamdem narrationem adduntur; animadvertemus fuisse olim in S. Restitutae capella antiquiorem alteram S. M. de Princ. imaginem. *Sed*, inquit, *quare Sancta Maria de Principio dicatur, ratio est, quia inibi* (h. e. in supra scripta Capella S. Restitutae, de qua proxime dixerat: non vero in Sacello hodierno S. M. de Princ. quod aetate chronographi antiquioris non dum fuerat) *primo constructa & effigiata*: non scil. hodierna imago, quae chronographo priore scribente nondum erat, sed altera longe antiquior intra capellam S. Restitutae. Verum ne per longiores parentheses lectorem obtundam, repetam jam ab initio omnia, quae frustillatim interposui. *Sed quare*, inquit, *S. Maria de Principio dicatur, ratio est, quia inibi primo constructa & effigiata fuit incarnata* (h. e. ad vivum expressa, uti mox exponam) *Beatae Mariae Virginis ymago in puerperio* (h. e. puerum gerens: Jo: Villanus istud *In puerperio* reddidit, *col figliolo in brazo*) *antequam in aliqua parte civitatis, vel forte Italiae.* Hoc ergo de priore imagine, quae intra capellam sive Ecclesiam S. Restitutae, adhuc scribente priore Chronographo erat, praedicatur: nam hodiernam S. Mariae imaginem haud antiquiorem anno 1313. fuisse, epigramma subjectum testatur. Itaque hodierna imago scribente priore chronogragho non erat.

Jam vero quod τὸ INCARNATA in suprascriptis verbis interpretati sumus, *Ad vivum expressa*, ejus rei auctores habeo Etruscos ejusdem ferme aevi scriptores: inter quos Franc. Petrarca in Son. 267.

Nè col mio stile il suo bel viso incarno.

Eadem notione Ariostus in Orlando Furioso I. 58.

Non starò per repulsa o finto sdegno,
Ch'io non adombri e incarni il mio disegno.

Ad extremum sequitur. *Et ex his duabus causis* (tum quod ibi S. Candida manserit, tum etiam quod ibidem imago illa

prior

ſtini utar) ſive apertae & inchoatae , ac dominii baſilicae S. Reſtitutae a Canonicis acquiſiti , & quo genere dominii eam Eccleſiam Capitulum ſibi quaeſiverit . Jam autem licebit diſtichon ex integro recitare .

Annis datur Clerus jam inſtaurator Parthenopenſis
Mille trecentenis undenis biſque retenſis .

Ex ultimo quidem verſu nunc extrema in muſivo ſyllaba deperiit . Verum *Retenſis* non vero *Retentis* fuiſſe ſcriptum , & Chioccarellus fidem facit , & ſimilis deſinentia τῦ *Parthenopenſis* ſuadet . *Retenſis* autem hoc loco idem eſt quod *Decurſis* . *Retendere* eſt *laxare* . Metaphora autem hic a tela (quae poſtquam contexta fuit, retenditur) ad temporis texturam traducta fuit . Ergo ſententia haec eſt *Anno CIↃCCCXIII. vetus Sthephania Clero* (h. e. Capitulo Neap.) *ad inſtaurandum* (quid juris hoc complectatur , poſtea viderimus) *conceſſa fuit* . Hoc dumtaxat verſiculi diſerte docent . At ex eo datur aperte intelligi I. eodem tempore opus illud teſſellatum fuiſſe factum : nam & muſivi pictura , & hexametri ſubjecti ad eamdem prorſus teſſellati artificii continentiam pertinent : II. eodem quoq. tempore novam Cathedralem (cui anno 1310. adhuc inſudabatur) aut jam fuiſſe proxime dedicatam , aut proxime dedicandam ; ut merito ea cura ſive Humbertum Archiep. , ſive forſitan etiam regem Robertum ſubierit , ecquidnam veteri Cathedrali fieret .

Ac primum ne dubita, quin *Cleri* nomine Capitulum Neapolitanum intelligatur . Hexametri leges plenam locutionem non admiſere , quae fuiſſet *Clerus Capituli Neapolitani* ; qua quidem integra locutione Jacobus de Piſis in ſupra recitato loco vitae B. Nicolai Eremitae utitur : *Portatur* , inquit , *corpus ejus .. per CLERVM NEAPOLITANI CAPITVLI , quem innumeroſa gens de civitate Neapolitana ſequitur , ANTISTITE TVM ABSENTE ad Majorem Neap. Eccleſiam* . Ubi *Cleri* nomine noli Clerum dumtaxat inferiorem intelligere , ſed univerſum Capitulum (nam certe interfuiſſe exſequiis canonicos ex curioſe notata Archiepiſcopi abſentia clare arguitur) ex Canonicis & ſubjectis *Confratribus* (uti tunc vocabantur) h. e. iis , qui mox evaſere hebdomadarii, compoſitum . Nam non raro *Cleri* & *Clericorum* vox pro Canonicis accipitur : de quo vide (66) quae ſeorſum adnotavimus .

Ergo

prior S. Mariae de Principio erat) *non mirum eſt , ſi ibi eſt magna devotio populi & concurſus cotidie . Nec indebite agitur , ſi inibi anachoritae mulieres recluſae inhabitant* (vides hoc quoq. non niſi a priore chronographo potuiſſe ſcribi , cujus tempore in manſione S. Candidae anachoritae mulieres vitam ducebant : quod poſt tempora novae Cathedralis deſiit , quippe everſa illa S. Candidae manſiuncula) *quia illic ſancta vetula Candida in ſervitio Dei juxta dictam Eccleſiam* (quam proxime dixerat *Cappellam S. Reſtitutae*) *& palatium dicti antiſtitis Aſpren vitam finivit* .

(66) Notandum in primis eſt , *Capituli* vocem , quatenus collegium Canonicorum Cathedralis ſignificat , eſſe valde recentem . Hoc novitio ſignificatu Lindwodus quidam apud Cangium *Capitulum* dici notavit reſpectu *Eccleſiae Cathedralis* , *ut Conventus*

Digitized by Google

Ergo (ut inceperam) ubi primum nova Cathedralis encaenianda fuit, cum ea inceſſiſſet cura, eccuinam vetus major Eccleſia (quae proxime ante *Stephania*, primitus autem *Conſtantiniana* fuerat) commendaretur; viſum eſt Capitulum Neapolitanum INSTAVRATOREM ei baſilicae dari. At id nunc ipſum jam quaero, quid ſit *Inſtauratorem dari*, quove jure veterem Cathedralem Capitulum acquiſierit.

Sane quam quaerimus nominis notionem, eam, ſi ſapimus, fruſtra ex antiquis melioris Latii ſcriptoribus arceſſemus: apud quos *Inſtaurare* eſt *Reficere* & *Renovare*: quo quidem tunc veterem Cathedralem haud magnopere indiguiſſe cenſeo, quippe cujus numquam Antiſtites ſarta tecta tueri deſiiſſent. Non inquam ab antiquis probae notae auctoribus in-

ventus reſpectu Eccleſiae inferioris, ubi eſt collectio viventium in communi. Adhaec *Clerum Capituli Neapolitani* uſurpavit Magiſter Jacobus de Piſis in vita B. Nicolai Eremitae, qui in S. Reſtitutae colitur. Vide ſup. ſect. IV. Eadem notione apud Ericum Olaum (qui medio ſaec. XV. vixit) in Hiſt. Suecica lib. V. & alibi, *Capitulares* ſunt *Qui Capituli jus habent* h. e. Canonici.

At antea Canonicorum Cathedralis Collegium dicebatur *Clerus*; unde modo laudatus Jacobus de Piſis *Clerum Capituli Neapolitani* (utramq. ſcil. vocem *Cleri* & *Capituli* ſimul componens) memoravit. Itaq. *Clauſtrum Cleri* eſt Clauſtrum Canonicorum communiter viventium in Caroli Calvi Capitulis tit. 41. cap. 9. *Ut Epiſcopi in civitatibus ſuis proximum Eccleſiae* (cathedrali) *clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum CLERO ſecundum canonicam regulam Deo militent*. Atq. hi ſunt ii *Clerici* i. e. Canonici, quorum communiter viventium *Collegium* S. Athanaſius Epiſc. Neap. inſtituit, uti Parte altera demonſtrabimus: qui *Clerici* Sanctum Epiſcopum huc illucq. fugitantem ſectabantur, & ubiq. fide ſumma circumſtabant. Addamus hic interim & Concilii Rom. ſub Eugenio II. locum c. 7. *Ut juxta Eccleſiam* (Cathedralem) *clauſtra conſtituantur, in quibus CLERICI* (ii ſunt Canonici) *diſciplinis eccleſiaſticis vacent. Itaq. omnibus unum ſit refectorium, ac dormitorium &c.* Quod dixi *Clericos* modo deſcriptos eſſe Canonicos, id quoq. oſtendit, quod ſicuti in ſexcentis capitulariorum locis *Clauſtra Canonicorum* memorantur & deſcribuntur, ſic eadem *Clauſtra Clericorum* vocantur in Epiſtola Ledradi Archiep. Lugd. cap. 20. ut & in Concilio Meldenſi ann. 845. can. 53. & in capitulis Caroli Calvi tit. V. c. 53. & alibi.

His adde Innocentium III. cap. *Tua nuper: De his quae fiunt a praelatis* &c. his verbis: *Irrita enim Epiſcoporum donatio, venditio & commutatio erit rei Eccleſiaſticae abſq. contiventia & ſubſcriptione CLERICORUM*. Ubi *Clericorum* nomine venire Canonicos Cathedrales, declarat ſimilis locus Conc. Valentini Cap. *Irrita* eod. tit. (qui talis eſt: *Irrita erit Epiſcopor. donatio, venditio vel permutatio rei Eccleſiaſticae abſq. collaudatione & inſcriptione CLERICORUM*) ad quem locum Abbas *Clericos* negat alios debere intelligi, quam *Canonicos capitulares*. *Quando*, inquit, *agitur de alienatione &c. requiritur conſenſus Canonicorum capitularium, non item aliorum Clericorum, qui non ſunt Canonici capitulares, etſi ſint Beneficiati in eadem Eccleſia*.

Sed & interdum conjunctis vocabulis *Clerici Canonici* vocabantur, ut in Caroli Calvi capitulis tit. XXXI. c. 30. Adhaec in Excerptis Egberti Archiep. Ebor. in Praefmemorantur *Canonici id eſt Regulares Clerici*.

Jam vero ſicuti *Cathedrales* medio aevo non alii intelligebantur quam Canonici Cathedralis Eccleſiae (vide Freſnium in *Cathedrales*) ſic iidem plena locutione *Clerici Cathedrales* vocantur ab Joanne de Colle medio apud eundem Cangium. Hinc etiam illae appellationes, *Clerici de Stalone* i. e. ſtallo, apud eumdem.

Poſtremo *Clerimonia* idem erat ac *Clerus*, ac notabat Clericorum Canonicorum, interdum & Monachorum collegium. Vide eumdem in *Clerimonia*.

Digitized by Google

inſtaurandi ſignificatio petenda eſt, ſed potius ex faece aetatis illius, qua hi verſus tam laevo Apolline elucubrati fuerunt. Atqui aevo medio *Inſtaurare* verbum agrarium fuit, idemq. erat quod agrum inſtruere, omni ſcil. agraria ſupellectile tam pecoris quam ruſticorum inſtrumentorum dotare praedium. In charta Joannis Angliae regis anni 1215. *Et reddat heredi, cum ad plenam aetatem venerit, terram ſuam totam INSTAVRATAM de carucis* (porro *Caruca* aut *Carruca* antiquis erat honoratorum vehiculum, Italis *Carozza*: at ab aevi medii ſcriptoribus pro *Aratro* ſumitur) *& omnibus aliis rebus*. Hinc *Inſtauratio* eſt inſtaurandi actus. Et *Inſtaurum* eſt quidquid ad ruſticam ſupellectilem pertinet: quod totum veteres ICti *Inſtructum* vocabant: quod etiam *Staurum* & *Inſtauramentum* vocatum reperitur: quorum exempla petes ex Du-Freſnii Gloſſario.

Atqui *Inſtaurum* etiam de Eccleſiis uſurpabatur. Hinc *Inſtaurum Eccleſiae* (h. e. quidquid ad Eccleſiaſticam ſupellectilem pertinet) reperitur in Synodo Exonienſi an. 1287. (pauciſſimis videlicet ante noſtros hoſce haxametros annis) cap. 12. verſus finem: *Praecipimus, quod de Eccleſiarum INSTAVRO ipſius cuſtodes.... quolibet anno computum fideliter reddant*. Cap. 44. *Liceat ... pro inſtauro Eccleſiae & aliis juribus .. injuſte detentis ... nominatim ſuſpendere & excommunicare detentores*.

§. III. EXCVRSIO ALTERA.

De Inſtauritarum Eccleſiarum notione & etymologia & natura.

Atq. INSTAVRI quidem vocabulum notione Eccleſiaſtica Neapoli olim perquam familiare fuiſſe, teſtatur *Inſtauritae* vox, quam fruſtra in Du-Cangii gloſſario aut alibi reperies. Imo fruſtra ſe adhuc noſtrarum rerum ſcriptores miris modis diſcruciarunt, ut veram vocis hujus etymologiam detegerent: aliis a σταυρός (*ſtauros* h. e. *crux*) aliis aliunde eam derivantibus. Atqui res manifeſta eſt, id vocabulum ab *Inſtaurandi* verbo aut *Inſtauri* nomine manaſſe. Nam *Inſtauritae* vox non tantum Neapoli, ſed in aliis etiam pluribus vicinis urbibus (quas certum eſt nec fuiſſe (67) Graecas, nec quidquam cum Graecis habuiſſe commune, ut de Σταυρὸς cogitare potuerint) quibusdam Eccleſiis tribuitur, quae a laicis curantur, qui eas non tantum omni ſupellectile ſed & miniſtris inſtruunt. Unde, inquis, ea vox manavit? nempe quia fuit aliquando tempus, cum eas ferme deſertas neceſſe fuerit laicis ad *inſtaurandum* aut ad *inſtaurum* dare: ex quo Eccleſiae ipſae dici *Inſtauritae* coeperunt. Niſi vero malumus, initio *Inſtauritarum* vocabulum non tam ad Eccleſias a laicis

(67) Ex vicinis quas dixi urbibus Inſtauritarum exempla nunc quidem corrogare non vacat. Memini tamen, ante hos quinquaginta annos magnas fuiſſe Archiepiſcopo Surrentino cum Regia Jurisdictione de Surrentinis Inſtauritis contentiones. At amabo te, quandonam tando auditum fuit, Surrentum inter urbes Graecanicas numeratum?

Digitized by Google

laicis administrandas pertinuisse, quam ad laicos earum curatores, qui ob id *Instauritae* dicerentur (sicuti *Emphyteutae* non res ad emphyteusim permissae, sed ii sunt quibus res eo jure permittuntur) ita ut Ecclesiae illae non *instauritae*, sed *Instauritarum* initio dictae fuerint. At postea lapsu temporis, uti fit, ipsae Ecclesiae *Instauritae* vocabantur. Atque ea, puto originatio tam certa est, quam quod certissimum.

Jam ergo intelligis quid sit, quod in hisce versibus legitur, Neapolitanum Capitulum veteri Stephaniae fuisse *Instauratorem datum*, quasi scil. si hodiernam S. Restitutam *Instauritam* Canonicorum dixeris. *Instauri* autem ambitu non tantum instructum omne basilicae, sed & sarta tecta contineri, superfluum est monere: quandoquidem satis id Instauritarum hujus urbis omnium exempla docent, imo & hujusmet nostrae S. Restitutae consuetudo, in qua non tantum supellectilem & ministros, sed etiam sarta tecta templi tuetur Capitulum, nullis parcens sumptibus, imo interdum magno se aere alieno (permissu tamen Apostolico) obligans, ut Domui Dei dignitas sua pro viribus constet: sive verius supra vires. Nam cum haec basilica reditibus careat; omnia ex collatitia Canonicorum pecunia subministrantur. Verum quid his immoror? quasi hoc populus curet scilicet, ut ille ait.

Nunc si ulterius quaerimus, τῷ *Ad instaurum dare* quaenam locutio in jure Romano aequivaleat; non aliud ex adverso magis ei respondere crediderim, quam emphyteuseos contractum. Et quidem sicuti *Instaurum* ex re agraria etiam ad Ecclesias transferebatur (uti modo ex Exoniensi Concilio ostendimus) pari modo & emphyteusis initio nata ruri (quod & vox ipsa declarat, quippe ἐμφύτευσις *plantationem* significat, quia steriles agri ad plantandum dabantur) in agro igitur reperta emphyteusis, inde & in urbes, ac postremo etiam in Ecclesias ipsas gradum promovit. Nam sicuti deserta & infructuosa praedia alicui jure emphyteutico concedebantur; non secus & derelictae aut semirutae basilicae in emphyteusim dabantur. Ac memini nuper in Vulturnensi chronico in exempla me incurrisse duo aedium sacrarum emphyteuticariis permissarum. Nam ejus chronici lib. 4. (p. 409. apud Murat. To. 1. Part. 2.) legitur *Charta precariae* ann. 894. qua Grifo & Leo fratres a Majone Vulturnensi Abbate *in emphyteusim recipiunt Cellam & Ecclesiam S. Valentini, idque cum omnibus pertinentiis vel adjacentiis suis*. Sic etiam pag. 425. inseritur *Charta Leonis Abb. S. Vincentii ad Vulturnum* (anni 950.) *qua Ecclesiam S. Mariae ad Olivetum in emphyteusim concedit, & quidem cum omnibus territoriis ad eamdem Ecclesiam pertinentibus*. Et iis quidem juris Romani vocabulis utebantur Langobardorum temporibus, quibus sua adhuc Codici Theodosiano per Anianum sive contracto, sive tantum recensito, constabat apud eos auctoritas, qui Romanorum legibus viverent. At postea gliscente magis barbarie hoc ipsum aliis vocabulis

 esse-

efferebatur. Vocabantur enim *Precariae* aut *Praestariae* (inter quas Ecclesiasticae precariae maximo in usu fuere) & ut cetera ejusmodi nomina taceam, ad ultimum *Instauri* vox, Neapoli praesertim & in urbibus vicinis invaluit, in quibus Ecclesiae eo jure datae dici tandem *Instauritae* coeperunt. Et sic quidem antiquae *Instauritae* fuerunt. At postea forsitan id vocabulum etiam ad recentiores Ecclesias, quae ad instar veterum, quas dixi, Instauritarum a laicis administrandae tunc primum fundabantur, καταχρηστικῶς (*abusive*) translatum fuit. Porro de Neapolitanis *Instauritis*, sive corrupte (68) *Stauritis*; plurima tum alibi, tum in Archiep. nostri Joannis Ursini Consuetudinib. anno 1337. collectis & publicatis mentio exstat. Ac de Instauritis satis.

§. IV. *Cur veteris Stephaniae reliquias Canonicis potissimum dari ad instaurandum placuerit.*

Ut jam e diverticulo in viam redeamus, quaeret aliquis, cur vetus Cathedralis Capitulo potius, quam cuivis alii corpori concessa ad instaurandum fuerit. Tametsi enim, modo aliquid factum fuisse constet, parum cur ita factum fuerit, curamus; tamen ejus rei causam si quidem possimus assequi, cur aspernabimur?

Sciendum est igitur, priorem illam veterem S. Restitutae Ecclesiam, de qua pluries disseruimus, quamq. verisimillime saecul[o] potissimum VII. a Constantino Constantis filio aedificatam, ut ibi S. Restitutae reliquiae conderentur, ostendimus; eam inquam ab eodem aedificatore Constantino Capitulo Ecclesiae Neapolitanae fuisse donatam. Testatur id luculenter chronicon S. Mariae de Principio in fine fol. 5. & 6. his verbis. *Quam quidem Cappellam* (nam saec. XIII. *Cappella* vocabatur, at ab auctore vitae S. Athanasii & aliis *Ecclesia*: unde Jacobus de Pisis in legenda B. Nicolai sup. sect. IV. utrumq. nomen cumulavit) *Quam*, inquit, *Cappellam sancte Restitute construi etiam & aedificari fecit dictus Imperator* (Constantinus) *qui ex devotione quam habebat ad dictam beatam virginem Restitutam, quae proximis diebus claruerat miraculis multis & glorioſis* (haec sunt illa miracula, quibus corpus S. Restitutae fulsisse in insula Enaria suo tempore h.e. VII. saeculo, auctor Actorum S. Restitutae narrat) *dictam CAPPELLAM DONAVIT CAPITVLO ECCLESIAE NEAPOLITANAE quod tunc erat, & ejus commisit regimini.*

Quo

(68) Nihil aevo sequiore usitatius, quam primoribus syllabis detruncare vocabula. Itaq. *Instaurum* h.e. instructum (quod nostri vocant *Provvisione*, *Provista*) id Angli scriptores XIII. & XIV. saeculi *Staurum* passim appellant. Hinc frumentum, carnes, & similia, quae in apothecis ad totius anni victum, vestitum & ceteros usus asservatur, id totum *Staurum* per aphaeresin vocant. Exempla ex Fresio petes in *Staurum*: quod fatetur non aliud esse quam *Instaurum*. Quocirca non est mirandum, si, quas Ecclesias dici *Instauritas* integro vocabulo oportuerat, eas Neapolitani scriptores una mulcatas syllaba, *Stauritas* vocaverint. Ex quo & eruditis nostratibus oblata est suspicandi ansa, ac videndi an non ea vox a σταυρὸς crux) originem duxerit. Verum *Instaurare* & *Instaurum* (corrupte *Staurum*) quid aevo medio fuerit, supra jam abunde docuimus.

Digitized by Google

Quo etiam pertinet Siginulfi charta, quam extrema Sect.IV. protulimus, qua is donavit *Majoris Eccleſiae Canonicis, & Sanctae Reſtitutae* (illi antiquiori) *EORVM* (Canonicorum) *ECCLESIAE Caſtrum &c.*

Dixeris forſitan, ſaeculo ſeptimo *Capituli* & *Canonicorum* nomen fuiſſe inauditum. Atqui ſi verum amamus, nomen quidem tunc inauditum fuit, res non item. Nam erant aevo Magni Gregorii Clerici *Cardinales*, iidem qui ſequenti aevo *Canonici* vocabantur. Noſtros vero Canonicos tum antiquitus, tum etiam ſequentibus ſaeculis *Cardinales* fuiſſe nuncupatos, Parte altera docebimus. Horum igitur Clericorum Cardinalium Eccleſiae Neapolitanae Congregationi Conſtantinus ille a ſe conſtructam S.Reſtitutae Eccleſiam donavit, & eorum regimini credidit. Tametſi vero donatio iſta, cujus Chronicon S. M. de Principio, & ceteri omnes ſcriptores meminere, damnari falſi non poteſt; at demus interim eſſe fabuloſam. Illud tamen certe negari non poterit, vergente ſaeculo XIII. (quo chronicon antiquius S. Mariae de Principio conditum fuiſſe docuimus Sect. III.) priorem illam veterem S.Reſtitutae Eccleſiam ſive Capellam pleno jure Canonicos poſſediſſe, eamque poſſeſſionem ad donationem ſibi a Conſtantino factam retuliſſe, eod. chronico, & Siginulfi charta id teſtantibus.

Haec vero cum ita eſſe manifeſtum ſit; jam & illud facile intelligitur, quae cauſa fuerit, cur veteris Stephaniae lacerum corpus, quod hodie in S. Reſtitutae veteris nomen ſucceſſit, Canonicis donari, & eorum regimini committi placuerit. Etenim quo tempore nova Cathedralis ſub Carolo II. magna ex parte facta, ſub Roberto vero Rege & Humberto Archiep. perfecta & encaeniata fuit, eodem tempore vetus illud ab Auguſto conſtructum S. Reſtitutae oratorium nimia jam antiquitate fatiſcebat. Quo circa optimum factu viſum fuit, ſi ex vetere S. Reſtitutae Eccleſia Virginis corpus in venerandam veteris Stephaniae baſilicam inveheretur, eademq.Stephania Canonicis *Ad inſtaurandum* (uti tunc loquebantur) daretur, eorumq. regimini permitteretur. Quo facto, cum jam Stephania vetus antiquiori illi S.Reſtitutae Eccleſiae in omnibus ſubrogata fuiſſet; quid mirum ſi ab illo tempore dominii Canonicorum eſſe, imo & vulgo ab omnibus non alio nomine quam SANCTA RESTITVTA (cui ſcil. Eccleſiae ſucceſſit) vocari coeperit?

§. V. *Quamdiu illud S.Reſtitutae templum a Conſtantino illo erectum, poſt inde avecta S. Virginis pignora duraverit.*

Certum quidem eſt, anno 1310. adhuc vetuſtiorem S. Reſtitutae Eccleſiam ſtetiſſe: quo quidem anno in Eccleſiam illam corpus B.Nicolai invectum fuit, uti ſupr.ſect.IV. ex Jacobo de Piſis didicimus. At poſt inde ablatas S. Virginis reliquias, & in hodiernam S. Reſtitutam invectas (ex quo facto diximus, veteris Stephaniae baſilicam ſimul cum Virginis exuviis etiam ejuſdem nomen ſibi peculiare feciſſe) ſi quaeras quam mox

Digitized by Google

post hasce rerum conversiones vetustius illud S. Restitutae oratorium solo aequatum fuerit, id haud facile definiri posse ingenue fatebimur.

Sed tamen post ablatas inde reliquias non statim illam Ecclesiam eversam fuisse, verisimile est. Cur enim imperialis structurae Ecclesiam dejicerent? aut quis in sacratissimam olim aedem dolabram impingere auderet? Itaq. crediderim tamdiu aediculam illam aegrum traxisse spiritum, donec vetustate magis, quam vi hominum corrupta concideret. Atq. ut ita sentiam vehementer facit, quod Chioccarellus in chronico Episcop. pag. 91. med. fateatur, se *in vetusto* (festorum) *anniversariorum libro Capituli Majoris Neapolitanae Ecclesiae* (quem librum in Canonicorum tabulario nunc diu frustra quaesivimus) die VIII. Januar. reperisse scriptum: *Dedicatio Altaris S. Mariae de Principio*. Ex qua notatione perspicue colligitur, eum librum fuisse posteriorem anno 1313. (quo musivum S. Mariae de Principio constructum fuit) imo & Altari (quod post musivum fieri debuit) recentiorem fuisse. Teneamus hoc igitur, illum Anniversariorum librum aliquandiu post initia XIV. saeculi, & post translatas ab antiquiore aede S. Restitutae reliquias fuisse perscriptum. Et tamen in eod. Anniversarior. libro legebatur etiam die 25. Januar. (teste eod. Chioccar. pag. 94. post medium) *Dedicatio Ecclesiae S. Restitutae*. Quaero jam de utra S. Restitutae Ecclesia ea Dedicatio sit accipienda: de priore ne, an de hodierna? De hac quidem posteriore id intelligi minime posse ajo: primum quia hodierna S. Restitutae basilica Dedicatione nova non eguit, quia nec Altare, nec Apsis, nec tectum ex ea deperierat, nec omnino quidquam, praeterquam quod nonnihil ei ex navis longitudine meridiem versus decessit. Non ergo nova Dedicatione indigebat. Deinde si ea Dedicatio, quae in XXV. Januarii incidebat, ad hodiernam S. Restitutam pertineret; cur Canonici, qui tanta sollemnitate die VIII. Januarii Dedicationem solius Altaris S. M. de Princ. quotannis semper ad hunc usq. diem celebraverunt, ab hac altera integrae Ecclesiae suae Dedicatione peragenda destitissent? Atqui nec nostra nec patrum nostrorum memoria ullum hujus Dedicationis in XXV. Jan. incidentis exstat vestigium. Aut igitur toto caelo aberro: aut diei XXV. Januarii festum tamdiu in S. Restitutae Ecclesia (praeter scil. diei VIII. Januar. dedicationem) celebrabatur, quamdiu imperialis illa ac moribunda prioris S. Restitutae Ecclesia spiritum aegrum duxit: at postquam eadem suo ipsa senio consumpta periit; putidum sane fuisset, si ejus postea Ecclesiae Dedicatio perageretur, quae nulla jam esset. Eoque haec XXV. Januar. Dedicatio ad posteros transmissa non fuit; at illa VIII. Januar. adhuc viret vigetque. Adhuc igitur post importatas in hodiernam S. Restitutae basilicam Virginis reliquias, antiquior illa S. Restitutae Ecclesia aliquamdiu stetit, & ejus Dedicatio a Canonicis (ad quos liber ille festorum anniversariorum pertinebat) celebrabatur.

Imo

Digitized by Google

Imo facile post centesimum ab reliquiarum S. Restitutae in hodiernum locum translatione annum adhuc prior illa aedicula stabat; idq. in causa fuit, ut vetus Cathedralis (quae post invectas Virginis reliquias, jam tum *S. Restituta* vocari coepit) non ἁπλῶς (*absolute*) eo nomine appellaretur, sed cum addito discriminante *Major*. Quam sane additionem non uno loco me observasse commemini. Interim hoc dabo documentum, quod in Visitatione Ecclesiae Cathedralis Archiepiscopi Hannibalis de Capua pag. 397. reperitur: quo loco stipulationis cujusdam inter Canonicos Metropolitanos interq. Hebdomadarios anno 1414. interpositae instrumentum inseritur, ubi hoc legitur: *Acta fuerunt haec intus MAIOREM ECCLESIAM S. RESTITVTAE*. Ubi cave τὸ *Majorem Ecclesiam* perinde accipias, quasi si *Cathedralem* scripsissent: nam centesimus jam annus numerabatur, ex quo Cathedralis esse desierat. Cur ergo *Major* vocatur nisi ad *Minoris* alterius (illius scilicet quam Imperator olim fecerat & Canonicis donaverat) adhuc stantis discrimen?

Aut vero si anno 1414. jam illam antiquiorem S. Restitutae aedem prorsus fuisse deletam doceatur (tametsi quisnam quaeso id nos docere potuerit?) at illud certe nemo negaverit, quin antiquius illud, de quo tamdiu loquimur, oratorium post ablatas inde S. Restitutae exuvias, adhuc per plurimos annos stetisse, ac tamdiu certe, quoad distinctio *Minoris* atque *Majoris S. Restitutae* in hominum sermone radices egisset. Quod ubi semel inductum fuit, etiam deleta *Minore* aedicula, potuit aliquamdiu (& utiq. anno 1414.) reliqua superstes *Major* cognominari. Atq. haec de *Minore* ac *Majore* h. e. antiquiore ac nova S. Restituta dicere habui.

At scriptorum nostratium superioris & XVI. saeculi plane misereor, qui ob hanc *S. Restitutae* duplicitatem ignoratam, quaecumq. decora antiquiori aedi tributa in Chronico S. M. de Principio & alibi legerent, ea in novam transfuderunt. Itaq. a Constantino hanc hodiernam S. Restitutam (quam re vera olim Stephanus episcopus fecerat, vocatam ex eo *Stephaniam*) tum aedificatam, tum etiam ab initio reliquiis S. Virginis ditatam dictitarunt: quaeq. cetera ex ignoratione duplicis Ecclesiae & Constantini alterius, historica admisere peccata.

SECTIO VI.

De chronico Joannis Villani: cujus brevis defensio adtexitur.

Joannes Villanus Neapolitanus (cum Florentino ejusdem nominis non confundendus) circiter annum 1380. floruit. Is chronicon (69) Neapolitanum, itemq. de Puteolanis & Enariae insulae balneis accuratam tractationem Neapolitana (70) dialecto conscripsit. Hunc quidem chronogra-

(69) Fuere qui Chronicon istud Bartholomaeo Caracciolo, qui eodem tempore vixerit, tamquam auctori vero tribuerint. Ejus rei indicium mihi fecerat Toppius in sua bibliotheca, ex nescio quo Jesuita auctore: nec enim memini. Verum cur id non credam, plures habeo causas.

(70) Quae scil. Neapolitana dialectus in urbe

Digitized by Google

nographum, cum ea omnia, quae ex MS. chronico S. Mariae de Principio proxime produximus, adeo rata habuerit, ut ea totidem verbis in patriam linguam translata in suum chronicon infuderit; merito nos hic suo loco ad dicendum testimonium citavimus. Quamquam nihil necesse est eadem illa, quae modo Latine ex chronico audivimus, Italice reddita ex Villano repetere. Praeter ea vero is etiam alicubi quaedam de suo nostrae causae consentanea adnumerasse videtur, quae nunc vestigare non vacat. Id magis curae erit, ut a viro optimo, & ut illis temporibus, satis erudito fabulatoris infamiam, qua apud supercilioſum hoc saeculum immerito flagrat, amoliar. Atqui is injuria maledictis oneratur. Nam quae vulgo ejus commenta homines fastidiosi insectantur, ea omnia in antiquissimis rerum patriarum primordiis versantur: in quibus (ut Graecos, ceterarumq. gentium leviſſimos scriptores praeteream) Romani ipsi historiarum scriptores (graves nimirum viri ac severi ad invidiam) quibusnam rogo parsere miraculorum portentis? maxime si primos quosque gentis illius scriptores deperditos ad manus haberemus. Deinde conferantur quaeso initia historiae Joannis Villani Neapolitani cum initiis Joannis Villani Florentini: certe hic alter circa historiae Etruscae primordia nec

be Metropoli passim a scriptoribus usurpabatur. Nam quicumq. in Neapolitanorum forulis manu exarati codices saeculo XIV. aut sequenti reperiuntur, non nisi aut Latino aut Neapolitano isthoc sermone utuntur. Sed & marmora plura sunt passim eadem dialecto perscripta: cujusmodi illud est, quod in Oratorio S. Joannis ad Fontes prope S. Restitutam legitur in hunc modum. QVESTA CAPPELLA LA EDIFICAI LO IMPERATORE CONSTĀTINO ALI ĀNĪCCCXXXXIII POY LA NATĪVĪ DE XP̄O ET LA CO'SACRAI. S. SILVESTRO ET AVE NOME. S.IOANNE AD FONTE ET AVE INDVLGĒTIÆ IFINITÆ. Neapoli ergo non nisi ista Neapolitana dialecto scriptores saeculo XIV. & XV. utebantur, sed multo tamen puriore, quam qua vulgus Neapolitanum colloquebatur.

Quin & eadem auctorum nostratium dialectus a ceteris totius Regni Neap. scriptoribus adhibebatur. Nam quamvis verbi causa alius esset Calabriarum, alius Apuliae, alius Aprutiorum sermo vernaculus, imae plebi earum regionum peculiaris; at ibidem viri politiores & litteris exculti eâdem omnes lingua in scribendo utebantur, eâdem certe, quam & Regum Neapolitanorum aulici & Neapolitani scriptores suae consuetudinis fecerant. Hoc eo dico quod cum Muratorius viri nobilis Matthaei Spinelli domo Juvenatiensis ephemeridas Italice saeculo XIII. medio scriptas in tomum VII. Italicor. scriptor. intulisset, ei historiae censuram eruditissimi Jo: Bern. Tafurii praemisit, ita suspicantis: *Che questo libro fosse stato composto con lingua Latina da Matteo, e che dappoi da altro soggetto si fosse trasportato all' Italiana favella ne' tempi più bassi, parendo che il linguaggio non sia l'istesso, che quello usato communemente nella Puglia nei XIII. Secolo.* At frustra Matthaeum Apulo sermone utentem exspectat, qui debuit eo potius uti, quem Regum aula & urbis Metropoleos (in qua Spinellus hic saepe diu commorabatur) scriptores adoptaverant. Fatendum est tamen, Spinellum, etsi solido saeculo antiquiorem nostro Villano, tamen non deteriore lingua scripsisse ephemeridas, quam qua Villani Chronicon contextum fuit. Haec de Matthaeo nostro ideo notata volui, quod is Ricordano Malaspina ceterisq. Italicae linguae historicis antiquior fuerit: proinde primum historicum monumentum Italico sermone conscriptum nostro huic Regnicolae debeatur; sicuti poeseos Italicae primitiae paulo ante a Siculis prodierant.

Digitized by Google

nec paucioribus nec craſſioribus ſcatet fabularum monſtris. Imo hoc inter utrumq. cognominem ſcriptorem intereſt, quod Florentinus nullam praefatus veniam, plauſtra commentorum convehit: at interim noſter multo verecundior de narrationibus iſtis putidioribus ita ſe lib. I. cap. 33. apud lectorem purgat. *Io potria del dicto Virgilio dicere multe altre coſe, le quale ho ſentito dicereſe de tale homo, ma perche in major parte mi pareno favoloſe & falſe, non ho voluto al tutto implire la mente de li homini de ſogni. Et perche multe coſe ſono ſtate dicte de ſopra de Virgilio, a le quale Io Scriptore de quelle meno che li altri credo, prego ciaſcuno Lectore me habbia per excuſato, perche non ho voluto fraudare la fama de lo ingenioſiſſimo Poeta, ò vera, ò falſa, & la benivolenza, la quale ipſo portava a queſta inclita citá di Napoli. Ma la verità de tutte le coſe la cognobbe & conoſce ſolo Dio. Queſto ben dirò, che Io non ſcrivo coſa falſa, ne faboloſa, che de quella lo Lectore non ſia facto accorto.* Quis non tam aequi chronographi tum judicium, tum etiam ſinceritatem amet? Poſtremo qui nunc apud delicatulos ſordet, hunc eumdem Angelus Conſtantius ceteriq. ſuperioris & ſecutae aetatis ſcriptores adeo non faſtidivere, ut potius honorifice nominarent, modo ei accedentes, modo ubi neceſſarium duxere, recedentes, non tamquam a confeſſo fabulatore, ſed tamquam ab homine humana paſſo.

SECTIO VII.

De ultimorum temporum ſcriptoribus.

Saeculi XV. ſcriptores rerum noſtrarum manu exaratos haud paucos in privatorum hominum bibliothecis exſtare ſatis ſcio: ſed eos excutere non fuit otium. At ſaeculi XVI. & XVII. auctorum non tantum manu deſcriptorum, ſed & in publicum editorum mole laboramus: quos omnes, ubi tulit occaſio, de Stephaniae poſitu plane eadem, ac ſupra recenſitos, ſenſiſſe adeo non eſt dubitandum, ut hoc ipſemet Falconius jactitaverit, ultro confeſſus, ante ſe ad unum omnes Stephaniam in ea baſilica poſuiſſe, quae hodie *S. Reſtituta* vocatur; ſe vero primum a ſuperioribus ſcriptoribus diſceſſionem feciſſe, ac Stephaniam alibi quam in hodierna S. Reſtituta collocaſſe. Pro qua ingenua confeſſione magnam habeo Praeſuli illuſtriſſimo gratiam.

Itaque ad manus equidem haberem teſtimonia luculentiſſima Petri (71) de Stephano, Joannis (72) Tarcagnotae, Davidis Romaei (qui ver-

(71) Petrus de Stephano in libro de locis ſacris Neap. (edito Neap. anno 1560.) fol. 7. *E detta Chieſa di S. Reſtituta era prima Veſcovado, avante che fuſſe edificato l'Arcivеſcovado dal Re Carlo Primo &c.* Obiter obſervabis, in hunc errorem, quo decus Cathedralis a Carolo II. aedificatae in Carolum I. transcribitur, plures noſtros ſcriptores incidiſſe, Angelum Conſtantium, Jo: Tarcagnotam &c. Sed fortaſſe Carolus I. aedificationis conſilia inierit, opuſque ante mortem inceperit.

(72) Jo: Tarcagnota in libello (Neapoli edito an. 1566.) de ſitu & laudibus Neapolis: *E che queſta Chieſa* (di S. Reſtituta) *foſſe la Cattedrale della Città, finchè Carlo I. d'Angioja la Chieſa grande e magnifica, che ora abbiamo da fondamenti ne edificò.*

Digitized by Google

vergente XVI. saeculo scripsit) Caesaris de Engenio (cujus *Neapolis Sacra* anno 1623. prodiit: quae a pag. 11. ad 16. causam nostram ubiq. verbis differtissimis promovet) Bartholomaei Chioccarelli anno 1643. evulgati, & Antonii Caraccioli biennio post editi (qui ambo dedita opera causam nostram egerunt) Caroli de Lellis in additamentis ad Caes. de Engenio anno 1654. excusis, aliorumq. innumerabilium. Talium inquam testium confertissimam nubem proferre possem. Verum cui bono? cum contrariae sententiae antesignanus Illustrissimus Falconius ultro confiteatur & glorietur, se omnium primum a ceteris, quotquot olim illevere aliquid duraturis chartis, secessionem feciſſe, alia videlicet omnia, ac tota retro antiquitas judicaverat, sentientem. Ingentes ago grates, quod me hoc labore levarit. At nos interim vulgus credulum ac simplicius, eamus, si videtur, qua itur, non qua eundum, vir ceteroqui doctissimus, sed tamen προτεραιος (*pridianus*) sero moniturus prodiit.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONIS HISTORICAE
De Cathedrali Eccleſia Neapolitana

SEMPER VNICA

PARS ALTERA

Qua de Neapolitana Cathedrali non tantum ὑλικῶς (materialiter) ſed & εἰδικῶς (formaliter) ſemper unica agitur.

PROLOGVS.

SECTIO I.

Dicendorum ſeries.

PArte priore argumentis plurimis ac ponderoſis ad faſtidium uſq. cumulatis luce clarius demonſtravimus, Cathedralem illam Neapolitanam antiquiorem, quam Illuſtriſs. Falconius, ac deinde clariſs. Serſalius in hodiernae Cathedralis tranſverſa navi ſive, uti vulgo vocant, *Cruce* metati fuerunt, eſſe prorſus commentitiam: contra vero eamdem veterem Cathedralem (quae modo *Salvatoris baſilica*, modo ſaepius *Stephania*, alias *Eccleſia Neapolitana* aut *Major*, ac tandem *S. Januarii Eccleſia* vocabatur) non alibi quam in hodierna *S. Reſtitutae baſilica* eſſe quaerendam: qua occaſione ex abſtruſiore antiquitate plura ignorata prius, manu obſtetricante, in apertum me protuliſſe, eſt quod huic ſaeculo gratuler. Verum quia forſitan plures ſibi receptus, ii, qui duplicitati patrocinantur, reſervatos habebunt; ſtatui hac Parte altera mihi ab effugiis omnibus praecavere.

Nam cum dupliciter accipi Cathedralis poſſit, uno modo ὑλικῶς (*materialiter*) quae tantum murorum ambitu continetur, altero εἰδικῶς (*formaliter*) quae ad πολιτείαν ſive adminiſtrationem Eccleſiaſticam, & miniſtrorum συστήματα (*corpora*) pertinet; decrevi hac Parte ſecunda εἰδικὴν (*formalem*) quoque ſingularitatem tueri, duplicitatem vero formalem omnem amoliri. Itaq. hic mihi ordo dicendorum erit.

I. Praeter veterem Stephaniam in hodierna S. Reſtituta adhuc ſpirantem, nullam fuiſſe ſimul aliam ubiubi eodem tempore Cathedralem univerſe demonſtrabitur.

II. Ne formalem quidem Cathedralem unquam fuiſſe duplicem. Ac primum non ratione Antiſtitum: quorum unica ſemper ſeries fuit, eo-

 rumq.

Digitized by Google

rumq. Latinorum: qua occasione vexatissimus vitae S. Athanasii enodabitur locus ille: *Binas Praesulum gestat sedes*.

III. Nec duplex fuisse Capitulum, aut omnino duplex Clericorum Cathedralem repraesentantium collegium. Qua occasione de Canonicorum & Hebdomadariorum hujus Ecclesiae origine & natura differetur.

Atq. hoc quidem cardine tota haec pars altera vertetur. Interim siqua forte inter extundendum, uti fit, sese in conspectum dabunt, iis minime fraudabimus ista lecturos.

SECTIO II.

Partis alterius hujus occasio.

At erunt fortasse nonnulli, quibus ego nimia sollertia peccaturus videar, si quidem ea praecavere satagam, quae nullusdum hominum somniaverit. Quocirca non ab re erit, si pauca de hujus scriptionis occasione ad eluendam morosae diligentiae maculam praelibavero.

Cum abhinc annos prope triginta ingens funeraria (*) controversia inter Canonicos insignis Collegiatae Ecclesiae S. Joannis Majoris, & Hebdomadarios (1) hujus Metropolitanae Ecclesiae in Romanis tribunalibus ventilari coepisset; Hebdomadariorum patroni (quorum videlicet intererat clientes suos Canonicis S. Joannis digniores & quolibet jure potiores ostendere) machinis omnibus in id connisi fuere, ut eosdem clientes suos Metropolitanae Ecclesiae Canonicis pares, si possent, aut certe suppares redderent. Id vero ut evincerent, systema a clarissimis illis causidicis sane quam lepidum excogitatum fuit. Dicas antiquitus Neapoli Cathedrales (& quidem *aeque*, uti volebant, *principales*) exstitisse ajebant, Latinam unam cum suo Latino Clero, Graecam alteram cum suorum Graeci oris ministrorum coetu. Porro Latinam Cathedralem *Stephaniae* nomen sibi arrogasse, eamq. usque ad initia saeculi XIV. perdurasse; eo tempore sub Andegavensibus Regibus eadem Latina Stephania eodem, uti falso putant, loco, etsi laxioribus spatiis, in eam, qua nunc cernitur, formam a fundamentis redacta fuerit: at vero Cathedralem alteram Graecam haud aliam fuisse, quam illam ipsam Ecclesiam, quae hodie *S. Restituta* vocatur. Postremo hodiernos Hebdomadarios primitivi illius Latini Cleri posteros esse volunt: contra vero hodiernos Metropolitanae Ecclesiae Canonicos antiqui illius Cleri Grae-

(*) Hinc videlicet Canonici S. Joannis Major. vetabant nostros Hebdomadarios intra paroeciae S. Joannis & aliarum paroeciarum ab ea tamquam matre dependentium territoria ad funera procedere, nisi tantum sub Cruce sui Parochi: illinc vero Hebdomadarii ubiubi sine Cruce Parochi sibi procedendi jus esse, defendebant. Eam controversiam siquando alias designare opus fuerit, brevitatis causa *De jure privativo exsequiarum* forensi locutione inscribemus.

(1) Quid sibi velint in Metropolitana Ecclesia Neapolitana *Hebdomadarii*, nemo nostrorum hominum nescit. At exterorum hominum gratia uno verbo dicam, *Hebdomadarios* nostros esse presbyterorum XXII. corpus Canonicis inferius. Quocirca qui alibi *Mansionarii*, alibi *Beneficiati*, alibi alio nomine vocantur, ii in Neapolitana Cathedrali nuncupantur *Hebdomadarii*.

Digitized by Google

Graecanici ſucceſsores haberi debere. Huc ferme redit ſumma totius ſyſtematis; quod in aliquot allegationibus, quae pro Hebdomadariis prodierunt, ſparſim legitur. Ex quo & illud effici ajebant, nempe cum ea duo miniſtrorum collegia olim *principalia* (in ſua ſcil. quodque Cathedrali) fuerint; etiam poſtquam in unam Cathedralem convenerunt, *aeque principaliter* (uti cauſidicorum in ea cauſa vocibus utar) *unita* fuiſse. Quod quidem *aeque principalis unionis* commentum (ut id obiter notem) quo ore ab illis egregiis cauſidicis jactari potuerit, vel luſcitioſi ex eo, qui viget ſemperque viguit, procedendi atq. ſedendi ordine, ex indumentorum *choralium*, uti loquuntur, inſignibus, totq. aliis externis indiciis diſcriminantibus animadverterint; nam interim Eccleſiae πολιτείαν interiorem (quae tota ſub Archiepiſcopo praeſide a Capitulo, inconſultis Hebdomadariis, adminiſtratur) praetereo. Itaque, ut quod res eſt dicam, nae hi noſtri praepoſtere nimium ſeſe geſerunt. Quibus ſi mens non laeva fuiſset, non tam ſe cum Canonicis *aeque principaliter unitos* jactare, quam potius de illata ſibi injuria conqueri debuiſſent, atq. indignari graviſſime, cur non ſcil. *aeque principaliter unita* fuerint ea duo collegia, quae ipſi volunt in ſuis ſingula Cathedralibus principalia quondam fuiſſe. Mitto quod excitare ob id quoque tragoedias potuiſſent, quod quando ea duo corpora in unum coaluerunt, illud quod Latinum origine ſua fuerat (Hebdomadariorum ſcil.) praeſtare alteri huic Graecanico Canonicorum coetui debuiſſet. Nam cum in Eccleſiae Latinae ore ac ſinu, & a Romanis Pontificibus ea copulatio profecta, non vero a CPolitanis Patriarchis fuerit; profecto Hebdomadariorum Congregationi priores deferri partes, Canonicis vero (Graeculorum ſcil. contemptiſſimo gregi) vix relinqui ſecundae debuiſſent.

Sed ad ſyſtema Romanorum cauſidicorum redeo: quod quantopere fabulam oleat, nemo non ſentit. Multo vero magis commenti illorum vanitas perſentiſcitur, ſi ſimul, quanto cum incredibilium mendaciorum comitatu ea fabula in ſcaenam prodierit, animadvertatur. Sed nolo iis recenſendis lectorem morari. Aliquot tantum portenta hujuſmodi in ſpecimen magis, quam quod in iis cognoſcendis aliquid operae pretii futurum ſit, in imam (2) hujus paginae oram conjeci. Et ſexcenta olim

(2) *Specimen fallaciloquentiae, qua Hebdomadariorum cauſidici ante annos fere XV. allegationes ſuas aliaſq. id genus ſcripturas in cauſa exſequiarum contra Canonicos S. Joannis Majoris referſerunt. Ea Hebdomadarii ad Capituli offenſionem declinandam retractare promiſerunt: ſed non ſtetit promiſſis fides...*

Ordiar ab illo celeberrimo libello precum, toto ex mendaciis fallaciiſq. compoſito, quem diſcriminis cauſa *Ultimum libellum* vocant: in quo num. 3. ſic legitur. *Eccleſia Metropolitana Neapolis, quamvis formaliter ſit una, materialiter tamen duabus diſtinctis antiquiſſimis baſilicis conſtituta eſt.* Falſiſſima vel haec prima verba ſunt; nam una materialiter eſt, ea ſcil. quae ſub Carlo II. Rege conſtructa fuit; altera enim, quae hodie

Digitized by Google

hodie *S. Reſtituta* vocatur, fuit quidem antea Cathedralis ante hanc novam, nunc vero Cathedralis non eſt. Pergit. *Quarum una Sanctiſſimo Salvatori dicata* (falſum; nec enim Salvatoris, ſed Deiparae in caelum aſſumptae titulo inſignita eſt: nec niſi antiquior Cathedralis, quae hodie *S. Reſtituta* vocatur, Salvatori ſacra fuit) .... *ſuum habet diſtinctiſſimum Hebdomadariorum collegium* (imo dicendum fuerat: Habet Canonicorum Capitulum, qui ſub Eminentiſs. Archiepiſcopo Cathedralem repraeſentant, quibus Hebdomadarii deſerviunt) *cum onere quotidiani ſervitii a Divo Athanaſio fundatum*. Atqui ut oſtendetur, nihil commune cum S. Athanaſio Hebdomadarii habent, ſed ab obſcuriſſimis initiis orti, abhinc quadringentos annos in *Hebdomadariorum* nomen & corpus coaluere: cum onere quidem ſervitii chori, ſed vice Canonicorum, quando hi aberant, iiſdemq. deſerviendi, cum aderant. Sequitur. *Atque a nomine Stephani II. Epiſcopi Neap. Stephania* (eadem ſcil. hodierna cathedralis) *nuncupatur* &c. Hoc quoque falſiſſimum eſt: nam Stephanus II. Cathedralem antiquiorem (ab eo *Stephaniam* dictam) reſecit, quae hodie *S. Reſtituta* vocatur: at hodierna Cathedralis ſub Rege Carolo II. exſtructa a fundamentis prope illam antiquiorem fuit. Sequitur. *Altera vero dicata S. Reſtitutae* (ſed non niſi poſt initia XIV. ſaeculi: nam antea Salvatori dicata fuerat, & *Stephania* vocabatur) *a nomine Conſtantini Magni, qui illam fundavit, Conſtantiniana baſilica appellatur*. Hoc quidem verum eſt (uti Par. I. cap. 2. dictum) ſed addere debuiſſent, eamdem poſtea prius a Stephano I. amplificatam, mox a Stephano II. refectam, *Conſtantinianae* nomen cum uſitatiore *Stephaniae* nomine commutaſſe. Additur. *Eademq. habet Capitulum Dominorum Canonicorum* (caſtigatius ſcribendum fuerat: Eademq. regitur a Dominis Canonicis, non tamquam primario huic Eccleſiae incardinatis, ſed tanquam pleni juris dominium in eam exercentibus) *qui in ea chorum tenent in quo poſſeſſionem Canonicatuum adipiſcuntur*. Atqui potius ſupplicandum ſic fuerat: Qui in ea aulam capitularem ad deliberandum, & praeterea chorum pro peculiaribus quibuſdam ſuis functionibus tenent (praeter ſcil. Cathedralis Chorum, in quo Canonici Hebdomadarii deſervientibus praeſunt) & poſſeſſionem canonicatuum adipiſcuntur; non omiſſa tamen poſſeſſione, quam re vera in choro Cathedralis per corporalem acceſſum ac ſeſſionem de more ineunt. Sic plane ſupplicandum fuerat, ne per inſidioſas preces auribus judicum obreperent.

Ad haec in eodem libello precum num. 7. deſcriptionem ſedilium in Choro Cathedralis ſic prorſus ambiguis locutionibus temperant & adminiſtrant, ut ſi iis credas, plane jurare poſſis, Hebdomadarios, ſi minus ſupra Canonicos, at juxta certe cum Canonicis conſidere: cum tamen apertiſſimum ſit, quanto intervallo Canonicis Hebdomadarii inferiores ſedeant, quaeq. alia ſint ſubſelliorum utrorumque diſcrimina. Verum ex eo libello precum miſſa faciam, quae peculiariter ad eorum controverſiam cum Canonicis S. Joannis Majoris pertinent.

Venio jam ad cauſidicorum allegationes: inter quas circumferebatur etiam manu exarata Italica ſcriptiuncula, a Neapolitano quodam juriſperito ad inſtruendos Romanos cauſidicos elucubrata. In qua, pro Deus bone! quot mendaciorum portenta! Eo uſq. progreditur, ut *Cathedralem ab Hebdomadariis repraeſentari* deblateret. Verum haec miſſa facio; & ad Romanam cauſidicinam me confero.

1 In manu exarata allegatione, quam Virgilius de Virgiliis pro *Apertione oris* compoſuit, inter cetera legebatur. *Praetenditur quod Hebdomadarii principales mei conſtituunt CAPITVLVM* (notabis quaeſo hoc vocabulum) *diſtinctum & ſeparatum a Capitulo Cathedralis. Verum hujuſmodi diſtinctio videtur prorſus idealis, dum iſta DVO CAPITVLA S. Pius V. AEQVE PRINCIPALITER univit, atq. ordinavit conjunctim & unitim omnes peragere functiones in Eccleſia Metropolitana, reſervata facultate retinendi omnia privilegia, quae prius unicuiq. competebant* &c. Quid viro huic optimo facias?

2. In Allegatione Romae typis Mainardi anno 1738. edita, cui Lanfrancus Matthaeius, Cajetanus Forti, & Virgilius de Virgiliis viri clariſs. ſua nomina ſubſcripſerunt, inter cetera ſic num. 15. ſcribitur.

Fru-

Digitized by Google

Frustra dicitur (ab adversariis) *monstrosum esse, quod in Ecclesia Metrop. Neap. Capitulum Canonicorum & Collegium Hebdomadariorum considerari valeant tamquam duo corpora distincta; ex quo repugnet & inauditum sit, quod in ead. Ecclesia materiali dari queant duo distincta & separata corpora. Omnem enim monstruositatem submovet tum innegabilis distincta & separata fundatio in diversis basilicis facta, tum AEQUE PRINCIPALIS adnexio cum retentione jurium INDEPENDENTIS COLLEGII.* Mox num. 18. *Nihil urget, quod Hebdomadarii aeque ac Canonici simul intersint Ecclesiasticis functionibus; quia hujusmodi commixtio non est totalis, neq. facit Hebdomadarios dependentes, sed est consociatio duorum corporum simplicium potius per conjunctionem, quam per unitatem in opere peragendo.* In ead. defensione num. 15. haec quoq. scripta fuerunt. *Ipsi hebdomadarii pollentes jure INDEPENDENTIS COLLEGII* (ante unionem a S. Pio V. factam) *expendebant continuatam assistentiam in distincto choro... adimpletis omnibus oneribus ac legibus, quae vero Capitulo Canonicorum praescribuntur a S. C. T.... & hac methodo coadunati Ecclesiae & Archiepiscopo INDEPENDENTER a Capitulo Canonicorum servitium praestabant tamquam PRAECIPVI MINISTRI Cathedralis.* Mitto cetera depromere.

3. Adhaec in sane quam prolixa defensione (quae inscribitur, *Restrictus facti & juris ex integro in quinta propositione*) Romae typis *tō De Comitibus* edita anno 1704. ab advocatis Joanne Ascevolino, Lanfranco Matthaelo, Cajetano Forte, & Petro de Clementinis num. 81. haec reperio. *Idem sanctissimus praesul Athanasius, qui modis omnibus sibi possibilibus inter Graecos & Latinos de grege suo perpetuam pacem conciliare studebat, assignavit gregi ritus Graeci primam antiquiorem Ecclesiam S. Restitutae* (ex quo scil. inferunt Canonicos S. Restitutae Graecos fuisse) *& respective plebi ritus Latini alteram recentiorem Ecclesiam Stephaniam S. Salvatoris, ut sic uterq. populus sine ulla perturbatione sacra separatim peregisset in Ecclesia de ritu suo sub directione opportunorum ministrorum; quos approbavit pro ritu Graeco in dicta Ecclesia S. Restitutae, & Ecclesiae S. Salvatoris sub nomine Sacerdotum Hebdomadariorum &c.* Ad quae paradoxa confirmanda laudatur Joannes diaconus: alius, puto, quivis Joannes; nam qui nunc teritur, prorsus nihil horum somniavit.

Haec ad specimen portenta attulisse sufficiat. Nec enim vacat aliis decerpendis tempus terere: inter quae & illud satis scio alicubi scriptum fuisse, nimirum in sacris processionibus pari passu Hebdomadarios cum Canonicis incessisse, ac singula procedentium paria ex Canonicis aeque & Hebdomadariis constitisse: nisi quod Canonicus dextrum latus, Hebdomadarius laevum occuparet. Haec & alia plura prodigia potuisse abhinc annos XV. tam intrepide Romae scribi ac jactari, praesertim cum in illa Ecclesiarum Metropoli Neapolitani frequentes versentur, adhuc equidem miror.

Fortasse dixerint, ista & horum similia Hebdomadariorum injussu illevisse chartis causidicos. Verum quis hoc cordatus credat? Quis ejus rei culpam in causarum patronis residere in animum induxerit? Quos praestare ausim, de *Stephania*, de *S. Restituta*, deque *Hebdomadariis* ipsis ne fando quidem olim audisse quidquam; nec istarum fallaciarum ullam actores causarum de suo attulisse, sed omnia per Hebdomadarios meditata prius atq. composita, ita demum sibi suggesta fuisse, ut ea scripto mandarent. Cujus rei vel illud documento esse potest, quod cum tempus aliquando incidisset, quo ipsorum cum Collegiata Ecclesia S. Joannis Major. disceptatio in permagno discrimine versaretur; ecce tibi Hebdomadarii nostri (qui cum spiritus ingentes gerant; tamen ubi suadet necessitas, norunt sese ad omnem supplicandi abjectionem demittere) ad Canonicorum Metropolitani Capituli patrocinium trepidi confugiunt, obsecrantes, uti per suos causarum patronos afflictae Hebdomadariorum causae adesse ac patrocinari velint. Exstat adhuc in Capituli tabulario horum supplex libellus Capitulo oblatus, ac debitis subscriptionibus & legali αὐθεντίᾳ firmatus. In quo inter cetera sic conqueruntur. *Han patita* (gli Eddomadarj) *la disgrazia di due risoluzioni contrarie* (nella Rota Romana) *per negligenza ed ignoranza di chi ha avuta la condotta*

Digitized by Google

quidem fallaciarum plauſtra judicum auribus ingeſſere per ſuos cauſidicos Hebdomadarii noſtri, quo tempore Romae inter ſeſe atq. Canonicos S. Joannis de exſequiarum jure diſceptabatur. Quae, quamlibet convicioſa in Metropolitanos Canonicos commenta, Canonici ipſi tunc temporis ſuſq. deque tulerunt: id nempe veriti, ne, ſi detegerent, Hebdomadariorum ſuorum commodis parte ulla obſiſterent. Itaq. pro ſua indulgentia ſiverunt illos tantiſper Saturnalicia propemodum libertate uti; qua ſervis olim in dominos nihil non maledictorum effundere permittebatur.

Nunc vero quandoquidem Hebdomadarii noſtri eo confidentiae proceſſerunt, ut non cuniculis, ut olim, oppugnare Metropolitanos Canonicos, ſed coram & aſſultim in ipſos inſurgere, iiſq. acres de *praeeminentiis*, uti vocant, controverſias movere non dubitaverint; rogandus eſt lector, ut ex iis mendaciorum prodigiis, quae jam olim ante decennium ſatis impune protulerant, reputare apud ſe quiſq. cum animo ſuo

dotta e la difeſa della cauſa, avendo più badato a falſe & ideate ragioni; per le quali hanno i ſupplicanti meritato anche il riſentimento delle SS.VV. Illuſtriſſime e Reverendiſſ. (alludunt autem ad portenta mendaciorum in apertiſſimum Capituli dedecus ac detrimentum in allegationibus ſparſim edita; quorum ſcil. ipſi culpam in cauſidicos falſo rejiciunt; cum ipſosmet auctores fuiſſe omnium, ex mox dicendis liquido pateat) *le quali ragioni eſſi ſupplicanti non han mai preteſo di penſare, non che di proporre. E in fatti avvertiti di tal diſordine, hanno ordinato che ſi cancellaſſero, e poneſſero in perpetua dimenticanza, confeſſando di non avere altro onore, che quello che deriva dalla ſola benignità delle Signorie Voſtre Illuſtriſſime e Reverendiſſme &c.*

Huic petitioni reſponſum a Canonicis fuit, ſe Hebdomadariorum ſuorum cauſae minime defuturos, modo iis, quae in modo recitato ſupplici libello promiſerant, ſtarent, atq. ea omnia recantarent mendacia, indecora ac damnoſa Canonicis, quibus ſcriptae pro ipſis defenſiones ſcatebant. Itaq. Canonicis placuit dictari formulam, in qua Hebdomadarii ea quae dixi omnia diffiterentur, tamquam ſcil. a ſe neq. dicta, nec ſuggeſta, ut a cauſarum actoribus ſcriberentur. Verum noſtri homines non tantum ei formulae ſubſcribere renuerunt (quae adhuc informis in archivo Capituli aſſervatur) verum etiam in defenſionibus poſt id tempus in eadem cauſa Romae editis, multo prodigioſiora ac putidiora mendacia protulerunt: quorum nonnulla jam ſuperius adſcripſimus. Ex quibus facile lector perſpiciet, in cauſidicis ne, an in ipſis Hebdomadariis commentorum iſtorum, Canonicis apprime injuriorum, culpa reſideat.

Libuit autem haec pauca de multis adſcribere; ut qui noſtrorum Hebdomadariorum nondum norunt ingenium, mirari deſinant, ſi nos interdum nimia peccaverimus diligentia in iis refellendis, quae nulla aut praeparca confutatione indiguiſſent. Atqui equidem contra vereor, ut haec tam multa, quae totâ hac Parte altera ſum producturus, occupatis ſtudio partium animis, atq. uti fit, rerum novarum, quamlibet incredibilium, dulcedine captis ſatis futura ſint. Quis enim crederet, iſta tam abſurda tam abſona & ἀτόπα quae ſupra ex cauſidicor. defenſionibus recitavimus, non modo Serſalio viro amiciſſimo uberem ad ſcribendum materiem ſubminiſtraſſe, verum etiam clariſſ. viro Lud. Sabbatino, nunc Illuſtriſſ. Aquilae in Veſtinis Epiſcopo, ſeſe probaſſe? Nam nuper ex viro doctiſſimo audivi, cum diceret, ſeſe in Sabbatianis Commentariis ad Kalendarium marmoreum Neap. reperiſſe diſertim ſcriptum, noſtros Hebdomadarios haud alios eſſe quam antiquos *Canonicos Salvatoris*. Quo vero idem amiciſſimus Auctor hodiernos detrudat Canonicos, percontari non curae fuit. Mirum ni CPolitani Patriarchae apparitores olim exſtiterint.

Digitized by Google

ſuo velit, ecquid tuto credi Hebdomadariis poſſit; tum maxime cum aeſtuantes fora, compita, coetuſq. omnes clamoribus complent, ſeſe a Canonicis opprimi vociferantes, ſuumq. antiquum ſplendorem per eos indigniſſime obfuſcari. Imo quid lectorem compello? cum haec potius ad Eminentiſſimos Cardinales hodiernae inter Canonicos & Hebdomadarios controverſiae arbitros pertineant. Qui quidem etiam atq. etiam rogandi ſunt, ut ex iis commentorum monſtris, quibus ante hos paucos annos Romana tribunalia perſonare fecerunt, aeſtimare velint, quaenam prodigioſa forſitan paradoxa in hodierno judicio in ſuas caſtiſſimas aures ſint ingeſturi. Quos tamen, ſi tale aliquid auſuri acceſſerint, operae pretium eſſet, in ipſo judicii limine, ſi videbitur Eminentiſſimis judicibus, propulſari: certe ut ſalubri ad poſteritatem exemplo cauſarum actores admoneantur, nihil niſi ad veritatis limam caſtigatum in Romanis tribunalibus proponi debere. Verum de his Patres purpurati viderint.

Nam equidem umbratilem potius diſceptatorem, quam cauſidicum agens, id nunc dabo operam, ut Neapolitanos ſimul cives, ſimulq. alios, quibuſcumq. haec curae fuerint, breviter ea dedoceam, quaecumq. ex ſparſis Hebdomadariorum ſermonibus atq. rumoribus fortaſſe imbiberint. Id vero ut pro mea virili parte aſsequerer, ea maxime mihi demonſtranda propoſui, quorum ſeriem modo ſect. I. deſcripſi. Nam his intellectis, cetera prono alveo cuilibet attendenti fluent.

CAPVT I.

Neapolitanae Cathedralis ὑλικῆς (materialis) *ubiubi ſitae duplicitas in univerſum evertitur. I. ex antiquorum* περὶ δυάδος (de duplicitate) *ſilentio. II. ex eo quod unicam diſertim agnoverint. III. ex unico olim Dedicationis feſto. Niſi quod ſemel a S. Paulo Epiſc. duplicata legatur, ſed* κατὰ συμβεβηκὸς (caſu) *& ad modici temporis neceſſitatem.*

§. I. ARGVMENTVM I.

Ex antiquorum ſilentio petitum.

EX antiquis ſcriptoribus haud vetuſtiorem alium reperies Magno Gregorio, qui Neapolitanae Eccleſiae negotia ſollerter curaverit, deq. iis in ſuis epiſtolis mentionem plurimam injecerit: qui tamen duplicis Eccleſiae nullus uſquam meminit.

Deinde Joannes Diaconus exſtitit, qui Chronicon Epiſcoporum uſq. ad noni ſaeculi exitum, opus ſane quam luculentum, edidit. Nec tamen in tota hac hiſtoria duplicis Epiſcopii uſquam vola aut veſtigium: ita ut ex hujus ſilentio praeſtare tuto poſſimus, uſq. ad IX. ſaeculi finem unicam ſemper fuiſſe Neapoli Cathedralem.

Poſt vero Joannis Diaconi tempora plures diverſo tempore auctores ſcriptis a ſe Sanctorum tum exterorum tum Neapolitanorum vitis incla-

Digitized by Google

claruerunt; quibus vitis etiam prologos apte de suis temporibus interloquentes praeposuerunt. Itaq. ut superiores scriptores taceam, ille idem Joannes Diac. tum plurimas alias vitas aut de suo scripsit, aut de Graeco vertit, tum in primis hortatu Stephani Episc. passionem atq. translationem S. Sosii elucubravit. Ac plures alii eod. tempore vitarum aut martyriorum scriptores aut interpretes fuere, inter quos etiam Athanasius II. Episcopus. Deinde saeculo XI. aut XII. tum auctor vitae longioris & translationis S. Athanasii fuit, tum etiam Raynerius quidam, a quo acta martyrii & Translationis SS. Eutychetis & Acutii habemus: quorum uterq. in Ecclesiae Neap. descriptione accurate versatur. Fuit qui S. Patriciae gesta dedit. Alberico S. Asprenis acta, Joanni Cimeliarchae longiorem S. Joannis IV. vitam debemus. Adhaec exstant de SS. Julianae & Maximi translatione, de SS. Agrippino, Ephebo, Severo, Fortunato, Agnello scripta quaedam. Sunt postremo vetera plurima Sanctorum nostrorum officia, in quorum lectionibus eorum res gestae describuntur. Haec & alia plurima (nam & Neapolitana S. Severini in Lucullanum translatio ab Aegypio scripta, & ejusdem Aegypii Lucullanensis operum S. Augustini Florilegium cum suis prologis, & Pauli Diac. Mariae Aegyptiae vita, & plura alia redigi in eumdem censum poterant) haec inquam & plura alia rei Ecclesiasticae scripta a nostris hominibus monumenta habemus: quae inventu rariſſima, hinc & inde disjecta, operae pretium esset si hodie in tanta litterarum luce, additis S. Gregorii & alior. ad Neapolitanos praesules epistolis, additis praeterea veteribus chartis, in quibus Ecclesiastica negotia transiguntur, in unum corpus ab erudita manu aliqua compingerentur. His vero tot tantisq. veterum monumentorum opibus cum abundemus; nonne in his excidere verbum aliquod debuisset, per quod de Cathedralis duplicitate moneremur?

Forsitan dicent, ex argumento ἀρνητικῷ h. e. *negativo*, uti vocant, nihil concludi posse. Atqui cum non nobis (qui Cathedralis singularitatem, rem videlicet apud omnes usitatam & Canonico jure suffultam, tuemur) sed adversariis duplicitatis probandae onus incumbat; haud dubium est, quin nobis, qui eo nunc loci sumus, argumenti negativi praesidium pleniſſime suffragetur.

Postremo dicent, exstare in longiore S. Athanasii vita luculentum hujusce duplicitatis vestigium verbis illis, *Binas praesulum gestat sedes*. Verum nos ne, an potius adversarios iste unicus ipsorum Achilles impetat; opportuniore loco declarabitur.

§. II. ARGVMENTVM II.

Ex eo ductum, quod Ecclesia Neapolitana ἁπλῶς (absolute) *semper, ac sine addito discriminante memoretur.*

Ut vis argumenti hujus percipiatur, afferamus exempli causa locum Aegy-

Digitized by Google

Aegypii Abbatis Lucullanenſis in Translatione S.Severini in Lucullanum exeunte ſaeculo quinto facta, qui eſt ejuſmodi: *Marinus quoq. primicerius Sanctae ECCLESIAE NEAPOLITANAE . . . caput* (quo jamdiu vehementer laborabat) *vehiculo* (quo ferebatur corpus) *credens apposuit, & mox a dolore liberum ſublevavit; memorq. illius beneficii ſemper in die depoſitionis ejus occurrens, devotum ſacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat.* Ubi cum *S. Eccleſia Neapolitana* ſine controverſia ſit Cathedralis; tamen nihil diſcriminis additur, quo ab altera Cathedrali ſorore (uti comminiſcuntur) diſtinguatur.

Age vero addamus ex Petri notarii ſubſcriptione anno 581. factae (quam in Comm. ad Kalend. Neap. ad 29. Martii pag. 127. integram adſcripſimus) pauca haec verba: *Et eo* (Reduce Epiſcopo) *jubente ego Petrus notarius ſanctae Eccleſiae Catholicae Neapolitanae, ut potui, emendavi* &c. Ubi quin Cathedralis Eccleſia deſignetur, non eſt dubitandum; ſicuti & in eo quod ſequitur: *Quem* (Aegypii) *codicem . . praedictus Epiſcopus* (Redux) *devote Sanctae Eccleſiae Neapolitanae, cui praeeſt . . noſcitur obtuliſſe.* Non eſt, inquam, dubium quin in his Cathedralis Neapolitana ſignificetur: quae tamen ſi duplex fuiſſet, aliquod diſcrimen adjici oportuiſſet, per quod, utra ex duabus deſignaretur, quivis ſtatim intelligeret.

Jam vero ſiquando ſequentibus ſaeculis duplicari Cathedralem contigiſſet, aliquod unius ab altera diſcrimen reperiretur in auctoribus eorum temporum. Aut ſi parum a ſcriptoribus haec tanta accuratio exſpectanda ſit; in chartis certe contractuum, & in earum ſubſcriptionibus ejus diſcriminis aliquod veſtigium appareret. Et tamen in his omnibus chartis non aliud ſe Canonici ſubſcribunt, quam ἁπλῶς (*abſolute*) *Eccleſiae Neapolitanae* aut *Majoris Eccleſiae* Canonicos, & (quod plerumq. fit) *Cardinales*: de eo, utram Eccleſiam (ſi quidem duplex fuiſſet) repraeſentent, ſecuri. Et hanc indiſcriminatim loquendi conſuetudinem in omnium chartarum cujuſcumq. aetatis ſubſcriptionibus, in omnibus aevi cujuſcumq. auctoribus reperies. Etiam decimo tertio ſaeculo, quod proxime hodiernae novae Cathedralis conſtructionem anteceſſit, non aliter quam abſolute *Majorem Eccleſiam* aut *Epiſcopium* appellabant. Itaq. in Italicis Matthaei Spinelli diariis (to. VII. Murat.) in primo Regis Caroli I. in hanc urbem & in Majorem Eccleſiam proceſſu, Neapolitana Cathedralis vocatur abſolute (3) *Piſcopio*. At ſi quidem duae fuiſſent Epiſcopales aedes; utram intelligeret, monere debuiſſet.

N AR-

(3) Apud Muratorium to. VII. Script. Ital. pag. 1102. ad ann. 1265. *Lo jorno ſequente cavalcao Re Carlo verſo Napole . . . Et come fo arrivato a Napole andao con l'Archiepiſcopo di Coſenza a PISCOPIO . . . Quando poi lo Re Carlo happe fatto ſua oratione, venne meſſer Franceſco Loffredo da parte de la Città de Napole, & li cercao in gratia li preſuni.*

Digitized by Google

ARGVMENTA

Ex unico Dedicationis Cathedralis festo in veteribus Fastis Neapolitanis signato arcessitum.

Postremo missis argumentis ἀρνητικοῖς (*negantibus*) tametsi huic causae apprime consentaneis, venio jam ad argumentum directum, quod tamquam ἀποδεικτικὸν (*demonstrativum*) plane habituros lectores confido. Id vero est ejusmodi. Nam si forte duae Cathedrales exstitissent; quis dubitat, quin utriusq. Dedicatio celebranda fuisset? Atqui in nostro marmoreo Kalendario (quod nono saeculo scalptum fuit) unica Dedicatio adnuntiatur Kalendis Decembris in haec verba: *DEDICatio BASILicae* (4) *STEPHANiae*. Quare certo certius est, non plures, sed unicam fuisse Cathedralem, puta *Stephaniam*: quam non fuisse aliam, quam quae hodie ob illatas S. Restitutae reliquias novum S. Restitu-

(4) *Ostenditur I. Cathedralem a Stephano primo factam, vocatam* Ecclesiam Salvatoris *fuisse, eamdem vero a Stephano altero refectam, audivisse* Stephaniam: *II. hujus vero posterioris h. e. refectae Dedicationem Kal. Decemb. fuisse celebratam.*

Cathedralem nostram Stephanus I. ineunte VI. saeculo construxisse, deinde incensam Stephanus II. octavo saeculo refecisse ab Joanne diac. traditur. Utrius igitur *Dedicatio*, factae an refectae, in Kalendario celebratur? Mihi verisimilius videtur de refectae dedicatione agi. Nam ea proprie *Stephania* vocata fuit, quae Stephanum II. auctorem habuit. Etenim in Commentario ad Kalend. Neap. in S. Stephano Episc. Neap. ostensum fuit, *Stephaniae* nomen videri potius a Stephano II. dictam quam a Primo: etsi Stephanus Primus Ecclesiam hanc fecerit, quam postea incensam alter refecit. Nam chronographus Joann. in Stephano I. ait: *Fecit basilicam ad NOMEN SALVATORIS.... quae* (supple *hodie*) *usitato nomine Stephania vocatur*. Quibus verbis videtur opponere nomen vetus *Salvatoris* a Stephano I. impositum novo nomini *Stephaniae*, quod post Stephani II. reficientis tempus obtinere coepit. Idem rursus in Stephano II. ambigue loquitur, sed attendentibus satis luculenter. *Ecclesia Salvatoris, quae de nomine sui auctoris Stephania vocitatur.... cremata est*. Quam postea narrat a Stephano II. sumptuosius refectam. Nam hic quoque ubi ex nomine auctoris id nomen consecutam ait, etsi de utro Stephanorum id intelligat, non eloquitur; quia tamen *Vocitatur* dicit, non *vocitata fuit*, de Stephano II. quam de I. videtur id potius intelligendum, quasi dixisset: *Ecclesia* (olim dicta) *Salvatoris* (quippe quam Stephanus I. *ad nomen Salvatoris* fecerat) *quae* (supple *nunc*, h. e. scribente Joanne diac.) *de nomine sui auctoris* (Stephani II.) *Stephania vocitatur*.

Ergo cum in Kalendario Neap *Dedicatio Stephaniae* adnuntiatur, videtur ea dedicatio intelligi, quae ad Stephanum II. (qui & id nomen imposuit) pertinet. At id minus moror.

Illud multo magis pro refecta facit, quod basilica Salvatoris a Stephano I. facta igne prorsus absumpta fuerat, cujus tectum saltem & Apsidem & Altare cum Confessione a Stephano II. fuisse ab inchoato constructa, ex Joanne diac. & ex Raynerio in Translatione SS. Eutychetis & Acutii intelligimus. Quae cum ita sint; hanc a Stephano II. ita refectam basilicam, certe rursus dedicari ritibus religiosis oportuit. Ex quo sequitur, de Dedicatione prioris basilicae, quae Stephanum I. auctorem habuit, non potuisse amplius anniversarium festum agi sed tantum de dedicatione posterioris, quae a Stephano altero profecta fuit. Nam posterioris Dedicationis festum priorem abolet. Obiter hic notabimus, vidisse Chioccarellum in thesauro vetere Cathedralis missalia duo vetustissima, in quorum praevio Kalendario Kalendis Decembris signabatur *Dedicatio hujus Ecclesiae Stephaniae*. Vide Chioccar. pag. 94.

Digitized by Google

ſtitutae nomen ſibi peperit, Parte priore argumentis tum numero tum pondere ineluctabilibus confecimus.

At enim dixerit aliquis, quod unius tantum Cathedralis Dedicatio in iis Faſtis marmoreis ſignata fuerit, hanc videri fuiſſe cauſam, quod id Kalendarium in uſum ſolius Cleri Latini (qui Stephaniae addictus erat) non item Graeci, ſcalptum fuiſſet. Ceteroqui Graecam alteram Cathedralem, credibile eſt, ſuum habuiſſe proprium Kalendarium, in quo ſua peculiaris *Dedicatio* inſcripta exſtabat. Haec forſitan aliquis. Verum Kalendarium marmoreum, quod beneficio Eminentiſſ. Card. Spinelli habemus, fuiſſe tum Latinis tum etiam Graecis commune, & paſſim in ejus Commentario docuimus; & ex eo etiam oſtenditur, quod quoties unus idemq. Sanctus alio die a Graecis, alio a Latinis colebatur, is utroq. die pleruſque in eo Kalendario adnuntiatur. Cum igitur una tantum Stephaniae Dedicatio ibi ſignetur, manifeſtum eſt, non niſi unam fuiſſe Cathedralem.

Atqui inſurgent forſitan adverſarii, hoc ipſum ſcil. ſe docere jactantes, nempe reperiri in Faſtis aliis manu exaratis alterius Cathedralis *Dedicationem*. Nam in libro feſtorum Anniverſariorum Capituli Neapolitani die XXV. Januarii notabatur: *Dedicatio Eccleſiae Sanctae Reſtitutae*. Hanc vero *Sanctam Reſtitutam*, quae adhuc exſtat, ſuumq. retinet nomen, fuiſſe veterem Cleri Graecanici Cathedralem contendunt. Vide Benedictum Serſalium pag. 14.

Verum egregie falluntur adverſarii. Vel vide quae in priore Diſſert. hujus Parte (cap. VI. ſect. V. §. 51. pag. 84.) de eo Anniverſariorum libro diſputavimus, quem ſaec. XIV. & poſt dedicationem Altaris S. Mariae de Principio ſcriptum docuimus: ubi etiam luculenter oſtendimus, ibi non niſi de antiquiore oratorio S. Reſtitutae agi, ejuſq. dedicationem in eo libro die XXV. Januarii celebrandam proponi. Id cum loco citato certiſſime demonſtraverim, eo lectorem remittimus.

§. IV. *Incidiſſe interdum neceſſitates, propter quas ab Epiſcopo alia quaevis Eccleſia loco Cathedralis habita fuerit, exemplo Pauli Jenioris oſtenditur. Id tamen ad duplicitatem ſtabilis Cathedralis non pertinet.*

Joannes chronographus num. XL. de S. Paulo Seniore (qui VIII. ſaeculo ſedit) narrat, eum poſtquam a Romano Pontifice conſecratus fuit, cum propter diras de ſacris imaginibus contentiones ſub Conſtantino Copronymo Neapolitana urbs in diverſas factiones ſcinderetur; eum non potuiſſe intra urbis moenia in ſuam recipi Cathedralem. *Inito tamen conſilio* (pergit idem Joannes) *eum ad Eccleſiam S. Januarii Chriſti Martyris* (quae *extra moenia* vulgo dicitur) *non longius ab urbe dicatam* (Catholicarum partium ſtudioſi) *tranſmiſerunt. In qua duos ferme annos degens plura conſtruxit aedificia* (& inter cetera *Triclinium*)...

Digitized by Google

Sane clerus omnis & populus cunctus Canonice illi ut vero obtemperabant paſtori; reſq. omnes Eccleſiae abſq. ullius detinebat & diſponebat obſtaculo. Conſtruxit etiam ibidem marmoreum baptiſmatis fontem, in quo Paſchalibus aliiſq. feſtis, omnes occurrentes ſuos baptizabant filios. Demum evoluto biennio Paulum intra urbem in ſuam Cathedralem fuiſſe introductum tradit. Vides ut uno illo tempore duplex ὑλικὴ (*materialis*) Cathedralis exſtiterit.

Verum id, quod ſemel expreſſit neceſſitas, non niſi temporarium fuit; idque κατὰ συμβεβηκὸς (*caſu*) fuiſſe factum, nemo non videt. Imo hoc adeo duplicitatem non invehit Cathedralium, ut potius quoties hoc accidit, ea tantum vera Cathedralis ſit accipienda, in qua cum Cleri ſui (i. e. Capituli Canonicorum) populiq. conſenſu Epiſcopus ſuam Cathedram ſtatuit. Itaque hoc toto Pauli ſenioris biennio extramuranam baſilicam legitimam Cathedralem fuiſſe contendo; at interim illam alteram intramuranam quaſi viduam fuiſſe relictam.

CAPVT II.

Quo oſtenditur, ne εἰδικὴν (formalem) *quidem Cathedralem fuiſſe Neapoli duplicem.*

CAthedralium τὸ τί εἶναι (*quod quid eſſe*) ſive *formalis conſtitutio* non tam baſilicarum ſeptis continetur, quam interiore πολιτείᾳ (*adminiſtratione*) quaſi ſpiritu animatur. Ea vero ex Epiſcopo rectore cum ſuo Canonicorum ſenatu, & ex cetera tum inferioris Cleri, tum plebium multitudine componitur. Itaq. miſſa tantiſper ima multitudine, prius de Neapolitanis Epiſcopis, an unquam bini fuerint inquiremus, deinde an unquam duplex miniſtrorum ſenatus exſtiterit. Sed quandoquidem qui duplicitatem Epiſcoporum atque Synedriorum invexere, ii ſimul Neapolim fuiſſe urbem διγλωσσον (*bilinguem*) ſive Graeco-Latinam cauſantur, de eo ante omnia videamus, utrum Neapoli linguarum duplicitas tanta fuerit, ut duplicitas rectorum atq. conciliorum adſtruenda eſſe videatur.

SECTIO I.

De Graeciſmi Neapolitanorum variis diverſo tempore vicibus.

§. I. *Neapolim Strabonis aevo plane Graecam fuiſſe: ſed poſt ejus ſcriptoris aetatem ex aſſidua Romanorum conſuetudine paullatim Romanos mores unaq. linguam uſurpaſſe.*

Strabo initio lib. VI. cum Graecas harum partium, ex quibus hodie Regnum Neapolitanum conſtituitur, civitates barbariem jam ſuo tempore induiſſe conqueretur; Tarentum, Rhegium, atq. Neapolim excipit. *At nunc* (inquit Geographus: quem ſub Tiberii initia ſcripſiſſe con-

Digitized by Google

conſtat) *Tarento, Rhegio, & Neapoli exceptis* (ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα) *omnia in barbariem ſunt redacta, aliaq. a Lucanis & Bruttiis, alia a Campanis obtinentur. Eos autem* (Lucanos, Bruttios, Campanos) *verbo tales dico, re autem vera Romanos; nam & ipſi* (utpote lege Julia civitate donati) *Romani evaſerunt.* Ex quibus vides, Strabonis aevo Neapolim inter tres Graeci oris atque inſtitutorum urbes fuiſſe numeratam. Nec injuria: quia foederatae reipublicae formam aliquamdiu retinens, ſimul Graecam πολιτείαν (*adminiſtrationis formam*) Graecumq. ſermonem ad aliquod tempus conſervavit. Sed quam diu, haud facile dixerim. Non abnuerim tamen toto ferme primo Chriſti ſaeculo imaginem Graecae reipublicae perſtitiſſe Neapoli, & ad id tempus referendas inſcriptiones illas, quae auctoritate τῆς βουλῆς (*conſilii publici*) Neapolitanorum ſcalptae reperiuntur: cujuſmodi illa eſt, quae ad S. Mariae Aegyptiacae parieti affixa cernitur: e cujus regione altera in oppoſito pariete ſcalpta legitur, Titi Caeſaris nomen gerens. Fuit & illa olim antiquior ad Divi Pauli, quae in celebri epiſtylio (quod me puero terraemotu concidit) a quodam Tiberii Aug. liberto in veſtibulo templi Caſtorum poſita fuerat. Hae quidem & aliae paucae hinc & inde disjectae, Graeco ſermone exaratae partim adhuc viſuntur, partim patrum memoria exſtabant, ferme omnes, ni fallor, primi aut ſummum alterius Chriſtiani ſaeculi. Nam mox ſenſim ſine ſenſu ab Helleniſmo deſcivere Neapolitani.

Ea vero ab Helleniſmo defectio cur aut quemadmodum acciderit, facillimum aeſtimatu eſt. Etenim cum jam olim ab ipſis liberae reip. temporibus non tantum optimates Romanorum, ſed & cujuslibet fortunae homines Neapolitanis capti deliciis, frequentes hic ſibi villas aedificaſſent; tum id multo magis ſub Imperatoribus uſu venit, Principum ipſorum exemplo praeeunte, qui libenter ſive Neapolim, ſive in vicina loca digrediebantur. Qua de cauſa paullatim ſponte ſua & inſtituta Graecanica dilabi coepere, & ſermo paſſim Latiaris ab omnibus uſurpari, vix forſitan ima multitudine Graecum ſermonem cuſtodiente: quae & ipſa deinde tandem Latini oris evaſit. Quid porro miramur, ſi & ſub Domitiano Statius Papinius domo Neapolitanus Latina tantum poemata ſcriptitarit, & cum innumerabiles Latinae tum ſepulcrales, tum omnium generum inſcriptiones reperiantur, ac novae quotidie effodiantur; haud alia eas quam Latina lingua ferme omnes conceptas animadvertamus?

§. II. *Neapolim aliquando coloniam Romanam fuiſſe; ſed quo temporis articulo id facta ſit, haud plane certum: etſi jam ab ineunte altero Chriſti ſaeculo inter colonias numeraretur.*

Porro ex iis, quas dixi, Neapolitanis inſcriptionibus id etiam conſequimur, quod ſub Imperatoribus, aliquando Neapolis jura coloniae Romanae adepta fuerit. Et hoc quidem coloniae decus Fabius Jordanus, ac

Digitized by Google

ac postea Petrus Lasena, ac fortassis alii, ei ereptum iverunt, honorificentius credo huic nostrae futurum rati, si in reipublicae foederatae semper statu permansisset. Verum luscitiosus sit oportet, qui ex tot inscriptionibus nondum animadverterit, Neapolim aliquando coloniae Romanae jura adquisiviſſe. Etsi quando potissimum quove sub principe id acciderit, haud facile statuerim. Sub Nerva Caesare Neapolim jam inter colonias numeratam, ex quodam marmoreo titulo animadverti. Itaq. sive ineunte altero Christi saeculo sive potius exeunte primo id evenerit necesse est. Ac de Neapolitana colonia atq. deductionis tempore nolo hic quam paratam ex inscriptionibus materiem habeo, lectori obtrudere: de quo argumento peculiare Schediasma in Dissertationis hujus Appendice in cupidorum gratiam subnecti praestabilius erit. Interim facile est animadvertere, hanc ipsam Neapolim, quae adhuc Graeca respublica, tum sermone tum moribus πρὸς τὰ ῥωμαϊκὰ deflexerat, post jura coloniae impetrata vix potuisse simul non & ore Romano loqui & Romanis legibus vivere. Itaque vere hoc mihi videor esse dicturus, Strabonem ipsum, si quidem plusculum advixisset, Neapolim etiam inter illas urbes fuisse numeraturum, quas ἐκβεβαρβαρῶσθαι (*evasisse barbaras* h. e. ad Romana instituta & linguam transiviſſe) conquerebatur; praesertim cum jam tum ipso vivo ac vidente, jam dilabi Graeca Neapolitanor. instituta coeperint, ut ipsemet lib. V. fatetur: quem locum in eod. Schediasmate discutiemus.

§. III. *De Neapolitanorum Graecitate amplius. Neapolitanos post coloniae jura impetrata adhuc III. saeculo Graecis studiis indulsisse (Philostrati locus illustratur) sed postea demum a Graecismo penitus omni excidisse.*

Ad linguam vero quod attinet, etsi jam inde ab aevo priorum Caesarum pleraq. aut saltem cultior urbis pars propter frequentiam Romanorum evaserat Latini oris; tamen multitudo Graece potissimum opinor colloquebatur. Imo etiam post coloniae jura impetrata, imum vulgus vix aliter quam sermone Graeco inter se verba commutasse, idq. per longum tempus obtinuisse, mihi prorsus persuadeo. Sed & lapides aliquot (dum ne auctoritate publica, sed privata inscriberentur) interdum Graecis litteris exarabantur. Adhaec Graecanica studia, & Graecae eloquentiae exercitamenta ad tertium usque saeculum Neapoli exculta fuisse, ex praeclaro Philostrati loco possim (5) ostendere.

Ve-

(5) *Philostrati de Neapolitanorum Hellenismo locus egregius illustratur.*

Philostratus Lemnius is, cui vitam Apollonii Tyanensis &c alia plura debemus (qui diu in aula Juliae Domnae Aug. versatus, etiam ad Philippum usq. Imp. h. e. ad medium saeculum tertium vitam prorogasse ab Suida putatur) in Imaginum prooemio hanc sibi explicandarum imaginum occasionem oblatam fuisse narrat. Cum enim in Neapolitano suburbio ad mare sito cujusdam Neapolitani hospitio uteretur; hinc tot pulcherrimarum εἰκόνων, quae in ejus domus porticu in tabulis depictae dependebant, exponendarum occasio ei nata fuit. Sic ergo ibidem de Neapolita-

nis

Verum quo magis ad posteriora saecula gradatim descendimus, hoc magis Graeci sermonis studium Neapoli evanuit. Nam quarto saeculo ecquid in hac urbe, amabo te, Graeci reperies? Verbi causa, scimus IV. exeunte saeculo a S. Ambrosio scriptam fuisse perpulchram ad S. Severum Episc. Neap. epistolam, eamq. non Grajo eloquio (quem Mediolanensis callebat) sed Latino: eodem vero tempore Symmachus, (qui & saepe Neapoli commorabatur, & ad Neapolitanos aut Neapoli commorantes amicos Latinas epistolas scriptitabat) nullam usquam in suis epistolis Hellenismi Neapolitani mentionem fecit: ut potius Neapolim tunc temporis eorumque studiis proloquitur: *ἀφορμὰς δέ μοι τούτων τῶν λόγων αἵδε ἐγένοντο. ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγών. Hujusce autem* (de imaginibus) *sermonis occasio mihi ista exstitit. Sollemne apud Neapolitanos certamen erat.* Libet hic paullisper resistere, atque in transitu decernere ecquodnam hoc ludicrum esset. Non male Godfr. Olearius (a quo nuperam egregiam operum Philostrati editionem habuimus) vim articuli expressit: cui *ὁ ἀγών*, *Sollemne certamen* vertitur. At cujus generis erat? Noster Petrus Lasena in Gymnasio Neapolit. p. 156. musicum aut gymnicum fuisse ludicrum statuit. Cui minime accedo. Nam potius declamatorium fuisse *ἀγῶνα*, quae proxime sequuntur (mox a me adscribenda) declarant. Quin & Lugduni talia proponebantur certamina, teste Dione in fine lib. LIV. Suetonio in Caligula cap. 20. & Juvenale sat. 1. scribente:

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram

Nec male id Philostratus *ἀγῶνα* vocavit: nam etiam Gellius X. 18. de Artemisia scriplit *Ἀγῶνα, id est certamen LAVDIBVS ejus* (Mausoli) *DICVNDIS facit.*

Pergit vero Philostratus: *ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ φύεται, γένος Ἑλλήνες, καὶ ἀστικοί. ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων ἑλληνικοὶ εἶσι.* h. e. eodem Olario interprete: *Civitas vero illa* (Neapolis) *in Italia* (sita) *est: sunt qui illi origine Graeci* (quod ideo admonet, quia utpote *πολιτείᾳ* Romana donati, jam *ἐκβεβαρβαρωμένοι ἦσαν*: etsi origine Graeci essent *ac probe exculti, unde & dicendi studiis graecissant.* Hoc cum eo cohaeret, quod modo diximus, certamen illud fuisse rhetoricum: sed multo magis, quod statim sequitur. *βουλομένῳ δέ μοι τὰς μελέτας μὴ ἐν τῷ φανερῷ ποιεῖσθαι* &c. quae, relicta Olearii translatione, sic totidem verbis sonant. *Ac mihi quidem declamationes non in publico exhibere volenti* (h. e. cum ita declamare vellem, dum ne id in publico facerem) *adolescentes hospitis domum frequentantes facessebant negotium.* Ex his vero planissime ostenditur, certamen illud publicum quod celebrabatur, nec gymnicum fuisse nec musicum, sed prorsus declamatorium. Sed & quae sequuntur, id magis adeo confirmant. Nam cum Philostratus tabulas ex porticus illius Neapolitanae suspensas parietibus contemplaretur, puerq. hospitis filius imaginum illarum explicationem efflagitasset; *ἔσται ταῦτα* (respondit Philostratus) *καὶ ἐπίδειξιν αὐτὰ ποιησόμεθα, ἐπειδὴ ἥκω τὰ μειράκια. Fiet*, inquit; *de ista* (h. e. depictas tabulas) *declamationis* (*ἐπίδειξις* enim aevo isto *declamationem* significabat) *argumentum faciemus, postquam adolescentes confluxerint.* Ex quibus omnibus vides, noluisse quidem Philostratum in publico certamine declamatorio experiri, sed interim privatae suae declamationis argumentum ab imaginum illarum expositione captasse: quod & totis duobus Imaginum libris eruditissime praestat.

Ex his vero intelligis quaenam urbis Neapolitanae facies circa initia tertii saeculi fuerit. Cives *γένος Ἑλλήνες* i. e. *origine Graeci* (uti scite Olearius interpretatur) erant: quod ideo dictum, quia iidem ceteroqui tunc temporis linguâ & institutis Romani erant. Deinde quemadmodum hodie Europei omnes, suo singuli vernaculo sermone loquentes, & patrios secuti mores, tamen in scholis universi vix aliud quam Latinis studiis eruduntur; hoc ipsum eo tempore Neapolitani facitabant: qui cetera Romani, tamen in ludo tum grammatico tum declamatorio graecissabant. Tametsi fuisse interim & ludos alios, in quibus Latine declamarent, non est dubitandum.

Digitized by Google

temporis Latinam haud minus, quam finitima loca, fuisse urbem ex eo auctore, & ex ceteris ejusdem & sequentis aevi scriptoribus decernere queas. Nam de Magno Gregorio quid dicam? apud quem in tot aut ad Neapolitanos aut de rebus Neapolitanis epistolis nullum usquam exstat, si probe memini, Neapolitanae Graecitatis vestigium; sicuti neq. in Cassiodori Variis, nec alibi, quod ipse meminerim.

Quid ergo est? nihilne igitur Graeci oris Neapoli tum fuit? Fuit quidem: sed quantulumcumq. id fuit, postremo iisdem gradibus, quibus in Italiam barbaries infundebatur, paullatim evanuit. Itaq. mihi videtur quarto, & quinto toto saeculo, ac sexti parte, exceptis forsitan Graecis aliquot monasteriis, nihil Graeci eloquii Neapoli superasse. Id quod sub Gothorum imperio potissimum valuit, quos ab anno 476. tota Italia, ac simul Neapoli potitos scimus. Ergo a pluribus jam saeculis non tantum sermo vernaculus, utpote in Romana colonia, Latinus erat, sed & Grajae eloquentiae studia (quae adhuc medio tertio saeculo teste Philostrato privatim colebantur) prorsus extincta fuerant. Idq. ad medium usq. VI. saeculum obtinuit: quo demum temporis articulo levia Graecitatis vestigia ab integro huic urbi impressa nova de causa reperio.

Nam cum eo tempore Justinianus Neapolim Gothis eripuisset, & ex illo tempore urbs nostra in Graecorum dominationem incidisset; fieri quî poterat, quin ex afflatu principis urbis aliquid Helleniſmi contraheret? Etsi quidquid id Graeci fuit, paucorum erat. Nam fuisse quasdam Graecorum Ecclesias (sex ejusmodi numerat chronicon S. Mariae de Principio, quas alibi referimus) scio: ex quo intelligitur, etiam Graecorum familias fuisse Neapoli complures. Adhaec Graecos Monachos, maxime Basilianos, in hac urbe exstitisse non paucos ajunt. Et omnino necesse est, quamdiu Neapolis una cum urbibus orae hujus Regni maritimae CPolitano principatui obsequebatur, Graecos advenas frequentes huc commoraturos appulisse. Verum hoc totum ajo numquam eo processisse, ut Neapolis Graecae civitatis, maxime si linguam spectes, effigiem exhiberet.

Itaque ut jam presius agam, atq. in pauca, quemadmodum de his sentio, contraham: haud dubium est quin ad Tiberii usq. principatum, ac Strabone suam Geographiam scribente, Neapolis Graecae reipublicae formam conservaverit; etsi interim partim quod ex lege Julia jura Civitatis Romanae nacta videretur, partim ex Romanorum incolarum frequentia, Romanos mores Latinaeq. linguae peritiam jam tum coepisset imbibere. Idque per magnam partem saeculi primi Christiani obtinuit. Quid enim cives nostros Romanis assidue permixtos, & urbis βασιλευούσης fulgore praestrictos, ad Romana instituta sermonemq. Latialem magis quotidie ac magis deflexisse, mirari subit? Id vero tum maxime valuit, quando sub primi Christiani saeculi, uti mihi persuadeo, finem Neapolis

Digitized by Google

lis Coloniae Romanae jura sibi comparavit. Tunc enim vero necesse est, simul cum omnimoda civilitate Romana, etiam ad principis urbis sermonem se conformasse; etsi Grajae linguae studium, imo & institutorum vestigia aliquandiu adhuc tertio saeculo nonnulla servaverit.

Jamq. in hac urbe Graecismus tum publice tum etiam privatim penitus exspiraverat; cum ecce medio sexto saeculo nova huic urbi facies; ut quae jam tum coepit a Ducibus Neapolitanis, sed sub CPolitanae aulae tutela regi. Enim vero ab eo tempore coepit Latinis moribus, quibus jamdiu assueverat, non nihil de Graecis Byzantinorum institutis nostrae huic urbi aspergi: praesertim cum etiam ab illo tempore Graeci frequentes huc ventitarent. Verum tum reip. Neapolitanae tum etiam Ecclesiae facies semper Latina, non Graeca fuit. Nec alios Neapolitanos (etiam Byzantinorum temporum) scriptores praeter quam Latinos novimus. Ac demum in marmoreo ipso Neapolitanae Ecclesiae Kalendario (quod nono Christi saeculo scalptum, nuper effossum & Eminentiss. Archiep. Spinelli providentia e lapicidarum manibus ereptum fuit) festa omnia tum Latinae tum etiam CPolitanae consuetudinis non nisi sermone Latino adnuntiari animadvertimus.

SECTIO II.

Qua duplicis Episcopalis sedis commentum refellitur.

Fuisse inter nostrates scriptores nonnullos, qui duplicem Episcopalem Cathedram Neapoli agnoverint, parum equidem miror. Utinam scriptores nostri (quid enim dissimulandum est?) ea tantum hallucinatione peccassent: quorum si secus dicta recensere velim, non modo data ad dicendum clepsydra, sed & dies me deficiat. Id potius miror, Danielem Papebrochium virum, quod satis constat, egregie eruditum, tum alibi, tum ad XV. Junii in S. Fortunato Episcopo Neapolitano in hunc ipsum errorem incidisse: cujus objecta mox infra diluemus. Nunc ut ordine progrediar, a subruenda sedium duplicitate ordiar.

§. I. *Argumenta generalia duplicitatem Neapolitanorum Antistitum convellentia.*

I. Ac primum omnium cedo mihi, ecquaenam necessitas id expresserit, ut contra canones contraq. receptos mores duplex Episcopus Neapolitanis daretur. Nam etsi primo alteroq. Christi saeculo Neapolis bilinguis fuerit; tamen uno eodemq. tempore sermo non nisi unus praevalebat. Itaq. siquando Graecus praepollens fuit, sufficiebat profecto Graeci oris pastorem praefici, non tantum Graecae multitudini, sed etiam Latino populo profuturum: sicuti & ubi Latinus statim praevalere prae altero coepit, dari continuo Latinum utroſq. recturum decuit. Utervis ergo valentior quovis tempore fuerit, potuit & Graecos homines pastor Latinus temperare, & Latinos Graecus. Itaq. cum plures bilingues ubiq. gentium noverimus urbes maximas; tamen non nisi pon-

Digitized by Google

tifex unus utriq. gregi praeerat. In Galliis verbi causa sub Imperatoribus praeter Latinum passim communem sermonem, Celticus quoq. maxime apud imam plebem, in usu erat: Lugduni vero populus sub S. Irenaeo videtur fuisse trilinguis, quia Graeca etiam lingua Lugduni familiaris fuit, ut in Comm. ad marm. Kalendar. ad XV. Jun. in S. Irenaeo diximus. Sic etiam Hippone Regio praeter Latinam multitudinem, plurimus quoq. in vicis ac villis Punici eloquii grex ab uno Augustino pascebatur: quod idem in plerisq. Africae partibus valuisse, non est dubitandum. Jamvero de Hierosolymitana ceterisq. Palaestinae, Syriae, Mesopotamiae, Babyloniae urbibus quid loquar? in quibus cum praeter Graecam etiam Syrochaldaea quaedam dialectus promiscuo in usu esset; numquam tamen ob eam causam de duplici praeficiendo Pontifice agitatum fuit. Imo quid vetera & externa persequimur, quibus domesticorum ac recentium exemplorum abunde sit? Nam hodieq. in Apulia, Lucania, Brutiis plures novimus Ecclesias, apud quas incolae partim Italico, partim Graeco, partim Albanensi sermone inter se colloquuntur; adhaec pars Latino ritu, pars Graeco sacra faciunt: nec tamen nisi singuli singulis Ecclesiis Latini pastores praesunt, nullo cum plebium diversi oris detrimento.

II. Huc illud pertinet quod cum bilingues plurimas fuisse Ecclesias modo ostenderimus; tamen canonum sanctiones duos in urbe una Episcopos ordinari vetabant, sine ulla τῶν διγλώττων exceptione. *Ne in una* (ait Canon Nicenus VIII.) *Civitate duo sint Episcopi*. Eodem propius spectat Concilii Lateranensis IV. sub Innoc. III. caput IX. sub anathemate vetans, ne in plurium linguarum dioecesibus plures pontifices constituantur: cujus verba oppor[illegible]unius §. seq. recitabimus.

Nisi quod fore suspicor, qui ex ipso Lateranensi canone sint forsitan collecturi, hoc antea factitatum fuisse ut πολυγλώττοις urbibus plures darentur Episcopi: idq. Lateranensi interdicto occasionem postea praebuisse. Verum id quod meo judicio ansam canoni dedit, in Oriente ante Concilium pluries accidisse, non dubito. Nam CPoli a Latinis recens capta, tum in urbe principe, tum in aliis passim civitatibus Graeci cum Latinis permixti erant: ex quo duplicium pontificum binis populis praeficiendorum orta occasio fuit. Quod malum Lateranenses Patres ob oculos mihi habuisse videntur, tum cum canonem supra scriptum condiderunt. At Neapoli sub oculis Pontificum Romanorum numquam tale aliquid acciderat (maxime XII. saeculo, quod Lateranensi Concilio proxime antecessit, quando urbs nostra a Graecorum se potestate subtraxerat) & si quid forte ejusmodi per ea tempora Neapoli contigisset, haud dubie ejus rei vestigium in tot eorum temporum scriptoribus atq. chartis ad nos usque perveniisset. Nam certe post millesimum Christi annum multo opiniorem quam antea Ecclesiae Neapolitanae historiam Chioccarelli & aliorum

Digitized by Google

rum ſinduſtria collectam prae manibus habemus.

Quando autem de Neapolitana urbe nunc proprie res agitur; exſtat adhuc urbis hujus pontificum catalogus ab Joanne diacono inde uſq. ab Eccleſiae incunabulis ad noni ſaeculi finem deductus: nec ullum tamen uſquam duplicis Epiſcopi veſtigium cernitur; ne tum quidem cum inter Graecos Latinoſque diſcidium, uti fieri ſolet, oriretur. Cujuſmodi gravis contentio ſub S. Paulo Juniore (qui num. XL. eſt) recens ordinato exarſit: quo tempore *Parthenopenſis populus* (ait Joannes) *poteſtati Graecorum* (Iconomachorum) *favebat*. Eaq. de cauſa Paulus conſecratus, intra urbem *propter Graecorum connexionem* non eſt receptus, ſed ad S. Januarii extra moenia ſedere permiſſus aliquamdiu fuit, quo ex loco Eccleſiae negotia adminiſtrabat. Porro ſi Graecis Neapolitanis ſuus fuiſſet peculiaris Epiſcopus; hoc ſaltem loco ejus mentio injicienda fuit. Pauli Epiſcopatus octavo vergente ſaeculo in Conſtantini Copronymi tempora incidit, ſub quo maxime frequens Neapoli Graecorum multitudo erat.

IV. Imo ne Chorepiſcopi quidem ullius, qui Graecis praeeſſet, ab eodem Chronographo mentio uſquam injicitur: quod non omiſſurum fuiſſe putem, ſiquando id accidiſſet.

§. II. *Objecta Papebrochiana, praeſertim de Calepodio diluuntur.*

Dan. Papebrochium V. Cl. memini alicubi id data opera laboraſſe, ut binas Neapoli Epiſcoporum ſedes fuiſſe ſtatueret, Graecorum unam, Latinorum alteram. Sed piget nunc in eo Jeſuitae loco conquirendo tempus terere. Interim idem ad XV. Junii de S. Fortunato Epiſcopo Neapolitano agens, non invitus num. 9. fatetur, ſub S. Fortunato Epiſcopo Latino ſimul Calepodium Graecum Epiſcopum Neapolitanorum Graecis praefuiſſe. Ad quod etiam confirmandum affert tum illud ex vita S. Athanaſii, *Binas praeſulum exſtat ſedes* (quod §. ſeq. explicabimus) tum etiam quae de Graecis Neapolitanis Eccleſiis docuit Chioccarellus pag. 95. & ſeq. Etſi poſtea num. 11. idem Papebrochius ſatis aperte declarat, Graecum hunc Neapolitanorum Epiſcopum fuiſſe Latino ſubjectum.

Quid autem potiſſimum ſub S. Fortunato fuiſſe Neapoli alterum Epiſcopum Graecum, fateri cogat, neceſſe eſt in cupidorum gratiam ediſſerere. Anno 347. Synodo Sardicenſi catholicae tertio loco *Calepodius Neapolitanus* ſubſcripſit. Ac ne de alia forte Neapoli ſuſpicio ſebeat; is in Hilarii fragmentis *Calepodius a Campania* diſerte vocatur, idemq. ab Athanaſio inter Italicos praeſules refertur. Et tamen ex Decreto Arianorum (qui Sardica ſe ſubducentes, Philippopolim convenerunt) conſtat tunc Neapoli ſedile *Fortunatum*: de quo vide quae in Comm. ad Kalendar. ad XIV. Junii p. 613. notavimus. Cum ergo uno eodemq. tempore Calepodius ac Fortunatus Epiſcopi Neapolitani fuiſſe reperiantur; neceſſe erit Graecis illum, hunc Latinis uno ſimul tempore praefuiſſe.

Digitized by Google

Verum nullum aeque tempus fuit, quam annus 347. (quo anno duo hi Episcopi Neapolitanis vulgo praeficiuntur) in quo nihil necesse fuerit pastorem alterum Graecis dari: ut qui tunc nulli in hac urbe erant. Vide quae hoc ipso Capite sect. I. de Graecismi Neapolitani vicibus edisserui: ubi liquido ostensum fuit, exeunte primo Christi saeculo Neapolim evasisse Romanam coloniam, proinde si quid adhuc Graeci superarat, paullatim evanuisse: ad haec medio tertio saeculo privata tantum Graecae eloquentiae studia declamando exculta a studiosis fuisse, dum interim sermo vernaculus Latinus esset. At medio IV. saeculo (quo & ista privata quorumdam studia prorsus elanguisse reor) quodnam rogo vestigium Graecitatis supererat? Itaq. nulla prorsus cogebat necessitas, cur peculiaris Episcopus Graecis, qui tunc nulli erant, daretur. Ac ne schismate quidem Neapolim tum laceratam dixeris; nam nec Calepodium (ab Athanasio & Hilario laudatum) schismaticum dixeris, nec Fortunatum, qui & in marmoreo Kalendario, & in fastis manu exaratis colendus inter Sanctos proponitur.

Quaerenda ergo via est, per quam istud duorum simul pontificum ἄτοπον declinari possit. Ac primum dici potest uno eodemq. anno 347. Calepodium, postquam synodo catholicae subscripsisset, diem obiisse extremum, ei vero Fortunatum successisse: ad quem recens ordinatum Ariani suum decretum transmiserint, rati se facile novum praesulem in suas partes pertracturum; ut in eod. Comm. p. 615. num. III. conjeci. Probabilis quidem ea ratio videri possit: tametsi aegre mihi est, quod Calepodium Joannes diac. in catalogo omiserit, non relicturus, si quidem decessor Fortunati fuisset. Quamquam & illud fatendum est, antiquorum pontificum complures ab eo chronographo ignoratos: quod saepe in eod. Comm. conquesti sumus. Interim quod ibid. eadem pag. num. IV. addidi, forsitan Calepodium merum fuisse Chorepiscopum, id nunc revoco: primum quia nulla tunc necessitas Chorepiscopi Graecis (qui jam nulli superabant, aut pauciores essent quam ut in plebem coalescerent) praeficiendi: deinde quia si Calepodius merus fuisset Chorepiscopus, numquam tertio loco subscripsisset, aut (si eum subscriptionis ordinem parum certum fuisse censeas) numquam saltem ab Athanasio & Hilario inter praecipuos patres Sardicenses relatus fuisset. Itaq. illud est expeditius, Calepodium brevi tempore Ecclesiae Neapolitanae praefuisse, eaq. de causa Chronographi Joannis diligentiam effugisse: ceterum eidem statim post subscriptum Sardicensi synodo nomen suum mortuo Fortunatum successisse, ut initio dixi.

Sed & illud tueri non immerito possum, *Calepodium* & *Fortunatum* non duorum, sed unius ejusdemq. Episcopi duo fuisse nomina. Nam IV. maxime saeculo permagno in usu fuisse πολυωνυμίαν (*nominum multitudinem*) satis scimus. Itaque unus idemque pontifex *Calepodius Fortunatus*

Digitized by Google

natus vocabatur : at horum nominum unum dumtaxat, quod usita tius fuit, Chronographus noster scivit. Idem ob eamdem causam nullius Neapolitani praesulis nisi unum tantummodo nomen protulit ; cum tamen plura antiquitus in usu fuisse, ex tertii, quarti, quintiq. vulgar ibus exemplis satis noverimus ; imo sex, septem, octove nomina nonnullos tunc gessisse ex lapidum titulis constet. De ea πολυωνυμίᾳ videatur Sirmondus ad Ennodium, Fabrettus in sua inscriptionum sylloge. Itaq. ut eo redeam : sive *Calepodius* idem prorsus ac Fortunatus erat ; sive Calepodius anno 347. mortuus Fortunatum statim successorem habuit.

§. III. *Auctoris vitae S. Athanasii vexatissimus locus, qui in contrarium afferri solet, expeditur & illustratur.*

Praeter S. Athanasii Neapolitani vitam, quam Joannes diac. in suo chronico scriptam reliquit, habemus alteram diffusiorem, quam vulgo Petro diac. Casinensi tribuunt. Quisquis tamen ejus vitae auctor fuerit, is certe non aequalis aut suppar Athanasio fuit (quod Ant. Caraeciolus aliiq. falso crediderunt) sed undecimo aut etiam duodecimo saeculo floruit : quod ex minime dubiis indiciis supra Parte 1. cap. 4. in Object. 2. satis aperte demonstravimus. Is igitur in prologo, quem vitae S. Athanasii praemisit, ubi Neapolim primum ab externis aedificiis, deinde a tot pulchris Deo dicatis templis & sexus utriusq. monasteriis exornasset ; ita pergit: *Nam & introrsus BINAS PRAESVLVM GESTAT SEDES ad instar duorum Testamentorum ; quamquam una sit quae eam gubernat, & regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi.*

Ex hoc autem loco, quomodolibet (6) legatur, erui manifesto volunt Neapolitanam Episcopalium sedium duplicitatem. Nam quocumque verteris, non effugies, quin *binas Praesulum sedes* (Graecorum scilicet unam, Latinorum alteram) Neapolim *gestasse* fatearis : etsi una alteri subjecta esset. Ac satis scio, hunc locum terriculamento apud eos fuisse, qui tamen satis suopte ingenio ab ea sedium duplicitate abhorrerent. Itaq. multos ad hunc locum tamquam ad Maleae promontorium expavisse : nec tantum Chioccarellum pag. 96. Caracciolum & alios plures, sed & ipsum Baronium hac auctoritate fractum, fateri coactum, fuisse *interdum* (nam uti dixi vir magnus in recitatis vitae verbis pro *Intror-*

(6) Baronius pro *Introrsum* affert *Interdum : Nam interdum binas praesulum gestat sedes*. Cui videlicet minus absurdum visum fuit, si *interdum* id accidisse dicatur. Tamen scripti codices *Introrsum* habent ; idque cum scriptoris contextu cohaeret, tum ab exterioribus aedificiis, tum ab ornamentis interioribus laudantis Neapolim. Sed & verba illa *Quamquam una sit* apud Bollandistas uncis coercentur, certe quia in aliquibus scriptis non leguntur ; quae nec Ant. Caracciolus pag. 358. agnoscit. At eadem Chioccarellus agnovit. Postremo idem Caracciolus extrema sic recitat: *Qui eam gubernans & reliquum, ut capite &c.* Quae tamen idem pag. 359. sic refingit: *Qui eam* (istud *Eam* a nonnullis omittitur) *gubernat, regit & reliquum*. Ex his vides, tum veteres librarios, tum nostrorum temporum criticos in hoc difficili loco mire exaestuasse, in eoq; varie refingendo sese certatim exercuisse.

Digitized by Google

Introrsus legere *Interdum* maluit) tempus, quo bini Episcopi, sed unus alteri subjectus, Neapoli consederint.

Fuere porro, qui aliter subductis apud se rationibus, non alterum minorem Episcopum sive Chorepiscopum Graecis Neapolitanis praeficerent, sed Protopapam, h. e. Archipresbyterum, idq. aliarum Ecclesiarum exemplo. Et hanc alteram fuisse sedem Neapoli volunt. Ac posset quidem hoc ferri, si ullum Neapolitani Protopapae vestigium usquam occurreret; sicuti re vera Messanensis Protopapae plurima passim mentio exsistit. Sic etiam de Corcyrensi Protopapa legi potest Andreae Marmorae Historia Corc. lib. IV. Taceo quasdam Bruttiorum Ecclesias, apud quas Protopapae monumenta exsistunt. At Neapoli neq. in tot scriptoribus neq. in ullis chartis Protopapae, sive πρωτοπαπάδος vestigium ullum apparet. Haec quidem de Protopapa, quatenus Praelatus est, Episcopo inferior: de quo vide Graec. Fresnii Glossarium col. 1099. Ceterum quatenus ea vox non Praelatum, sed merum Curionem sive Parochum notat (tametsi recentior est ea notio) poterat eo significatu non uni modo, sed pluribus Protopapis Neapoli locus esse; ubi sex Graecorum praecipuae Ecclesiae (uti mox dicetur) fuisse leguntur. Nihilo plus igitur Protopapas ad hunc locum expediendum, quam quilibet Curio confert. Eaq. causa est, cur Protopapam hic designari minus putem. Itaq. alias siquas possumus, ineamus hujus expediendi nodi rationes.

Ac proderit initio ex vitae Athanasianae prologo paullo uberius verba depromere, quo filum orationis ac simul mens auctoris perspici commodius possit. Is ubi inter Neapolitanae urbis laudes ea munimenta, recensuisset, quibus Belisarius primum, deinde Narses terra mariq. hanc urbem firmasset exterius; ita semet revocans, pergit. *Sed cur moramur in EXTERIORIBVS aedificiis, quae utiq. melius a conspicientibus cernuntur, quam eloquentia cujuslibet valeat sophistae fari? Quandoquidem ita interius frequentissimis Ecclesiis ac praeclaris, antiqua videlicet & vetustissima* (cor. *venustissima*; nam proxime praecesserat *τὸ antiqua*) *structura editis, nec non & monasteriis virorum puellarumq. farsa retinetur, ut horum continuis precibus nocturnis diurnisq. adjuta, invictrix consistat & tuta. Nam & INTRORSVS* (perstat enim in interioribus ac sanctioribus ornamentis) *binas praesulum gestat sedes ad instar duorum Testamentorum; quamquam una sit quae gubernat, & regit reliquam* (malim *reliquas*) *ut capite reguntur artus diversi. Reperiuntur plane in ea* (urbe) *templa prisco structa aedificio; quoniam non solum a Constantino ... sed plures ante annos Christiana inibi religio floruit.* Quippe, uti subdit, S. Petrus in ea Asprenem Episcopum ordinavit. Deinde de S. Agrippino, ac de S. Januario patronis, de Graeco-Latina psalmodia, de Xenodochiis, aliisq. id genus eloquitur.

Nunc in iis verbis, quae facessunt negotium, duo maxime illa

Prae-

Digitized by Google

Praesulum & *Sedium* vocabula, postremo quid sit τὸ *Binas*, quae tria fraudi viris doctis fuere, explicanda mihi censeo. Atque ut a *Sedibus* incipiam; cave putes *Sedendi* verbum fuisse olim in Episcoporum peculio; nam etiam presbyteris commune erat. Ac plures me quidem Christianas presbyterorum inscriptiones vidisse memini, in quibus presbyteri, perinde ac de Episcopis dicitur, *sedisse* tot annos reperiuntur. Verbi causa Nolae in S. Felicis basilica cujusdam Adeodati Archipresbyteri vitae anni sic colliguntur: VIXIT . . . ANTE ORDINATIONE ANN XXX SEDET SACERDOTALI ORDINE ANN L. ET DEP. EST. Pluribus conquirendis supersedeo. Apud Graecos vero & θρόνε & καθέδρας (h. e. *sedis*) vocabula presbyteris aeque atq. Episcopis communia fuisse ima pagellae (7) ora docebit. Hinc etiam apud Latinos Cathedrales aut collegiatas Ecclesias, in quibus presbyteri ceterique ministri sive Canonici in suis *Stallis* considebant, SEDES fuisse appellatas, subjectis (8) exemplis demonstratur.

Age vero formidanda illa *Praesulum* vox, (quae tamdiu torserat, quaeq. viros doctos pro *Episcopis* illam accipientes transversos egit) ea ipsa metum mihi omnem eximit: dum apud omnem antiquitatem, ipsosq. veteres Ecclesiae scriptores, maxime (9) Ambrosium, pro quibusvis

(7) Concilium Quinisextum can. 26. Presbyterum, qui per ignorantiam illicitis nuptiis intereat, καθέδρας μὴν μετέχειν (*non privari quidem sede*) sanxit. Joan. Hieros. in vita Joan. Damasc. n. 3. τὴν καθέδραν τῶν πρεσβυτέρων ἀνὴν τὸς Κύριον τῶτον χειροτονεῖ. *Hunc ordinat ad laudandum Dominum in Cathedra Seniorum* sive presbyterorum. Nec aliter quam de presbyteris, Balsamon & Zonaras ad Can. 58. Apost. & Aristenus ad Trullanum can. 21. καθέδρας vocabulum usurparunt. Nec secus θρόνος δεύτερος, *secunda sedes* de presbyteris accipitur in Epist. Constantini apud Eusebium X. 5. *Adjunctis*, inquit, *tibi duobus* (ἐκ τῦ δευτέρου θρόνε) *secundae sedis*. In quem locum videantur Valesii adnotationes, duplicem Gregorii Naz. similem locum afferentis, & Eusebii alterum, ubi in descriptione Ecclesiae Tyri thronos, qui erant juxta Altare, Episcopo & Presbyteris tribuit, subsellia vero ministris.

(8) In Concilio Tullensi ad Saponarias ann. 859. can. XIII. *Statuerunt itaq.* (Episcopi) *ut prose invicem omnes dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent. Scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria IV. Missam celebrarent . . Post vocationem autem cujuslibet eorum, superstites obtineant, ut pro eo qui decesserit,* IN *SEDIBVS* (h. e. Ecclesiis tum Cathedralibus tum collegiatis) *septenae Missae totidemq. vigiliae Domino persolvantur: a presbyteris autem Monasteriorum sive villarum tres Missae totidemq. vigiliae dependantur.* Adde ex Donationib. Saltzburgensis Ecclesiae in Fresnii Glossario: *Commendavit . . Monasterium in manus Episcopi . . ut ipsum cum SEDE* (h. e. Cathedrali) *semper esset: potestatem vero Episcopo dedit . . Abbatem ibi ordinare, & monachos de ipsa SEDE ibidem ponere* (quod statim interpretatur) *sive CANONICOS.*

(9) Videantur quae de eleganti Ambrosiana nominis *Praesul* acceptione notavimus ad Kalend. Neap. pag. 857. Adnot. 690. Apud quem scriptorem familiaria sunt illa *Praesul pacis, fidei, conjugii, triumphorum, templi, benedictionum*, &c. In quibus locutionibus aliisq. sexcentis *Praesul* est γενικῶς *Praeses*. Sic etiam in Excidio *praesules provinciarum* sunt rectores sive praesides. Alibi *Ditem* sive Plutonem vocat *inferorum praesulem*. Alibi: *Cogendi concilii* (h. e. senatus) *praesules*, Rursus alibi anseres

Digitized by Google

busvis praepositis sive profanis sive sacris passim non sine elegantia usurpatur. Tametsi quid antiquos auctores laudo; aut vero quid miror, Athanasianae vitae auctorem (XI. aut XII. saeculo scribentem) eo significatu *Praesulis* nomen usurpasse, cum ineunte saeculo XIII. Innocentius III. non alia notione illud acceperit? Proderit ejus verba ex Conc. Later. IV. cap. 9. huc adscribere: quae verba simul Episcopos in πολυγλώττοις urbibus multiplices statui vetant. *Quoniam*, inquit, *in plerisq. partibus intra eamdem . . diocesim permixti sunt populi diversarum linguarum . . . praecipimus ut pontifices . . . provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum divina officia in illis celebrent . . instruendo verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino* (& quidem sub anathemate, ut in fine sanctio legis habet) *ne una eademq. . . dioeceſis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit; pontifex loci CATHOLICVM PRAESVLEM* (qui tamen Episcopali ordinatione minime praeditus intelligitur) *nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi VICARIVM in praedictis, qui ei per omnia sit obediens.*

Jam vero quis ignorat, praeter primariam Neapolitanam *Sedem* (quae quidem ab Episcopi juxta ac Canonicorum Cathedris sive *sedibus* sibi nomen *Cathedralis* proprium ob excellentiam fecit) aliasq. collegiatas Latinas, complures praeterea Neapoli Graecorum fuisse Ecclesias, in iisq. suos *praesules* i. e. presbyteros consedisse, ac divina officia persolvisse? Sex Graecorum Ecclesiae adhuc saeculo XIII. perdurabant, hujusmodi distinctae nominibus, *Ecclesia S. Georgii ad Forum, S. Januarii ad diaconiam, Sanctorum Joannis & Pauli, S. Andreae ad Nidum, S. Mariae Rotundae, S. Mariae ad Cosmedin*: quarum nomina in chronico S. Mariae de Principio descripta habemus, ex quo eadem Jo. Villanus in suum chronicon infudit.

En igitur quo *binae* (BINAE autem, uti mox ostendam, tantumdem quod *Duplices*, sive *Duum generum*) quo inquam *duplices* istae *praesulum sedes*, quae huc usque enecaverant, sint referendae. Nam uti vidimus, *Praesules* sunt *conventualium* Ecclesiarum tum Latinarum tum

seres templi Capitolini *praesules* nuncupentur. Notissima est Capitolii ab anseribus servati historia. Hinc post Ambrosium omnes Ecclesiae scriptores pari elegantia ei vocabulo generalem *praesidis* notionem subjecerunt. Ipse Joannes diac. Stephanum (qui postea Episcopus ejus nominis secundus fuit) *Praesulem* h. e. Ducem Neapolitanum vocavit. *Omnes*, inquit, *Neapolitae ad praedictum accedentes praesulem . . postularunt, ut Ecclesiae Sanctae providus Pastor accederet.* Id quod accidit. Nec nisi duobus tribusve ab hinc saeculis nescio quomodo factum video, ut tam late pateris *Praesulis* significatio ad solos ferme Episcopos restringeretur. Quae demum antecepta opinio huic vitae Athanasianae loco fraudi fuit, ut *Praesulum* vocabulum pro *Episcopis* acceperint: quorum profecto nomine non aliud intellexit auctor, quam quoslibet Ecclesiis praepositos presbyteros.

Digitized by Google

sum etiam Graecarum *praepositi* sive presbyteri. *Sedes* vero sunt ipsae *conventuales* Ecclesiae, in quibus suae sunt modo dictis *praesulibus Sedes*, sive Cathedrae, θρόνοι, sessellia. Postremo quod BINAS eas sedes dixit, non sic accipe quasi si *Duas* dixisset, sed quasi *Duplices* h. e. *Duum generum*, aut vero (si mavis) quasi si dixisset *Bilingues*; nam utrumq. horum potest per illud *Binas* designari: quod inferne (10) demonstrabitur. Haec autem sententia cum toto contextu pulchre cohaeret. Nam proxime monasteriorum *continuas preces nocturnas diurnasq.* memoraverat. Hinc transit ad Latinorum Graecorumq. Praesulum itidem Deum laudantium *sedes* h. e. collegiatas Ecclesias. Postremo cur tot templa Neapoli reperiantur, ab antiquitate divinae Religionis ibi fundatae causam arcessit.

Sequitur in auctore Athanasianae vitae illud: *Quamquam una sit, quae gubernat & regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi.* Illud *Reliquam* valde suspectum habeo, cum potius *Reliquas*, supple *sedes*, scribi ab auctore debuerit. Una est, inquit, cathedralis sedes, *quae gubernat & regit reliquas* (illas duplices aut bilingues praesulum sedes, nempe Latinis Graecisque Ecclesiis praepositorum) *ut capite reguntur artus diversi.* Sive forsitan auctor *Reliqua* scripserat, consuetum aevo medio vocabulum, quod ad res quaslibet referebant. In Cyrilli Glossis tam τὰ λοιπά, quam Ἔλλιμμα redditur *Reliqua* & *Reliquarium*. Ergo auctoris sententia est: *Quamquam una sit* (Cathedralis sedes, ex Episcopo & senatu Canonicorum, hujus biographi aevo notissimorum, conflata) *quae gubernat & regit reliqua* (sive si mavis, *Reliquas*) *ut capite reguntur artus diversi.* Re vera non tantum Neapolitano pontifici (qui semper Latinus fuit) Graeci praesules, sive suarum Ecclesiarum praepositi, obsequebantur, verum etiam Metropolitano Capitulo quaedam subjectionis si-

P gna

(10) *Peculiaris significatio vocis* BINVS *ex Cyrilli Glossis elicitur.*

Athanasianae vitae scriptor unus ex iis est, qui se pro captu temporum culturae sermonis non negligentem prodit. Hinc cum aevo sequiore non aliud elegantiarum promptuarium, quam Glossaria quae vocant, pateret; ea sedulo se trivisse haud semel ostendit. Vel illud indicio est, quod vocabulum BINVS ea notione usurpavit, quam haud facile alibi quam in Cyrilli Glossis Graeco-Latinis reperias: in quibus voci Δισσά (quod Graece *Duplicia* sonat) respondet BINA. Ex quo perspicuum est, saltem istius glossographi aetate *Binus* & *Duplex* pro synonymis habita: proinde in Athanasii vita *Binas sedes* tantumdem esse quod *Duplices* sive *Binum generum*, Latinas scilicet atq. Graecas.

Quid si ostendo, in eodem Cyrilli Glossario BINVS tantumdem videri quod *Bilinguis*? An non ea notio scopo scriptoris hujus convenientior? *Binas*, inquit, *sedes* h. e. bilingues, quippe Latino ore unas, alteras Graeco Deum celebrantes. Nam in illis ipsis Cyrilli Glossis, in quibus Δισσὰ exponitur *Bina*, etiam Δισσὸς redditur *Bilinguis*. Ex quo satis elicitur, Glossographo isti BINVS & BILINGVIS fuisse propemodum synonyma: quia utrumq. nomen e regione τῷ Δισσὸς (h. e. *Duplex*) posuit. Dixi ea glossographo visa esse *propemodum* synonyma: nam ceteroqui *Binus*, qua *Duplicem* notat, multo latius, quam *Bilinguis* patet; quia *Bilinguis* omnis est *Duplex* (κατά τι, lingua scil.) at non omne *Duplex*, continuo etiam *Bilingue* dicetur.

Digitized by Google

gna certis anni diebus exhibebant. Quo spectant ritus illi majore in hebdomada a Graecis observati, quos Chronicon S. Mariae de Principio fol. 5. hunc in modum describit: *In die autem sancta* (cor. *Sabbati Sancti* ex Jo: Villano, qui haec vernaculo sermone reddidit: *Il giorno del Sabato Sancto*) *sex PRIMICERII sex Graecarum Ecclesiarum constructarum in ipsa civitate . . . tenentur venire ad dictam Neapolitanam Ecclesiam* (quam proxime Stephaniam vocaverat) *& cantare seu legere sex lecciones Graecas. Et in die Resurrectionis Dominicae tenentur dicto CIMILIARCHAE assistere ad cantandum in illa* (Ecclesia) *CREDO IN VNVM in ydiomate Graeco. Et more Graecorum debent in dicta Ecclesia facere . . . SQVARASTASE.* Istud *Squarastase* quoddam obsequii ritualis genus, diebus sollemnibus erga majores exhibitum, fuisse in Appendice operis hujus Diatriba Ldocebimus. Deinde sex illae Graecorum Ecclesiae, quae ad id tenentur, eaedem illae quas supra retulimus enumerantur. Vides profecto quam bene his cum vitae Athanasianae loco conveniat. Facessat igitur ista duplicis Episcopalis sedis Neapolitanae Chimaera: cui nihil aliud quam affectata ab Athanasianae vitae auctore elegantioris *Praesulum* notionis imitatio ansam praebuit.

§. IV. *Nullo unquam tempore CPolitanis Patriarchis in sedem Neapolitanam jus ullum fuisse.*

Neapolitanos pontifices ubi canonice electi essent, Romam fuisse missos ab Romano Pontifice confirmandos & consecrandos, totus Joannis diaconi Pontificalis liber locis omnibus clamat: nec usquam ullius Byzantino patriarchae subjectionis vestigium aut exemplum ab eo affertur, praeter illud Sergii celeberrimum: quod quia rem, qua de agimus, mirifice confirmat potius, quam enervet; minime omittendum reor. Sub octavi saeculi initia post S. Laurentii Episcopi obitum, quo pacto agente Joanne Duce Neapolitano Sergius electus fuerit, postquam satis accurate chronographus narrasset, haec addit. *Hi* (Sergius) *dum a Graecorum Pontifice* (h.e. patriarcha CPolitano) *Archiepiscopatum* (nudam (11) autem Archiepiscopalem dignitatem, sine jure metropolitico intelligit) *nanciscereturs; ab Antistite Romano* (Gregorio II. qui tunc sedebat) *correptus, veniam impetravit.* Hunc in modum Byzantini patriarchae tunc irriti cessere conatus. Hinc diu postea Archiepiscopali apice Neapolitana Sedes apud Latinos caruit: nec nisi decimo saeculo Neapolis Metropoliticam dignitatem ab Sede Apostolica obtinuit.

Dixi Neapolim per illos trecentos prope annos, qui inter Sergium Episcopum & vergentis decimi saeculi terminum intercesserunt, ea dignitate *apud Latinos* caruisse: nam ceteroqui apud Graecos ab illo usque Ser-

(11) Simplex (ἀρχιεπισκοπή) *Archiepiscopatus* honor erat apud Graecos inter Metropolitas & Episcopos interjectus. Itaq meri hujusmodi Archiepiscopi cedebant honore metropolitis, Episcopis ceteris praecedebant.

Digitized by Google

Sergii Neapolitani facto ſedes Neapolitana ſemper inter Archiepiſcopatus nudos (h. e. metropolitico throno carentes) Byzantino patriarchae ſubditos numerata fuit, etſi Neapolitanorum(12)ingratiis,ac faſtu tantum ac molimine conſueto Graecorum. Itaq. in celebri Leonis Novella apud Leunclavium lib. 3. Jur. Graec. Rom. inter Archiepiſcopatus metropolitico throno carentes ſub CPolitano patriarcha num. XIV. *Neapolis* ponitur, num. XV. *Meſſana*. Etſi ſunt qui ab illa Leonis διατυπώσει *Neapolim* abeſſe malunt, aut ſi ſit, aliam Neapolim intelligi jubent: quaſi vero ab immodico Graeculorum tumore quidquam periculi immineat. Sed & Nilus Doxopatrius Rogerio Regi, uti volunt, coaevus accuratam deſcriptionem tum metropoleon tum ſimplicium Archiepiſcopatuum Byzantino throno ſubjectorum elucubravit, quam Leo Allatius lib. I. Conſenſionis cap. 24. edidit, in qua poſt metropoliticos thronos recenſentur quatuor & triginta *Sedes Archiepiſcopales* (ἀρχιεπισκοπαὶ) *quae throno CPolitano ſubjacent, nulli tamen Metropolitarum obnoxiae* (μήτε ἔχουσαι ὑφ' ἑαυτὰς ἐπισκοπὰς) *nec habentes ſub ſe ullos Epiſcopatus*. Inter quas num. IX. *Neapolis*, num. XXVI. (ἡ Κοτρὼ) *Cotro* legitur. Itaq. uti dixi, ab illo Sergii inauſpicato ambitu Neapolitani antiſtites apud Graecos *Archiepiſcopi trono carentes* audiebant; at apud noſtros pari loco ac ceteri Epiſcopi erant: donec tandem poſt medium decimum ſaeculum (quo (13) anno, incertum) a Rom. Pontifice non merum dumtaxat Archiepiſcopi nomen, ſed & metropolicam juriſdictionem ſunt noſtri Antiſtites aſſecuti.

SECTIO III.

Coetuum Eccleſiaſticorum Eccleſiam Neapolitanam repraeſentantium duplicitas ſubmovetur.

Ex dictis ſuperiore Sect. & alibi jam intellectum fuit, poſt Juſtiniani I. (ſub quo Neapolis erepta Gothis, CPolitano imperio parere coepit) tempora, Graecorum advenarum frequentiam non mediocrem in

 hac

(12) Nec enim poſtea idem Sergius, aut ejus ſucceſſorum alius, Archiepiſcopi nomen ſibi arrogaſſe cernitur, idque uſque ad ipſum Athanaſium III. qui tum anno 937. tum anno 960. ſe *Epiſcopum* aperte ſubſcribit.

(13) Poſt tertium Athanaſium, de quo proxime dixi, quidam *Nicetas* a Chioccarello in ſerie profertur, qui in diplomate Monaſterii Monialium S. Sebaſtiani *Archiepiſcopum* ſe inſcripſerit. At hoc monumentum a Chioccarello viſum, nec autographum fuiſſe, nec ſincerum Ughellus ſuſpicatur. Aut ſi verum ſit; conjicit Nicetam iſtum (cujus Graecis familiare nomen, eum natione Graecum fuiſſe indicat) ope aulae CPolitanae in ſedem Neapolitanam fuiſſe intruſum, proinde Graecanico tumore turgidum ſibi *Archiepiſcopi* dignitatem arrogaſſe. Qua de re, etſi haud factu difficili, aſſenſum ſuſtineo.

Illud autem propius fidem eſt, ſtatim poſt Capuam (primam omnium hujus regni ſedium anno 968. ab Joanne XIII. in metropolim erectam) & Beneventum anno ſequente, ſtatim Neapolim eodem honore auctam fuiſſe. Etſi per ea tempora ſeries antiſtitum manca ſit. Quocirca interim ante *Sergium Archiepiſcopum*, qui anno 1005. ſedebat, ex monumentorum inopia haud poſſumus antiquiorem alium Neapolitanum Archiepiſcopum nominatim demonſtrare.

Digitized by Google

hac urbe fuisse: proinde duplicem fuisse Neapoli Clerum, sex fuisse Graecas paroe[illegible]as, quas Sect. super. retulimus; in quibus divina officia Graeco sermone persolvebantur. Adhaec autem interdum cum Graecis Latinos olim convenientes, Graeco-Latinam psalmodiam celebrasse, res hodie (14) protrita est. Utriq. tamen tum Latino tum Graeco gregi Episcopus unus, isque Latinus praeerat, Romano Patriarchae subjectus.

Nunc illud quaero, an non duo saltem virorum Ecclesiasticorum συνέδρια, (quae nos *concilia* sive *senatus* dixerimus) Ecclesiam Neapolitanam repraesentantia, uti nunc loqui amant, exstiterint. Cum autem clerum illum, qui sedem aliquam repraesentet, nomino, eum intelligo non tam qui Horas Canonicas in Ecclesia persolvat (nam fuit tempus, cum id munus non a praecipuo Ecclesiae Senatu impleretur, sed potius ab *Assistis*, seu quocumq. nomine vocarentur ii, qui tanquam Canonicorum Vicarii id agerent) quam qui Ecclesiae βουλὴν (*Consilium*) constitue-

(14) Ea consuetudo omnium aevi medii sciptorum suffragiis testatissima est. Ille ipse Athanasianae vitae auctor in prologo, de suo tempore (h. e. saeculo XI. aut XII.) sic prodidit. *In qua* (urbe) *laici simul cum clericis assidue Graece Latineque COMMVNI PRECE psallunt Deo*. Vigebat hoc etiam nono decimoq. saeculo. Idem auctor, ubi de Athanasii Translatione, multitudinem tunc Graece Latineque psalmodiam usurpasse testatur. Joannes diac. in Translatione S. Severini Norici ex Lucullano facta apud Bollandum (to. 1. Jan. 1101. n. [illegible]) *Alternantibus choris LATINIS ET GRAECIS ad monasterium saepe fati Abbatis* (Joannis Abbatis S. Severini) ... *cineres sanctos deduxerunt*. Idem auctor in Translatione S. Sossii: *Joannes Abbas* (S. Severini) *cum omnibus monachis advenit, & ... per totam noctem unanimes Graecam Latinamq. psalmodiam sonoris vocibus concreparunt*. Mitto alia etiam citimorum saeculorum testimonia. Veluti quod in Chronico S. Mariae de Principio fol. 5. scribitur de die Sabbati Sancti: *Sex primicerii sex grecarum Ecclesiarum ... tenentur venire ad dictam Neap. Ecclesiam, & cantare seu legere sex lecciones grecas*: alternatim scil. cum aliis cantoribus totidem Latinas decantantibus; loquitur enim de lectionibus seu prophetiis illis duodecim, quae Sabbato Sancto ante fontis benedictionem leguntur. Pergit: *Et in die Resurrectionis dominice tenentur dicto Cimiliarche assistere ad cantandum in illa CREDO IN VNVM in ydiomate greco*. Quod etiam alternatim fuisse factum, testatur Joannis Ursini (qui medio XIV. saeculo sedit) Ritualis collectio; in qua in die Paschatis sic praescribitur: *Dominus Archiep. incipit CREDO [illegible] greco sermone, si placet, & supradictus Archipresbyter S. Georgii ad Mercatum cum sociis suis, & Archipresbyter S. Mariae Rotundae CREDO totum decantant in greco sermone in conspectu Domini Archiep. alta voce, & alii cantores de choro repetunt alternatim in Latino, cantando etiam alta voce*.

Tametsi alibi quoq. terrarum Graeco-Latina officia frequentata novimus. In funere S. Paulae Psalmos Hebraice, Graece, Latine ac Syriace decantatos, ex S. Hieronymo observat Baronius ad ann. 34. Videatur & Leo Ostiensis l. 31. ubi Casinenses monachi cum inferioris monasterii monachis missam promiscue cantu Graeco Latinoq. concinebant. Postremo nequid omittam, idem quoq. a S. Caesario Arelatensi in sua Ecclesia saeculo VII. usurpatum fuit, uti in ejus vita testatur Cyprianus Tolonensis num. 11. *Compulit ut laicorum popularitas psalmos & hymnos pararet, aitaq. & modulata voce, instar Clericorum, alii Graece alii Latine, prosas antiphonasq. canturent: ut non haberent spatium in Ecclesia fabulis occupari*. Propter Massiliae viciniam plures Arelate fuisse Graece peritos notat Mabillonius in Cursu Gallicano.

Digitized by Google

tueret, atq. Episcopo duci tamquam senatus assideret: cum quo senatu Episcopus regiminis curas dispertitas habet, quocum (sicuti olim cum suo Presbyterio S. Cyprianus) de gravioribus negotiis deliberat: postremo, ut cetera taceam, qui sede pontificali vacua, in onus Episcopale succedit. His intellectis, jam omnes vident, nugas meras eos agere, qui duplicem hujusmodi Clerum, Latinum unum, Graecum alterum, Neapoli admiserunt, ita ut penes utrumq. τὸ πρεσβυτέριον sive τὸ πρωτεῖον fuerint: quod perinde esset ac si monarchiam cum πολυκοιρανίᾳ, aut aristocratiam cum senatu duplici componas. Ubi nam vero curiae supremae duplicis (non sine scil. collisu mutuo) exempla reperias?

Itaq. ut quod res est, dicatur; Ecclesiae Neapolitanae Senatus omni tempore in eo Clero constitit, qui veluti cardo Cathedralis esset Ecclesiae, cujus proinde cleri singulae personae, Cardinales (15) Neapolitanae Ecclesiae dicebantur: qui, ubi postea *Canonicorum* nomen vulgari coepit, Canonici (16) Cardinales vocitabantur. Idque Neapolitanae Ecclesiae Canonicorum Cardinalium Collegium semper Latinum fuit, non secus ac Pontifex, sive princeps Senatus, Latinus erat: cui supremo conventui ceterarum Ecclesiarum, praecipue Graecarum cleros signa subjectionis certis anni temporibus exhibuisse, ex SQVARASTASE (17) illo, quod Archiepiscopo simul & Capitulo faciebant, non est dubitandum.

Atq. ut rem in pauca contraham; initio cleri illius personae, quae Neapolitanae Ecclesiae Senatum repraesentabant, simpliciter *Presbyteri* aut *Diaconi Ecclesiae Neapolitanae* (18) sine alia adjectione vocabantur: mox ejusdem *Presbyteri* aut *Diaconi Cardinales*. At ubi *Canonicorum* nomen per Italiam propagari coepit; iidem nostri modo *Canonici Cardinales*, modo alii absolute *Canonici* alii vero absolute *Cardinales* appellabantur: de quibus, aliisve alibi (19) dicam. Quorum congregatio ulti-

(15) *Cardinalium* nomen clero primario Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae tributum ab usq. S. Gregorii M. temporibus reperitur: qui V. Epist. 11. ad Fortunatum Episc. Neap. scribens, ei potestatem facit Gratianum diaconum constituendi Ecclesiae Neapolitanae *Cardinalem*. Octavo deinde saeculo Stephanus II. teste Joanne diac. *Leonem cognomento Maurunta CARDINALEM ordinavit presbyterum*. In subscriptionib. sequentium saeculorum nihil frequentius *Cardinalium* Canonicorum appellatione occurrit.

(16) De his vide Chioccarellum pag. 27. Nos quoque in Appendice peculiarem de Neap. Ecclesiae Canonicis Cardinalib. Diatribam dabimus.

(17) Quid istud SQVARASTASE sit, dicetur peculiari Diatriba quam in Appendice seorsum dabimus. Ubi ostendetur fuisse id genus urbanitatis & officii, quod ab inferioribus exhibebatur viris principibus aut majoribus in quibusdam sollemnitatibus. Porro *Squarastase* istud, quod in Cathedrali a sex Graecarum Ecclesiarum primiceriis fiebat (uti ex Chronico S. Mariae de Principio ostendimus supra hoc ipso cap. sect. II. §. 3.) non minus erga Capitulum, quam erga Archiepiscopum fuisse factum, ex diserto loco Consuetudinum Joannis Ursini, quas ille ante medium XIV. saeculum collegit, in ea quam dixi Diatriba demonstrabitur.

(18) Exempla appellationis hujus plura passim in veterum chartarum subscriptionibus apud Chioccarellum sparsa reperies.

(19) De Neapolitanae Ecclesiae Cardinalibus

Digitized by Google

ultimis hiſce ſaeculis *Capitulum* eſt appellatum. Atq. ea ferme eſt Metropolitani Capituli hodierni origo, ex illo antiquae Stephaniae Cardinali clero propagati: quod mox S. Athanaſius IX. ſaeculo mirifice expolivit, ut poſſit jure auctor Canonicorum dici, uti cap. ſeq. ſuis locis (nimſect. 1. §. 1. & 2. & ſect. 3.) declarabitur.

Quandoquidem autem huic Metropolitano Capitulo abhinc aliquot ſaecula quoddam miniſtrorum corpus Capitulo ſubſervientium (quod aliis olim nominibus, nunc vero *Hebdomadariorum Congregatio* vocatur) veluti quaedam appendix adjuncta fuit; eaq. nunc Congregatio turbas ingentes ciet, ſeque Capitulo parem aut certe ſupparem videri atq. haberi geſtit; id me nunc admonet, ut in hujus Congregationis gratiam ſequens Caput ſubnectam, quo de Hebdomadariorum origine prima, & eorumdem in hodiernum σύστημα ſive corpus, in quod hodie coaluiſſe cernuntur, proceſſu, qua maxima potero accuratione agam, ſimulq. de Presbyteris Quadraginta deq. Neapolitanis Canonicis, (quantum ſcil. ad Diſſertationis hujus inſtitutum pertinet)pari diligentia ac ſinceritate diſſeram.

CAPVT III.

De Hebdomadariorum Neapolitanae Cathedralis origine prima ac progreſſibus: deq. Canonicis amplius.

DOlendum ſane eſt, quod antiquorum monumentorum, quae certius aliquid de Hebdomadariis doceant, mira inopia laboremus: quod ipſum ejus collegii haud dubiam anteacti temporis obſcuritatem demonſtrat. Nam qui ſemper ultimo loco in Neapolitana Cathedrali fuiſſent, quid rogo incidere poterat, quamobrem crebrior coctus ultimi mentio ſive in ſcriptoribus, qui pauci ſuperant, ſive in veteribus chartis fieret? Et quidem eos fuiſſe antiquos fateor (nam abhinc quadringentos annos *Hebdomadariorum* nomen exaudiri video; ceterum iidem antea *Confratres* vocabantur) ſed tamen aeque vetuſtae h.e. nativae obſcuritatis exſtitiſſe, non eſt dubium. Nam quae de iis pauca numero monumenta circumferuntur, ea non aliud quam miſerias (*) meras, quam rerum omnium inopiam, atq. imae in Eccleſia ſortis humilitatem clamant: ut plane hanc Camarinam movere, & pigeat, & inauſpicatiſſimum putem. Tametſi humillima quaevis rerum publicarum omnium initia fuiſſe, quis non ex hiſtoria, praeſertim Romana, didicit?

Quo magis monitos lectores volo, ne, cum haec, quae dicturi ſumus, proferentur in lucem, ea probri loco effundi ſuſpicentur: idque ab viris praeſertim Eccleſiae miniſterio mancipatis, quos ſatis vivifica vox Di-

libus praeter ea quae Novarius, Chioccarellus, & alii collegerunt, habeo & alia minime injucunda ſcitu, quae in dicta Diatriba in Appendice lectori ſiſtemus.

(*) Vide Annotationem ſequentem, & paſſim alibi infra.

Digitized by Google

Divini Magiſtri informavit, monentis *Miniſtrare ſe veniſſe non miniſtrari*; nec ullam eſſe apud Chriſtianos in ſervitio exhibendo invidiam. Cum his tamen caeleſtis Magiſtri ſaluberrimis praeceptionibus illa ſatis vulgata Canoniſtarum ſcita minime colliduntur, quae *Aſſiſios*, ſive cujuſlibet nominis inferiores beneficiarios, non aliud eſſe quam Canonicorum *Miniſtros* quos *& ſervitores Capituli* paſſim iidem vocant. Nam iſta & hiſce deteriora apud Canoniſtas elogia eo pertinent, ut beneficiarii *ſuis terminis* (uti loquitur S. Leo) *contenti ſint, nec ſupra menſuram juris ſui affectent augeri*. At illa ſuperiora quae ex Divino Praeceptore ſcita hauſimus, Canonicos petunt, ne forte aut ipſi ſpecioſis dignitatum titulis turpiter inflati diſtendantur, aut beneficiarios ſuos tamquam *miniſtros* aut *ſervitores* contemnant.

Quamquam & illud ſincere fatendum eſt, Canonicos majores noſtros adeo ſe minime ſaevos minimeque ſuperbos erga miniſtros hoſce ſuos geſſiſſe, ut nimia potius erga illos indulgentia peccaverint. Sublevandi ex miſeriis erant? (20) ditaverunt. Providendum ne inhumati jacerent? locum (21) ſepulturae praebuerunt. Augendi honoribus? honorificis

(20) Operae fuerit monumenta indicare aliquot, in quibus & miſeriarum, quibus hi Noſtri premebantur, & opis eis latae a Capitulo fit mentio. Uſq. ad annum 1213. cum ceteri paſſim clerici a collectis immunes eſſent, ſoli *Clerici* ſive *Confratres PAVPERIS Congregationis Salvatoris* (ſic enim ab Anſelmo hi Noſtri vocantur in diplomate, quod mox ſect. II. num II. proferam) iis perſolvendis obnoxii erant. Verum non tantum conſentiente Capitulo, ſed & pro iis agente & urgente, ab eo onere PAVPER Noſtrorum CONGREGATIO ab onere, intolerando liberata fuit. Vide infra loc. cit.

Nec diſſimilia tum extremae Hebdomadariorum inopiae, tum Capituli opitulantis documenta exſtant in Bernardi Archiepiſcopi diplomate apud Chioccarellum pag. 239. Item in alio Ludovici Archiep. ex Hannibalis de Capua Viſitatione Hebdomadariorum. fol. 385. Item in alio Nicolai Archiepiſcopi ibid. fol. 392. & Gaſparis Archiepiſcopi ibid. fol. 386.

Eadem Hannibalis de Capua Viſitatio Hebdomadariorum videatur fol. 461. ubi recenſet beneficia quae *per Dominum Archiepiſcopum & Capitulum unita* eidem Congregationi ad ejus miſeriam ſublevandam fuere.

Ac plura paſſim hujuſcemodi documenta exſtant in toto Chioccarelli Chronico Archiep. Neap.

Verum quid vetuſtis documentis immoror, cum proxime ante hos minus triginta annos ingenti Capituli munificentia noſtros Hebdomadarios fuiſſe ditatos conſtet? Nam cum Hebdomadariis ſeorſum a Capitulo procedere ad exſequias non liceret, Canonicis vero ab exſequiis abſtinere libuiſſet; rogantibus Hebdomadariis poteſtas prodeundi ad exſequias facta a Capitulo fuit. Ex qua una Capituli indulgentia quam prolixa quotidie ad eos emolumenta redeant, nemo non videt. Itaq. quod hodie bellum adverſus Canonicos movent, id totum ex funeraria pecunia (ex qua etiam tota fere eorum victus ratio pendet) ſuſtentatur.

Ac mirari certe noſtrorum hominum πολύμορφον (*multiformem*) habitum oris atq. effigiem ſubit. Ubi rogandi neceſſitas urget; demiſſe, abjecte, ſuppliciter, tantum non corpore toto procumbunt. Ubi petita impetraverint; tantum repente fiduciae ac ſpiritus illis accedit, ut ſe Canonicis pares glorientur; imo ſe Latinos Stephaniae Canonicos, nos pro Graeculis Canonicis habeant, ac Byzantino fermento imbutis: ſi recte jactata a cauſidicis in Hebdomadariorum diſceptatione cum Canonicis S. Joannis Majoris interpretor.

(21) Anno 1414. ſub Archiepiſcopo Nicolao

Digitized by Google

cis (22) insignibus plurimis condecorarunt. Nec mutant factum, aut a viris indulgentissimis asperi quidquam in eos extunditur: idque nunc cum maxime, cum quorsum ista semper lenitas evaserit, sero animadversum fuit. Quandoquidem bellum (quod quo potissimum nomine appellem, nescio) bellum, inquam, adversus bene semper de se commeritos conflaverunt, vix aliquando auctoritate supremorum tribunalium restinguendum. Sed querelarum satis.

Nunc hoc potissimum ordine utemur. I. Primum commentitiam nostrorum Hebdomadariorum originem refellemus: II. deinde veram ac genuinam detegemus: III. postremo quam ipsi antiquissimam sane originem Canonicis Neapolitanis largiuntur, eam tantam ac sane nimiam dignitatem ultro repudiabimus. Nec enim falsis capimur titulis: vera tantum ac solida ornamenta tuemur.

SECTIO I.

Commentitia hodiernorum Hebdomadariorum origo confutatur.

Cathedrali Ecclesiae Neapolitanae hoc tempore LXX. personae Ecclesiasticae (totidem ac Mediolanensi) deserviunt, sic distinctae: nempe in triginta Canonicorum Capitulum, in duorum & viginti Hebdomadariorum congregationem, itemq. alterum octodecim presbyterorum numerum. Hi porro ultimi octodecim presbyteri usitatiore nomine *Quadraginta* vocantur ob eam causam, quod simul cum XXII. Hebdomadariis quadragenarium numerum expleant. Etsi hinc potius verissime arguitur, parem omnibus quadraginta primitus fuisse originem ac naturam, sed postea ex antiquo illo quadragenûm corporatorum numero duos & viginti confratres Hebdomadariorum nomine & officio fuisse donatos, ceteros vero octodecim in primaevo gradu stetisse. Sed de his ubi se dabit occasio fusius.

§. I. *Quam perverse chronographi Joannis loco Hebdomadarii nostri abutantur, ut genus suum ad S. Athanasium auctorem referant: cum contra certissimum sit, iis verbis Neapolitanos Canonicos designari.*

Nunc videamus ecquam sibi originem primam Hebdomadarii arrogent. Ajunt nimirum, se ab S. Athanasio Episcopo nostro, qui IX. saeculo sedit, fuisse institutos. Etenim sanctissimus Praesul statuit, ut in Ecclesia Salvatoris sive Stephania Missarum sollemnia quotidie celebrarentur. *Ordinavit*, (inquit Joannes diac. in Chronico Episc.) *ut in Ecclesia*

colao de Diano conquerentibus Hebdomadariis, confratres suos cogi extra cathedralem locum sepulturae sibi quaerere, a Capitulo honorificentissimus sepulturae locus concessus in media Cathedrali fuit: de quo videatur Chioccarellus in Nicolao, & Visitatio Hannib. de Capua fol. 401.

(22) Trita sunt quae honoris illustria monumenta a Capitulo in suos Hebdomadarios exstiterunt, tum in honorificentius sedendo, tum in indumentis, quibus in Choro utuntur. Quo referendum est, quod cum usq. ad hujus saeculi exordium rocchetis sine manicis uterentur, indulgentia Capituli eisdem manicatum rocchetum (aeque scil. ac Canonicis ipsis) concessum fuit: quod fidem superaret, nisi nostra id memoria factum esset.

Digitized by Google

eleſia Salvatoris omni die miſſa publica cum diptychis celebretur, offerens ibidem terras, ex quibus ejuſmodi aleretur collegium. Atque id Collegium *Congregationem* hodiernorum Hebdomadariorum interpretantur; & quae poſſident ipſi praedia, ea ab ſanctiſſimo illo Antiſtite ſibi relicta volunt.

Verum ſplendide falluntur. Nam etſi nimia plerumq. breviloquentia chronographus noſter lectorem perimat; tamen quia coetum ab Athanaſio inſtitutum COLLEGIVM nuncupavit, ſatis eo uno vocabulo ſpem omnem Hebdomadariorum praecidit; quia id nomen nono maxime ſaeculo non poterat, niſi de Canonicorum collegio intelligi. Etenim ex quo *Canonicorum* nomen & inſtituta invaluerunt, horum coetus *Collegia* vocari coeperunt: nam nomen *Capituli* diu poſtea inductum fuit. Ludovicus Pius in Epiſt. ad Sicharium Archiep. Burdegalenſem: *Sed & his qui in uno COLLEGIO CANONICE degunt, tenendam* (Regulam illam de Canonicis in Concil. Aquiſgranenſi conſtitutam) *obſervandamque ... conferas.* Nec pluribus exemplis opus eſt, quando Freſnius ipſe in ſuo Gloſſario eam vocem *proprie de Canonicis dici*, pro explorato habet. Atqui Hebdomadariorum corpus, numquam aliter quam ſive *Confratantium*, ſive *Congregationem Salvatoris* vocatam reperies, incipiendo ab eo uſq. tempore, quo Anſelmus Archiep. ann. 1213. eos a collectis exemit, atq. in Paulum III. Pont. Max. deſinendo, qui anno 1536. *Hebdomadarios ſeu Congregationem Cappellanorum* appellavit. Nos ipſi infra ex monumentis ad intermedios trecentos annos ſpectantibus ea, quae ad hanc nomenclationem pertinent, ſedulo delibabimus. Nec aliter quam *Congregationem* aut *Confratantiam* eoſdem accuratiſſimus Viſitator Hannibal de Capua nuncupavit. Etſi (quid enim vera diſſimulare attinet?) idem Hannibal in *Statu Eccleſiae Neap.* quem ſuo loco laudabimus, primus omnium *Collegium presbyterorum num. XXII. qui vocantur Hebdomadarii*, minus proprie nuncupavit. Sed omni praeterito tempore *Congregatio* vocabatur. Itaq. ſicuti ubi Canonici ad deliberandum coeunt, *Capitulum*, ſic illi deliberaturi *Congregationem* convocare hodieque dicuntur, non vero ſive *Capitulum* ſive *Collegium*. Ergo Hebdomadarii hodierni nihil prorſus commune cum Athanaſiano *Collegio* (quod re vera Canonicorum, uti mox plenius demonſtrabitur, fuit) habuerunt.

Accedit & illa ratio haud paullo gravior, quod his verbis, *offerens terras, ex quibus ejuſmodi ALERETVR COLLEGIVM*, Canonicorum vita deſcribitur, quae in Capitul. I. Caroli Magni ann. 805. cap. 8. 9. *Canonica conſtitutio* aut *inſtitutio* vocatur. Eadem quoq. & ex legib. Langob. ſatis innoteſcit. Ad ſummam tam ſaeculares quam regulares Canonici vivebant communiter, in eodem veſcentes refectorio, & in eodem dormitorio cubantes. Hinc Canonicorum vita in *Collegialitate* (quae vox ſequioribus temporib. idem quod vivere *collegialiter* ſeu communiter ſignificabat) ſita erat. Ergo illud *Aleretur Collegium* eam quam

Digitized by Google

dixi *Collegialitatem* designat. At postea dividiae inter Canonicos fieri coepere, ita ut alii *Regulares* (qui scil. secundum *regulam* S. Augustini viverent) *Canonici* dicerentur, alii *saeculares canonici* qui nim. *canonice* h.e. secundum canones viverent. Apud hos etiam vita communis aliquamdiu perseveravit, sed laxior, ita ut non omnis peculiaritas excluderetur. Ac tandem *terras*, *ex quibus* (uti verbis Joannis diac. utar, quae exponenda suscepimus) *ejusmodi alebatur collegium*, inter se divisere: quae portiones, *Praebendae* sunt appellatae. Itaq. ubi Neapoli Canonicorum vita communis extingui coepit, ex iis terris ab S. Athanasio relictis praebendae hodiernorum canonicatuum XIV. praebendatorum ortae fuerunt; non vero Fratantiae Confratrum Salvatoris (de quibus infra dicam: quae tamen S. Athanasii tempore non dum in rerum natura erant) ex quibus Confratribus haud dubium est quin ad ultimum hodierni Hebdomadarii prodierint, ut infra declarabimus.

Manifestum est igitur, in recitato chronographi Joannis loco primam Canonicorum communiter in uno claustro degentium institutionem Neapoli factam contineri. At cur, inquis, nullam *Canonicorum* mentionem fecit? Quanti laboris erat eos *Canonicos* nuncupare? Quia, inquam, in tota quidem Gallia Carolo Magno subjecta (quo ambitu etiam magna Germaniae pars tunc continebatur) *Canonicorum* nomen una cum re jam ante nostrum Athanasium usurpabatur: at in Italia *Canonicorum* nomen tunc inauditum erat; ac vix ante decimum extremum saeculum ac maxime XI. & XII. in usu esse coepit. Itaq. hi nostri Canonici ab Athanasio instituti, dum ab Joanne diac. dicuntur eumdem institutorem suum ab Duce Neap. vexatum solati, ac fugientem in Insulam Salvatoris secuti, non aliter ab eodem quam *Clerici* aut *Clerus* (familiare Canonicor. nomen, uti Par. I. cap. VI. dixi) nuncupantur.

§. II. *Multo perversius loco vitae longioris S. Athanasii utuntur, ut ab Athanasio originem sibi arrogent: cum tamen is locus manifeste de septem canonicis presbyteris Cardinalibus Neapoli ab S. Antistite ad Ecclesiae Romanae instar ordinatis sit capiendus.*

Nec tamen quia prior conatus parum successit, animis hi Nostri concidunt; verum ad longiorem Athanasii vitam, tamquam ad sacram anchoram, confugientes, ejus locum videlicet inexpugnabilem producunt in aciem. Cujus auctor num. 14. ita scripsit. *Hic itaq. zelo fretus divino, constituit SACERDOTES HEBDOMADARIOS in Ecclesia Domini Salvatoris, quae Stephania vocatur, qui in ea continuis diebus publicam Missam celebrarent, sicut mos est Ecclesiae Romanae: in qua etiam ad eorum sumptus necessarias rerum distribuit opes.* Quos porro hic scriptor *Sacerdotes Hebdomadarios* vocat, quinam, inquiunt, alii fuerint, quam qui hodiedum in Metropolitana Ecclesia id nomen tuentur? Verum id commentum duabus ex causis facillime evertitur.

I. Pri-

Digitized by Google

I. Primum enim non est credibile S. Episcopum munus publice offerendi sanctissimum redemptionis mysterium (quod Episcoporum erat peculiare , quibus impeditis , non nisi potioribus presbyteris deferebatur) inferiori cuidam sacerdotum ordini potius , quam suae Ecclesiae Canonicis Cardinalibus demandare voluisse . Cardinalium Ecclesiae Neapolitanae tum S. Gregorius alicubi (vide sup. in Adnot. 14.) mentionem facit , tum etiam Joannes noster diaconus in Stephano II. (qui VIII. saeculo Stephaniam reparavit , eiq. nomen *Ste[illegible]niae* indidit) pag. 310. B. his verbis: *Leonem cognomento Maurunta CARDINALEM ordinavit PRESBYTERVM*: idemq. ex omnis aetatis subscriptionibus chartarum Neapolitanarum constat. Ergo Athanasius non aliud quam modo dictum Cardinalium Sacerdotum Hebdomadarior. Collegium ordinasse omnino credendus est , quibus & munus publicae Missae quotidianae, & alimonias ex donatis a se praediis redeuntes assignavit .

Et hanc quidem ejus loci interpretationem esse verissimam , illud quoq. ostendit , quod addit , *sicut mos est Ecclesiae Romanae* . Nam Romae jam ante Stephanum IV. *Hebdomadarii* , quibus publicas Missas celebrandi onus incumberet , non alii quam Episcopi Cardinales erant . Ejus rei auctor est Liber Pontificalis in Stephano IV. aliter III. (qui ab anno 768. rexit Ecclesiam) his verbis : *Hic statuit ut omni Dominico die a septem Episcopis CARDINALIBVS HEBDOMADARIIS , qui in ECCLESIA SALVATORIS observant Missarum sollemnia , super Altare beati Petri celebraretur , & GLORIA IN EXCELSIS DEO diceretur* . Hic vero illud primum sedulo notandum est , hosce septem *Cardinales Episcopos* haud diversos ab illis fuisse, qui nunc in Romana Ecclesia *Cardinales Episcopi* vocantur : nisi quod hodie sex tantum numero sunt . In antiquo libro Rituali Romano (cujus locum integrum Baronius ad ann. 1057. num. 19. recitavit) sic legitur : *Haec* (Lateranensis Ecclesia Salvatoris) *habet septem Cardinales Episcopos , hosq. dictos Episcopos COLLATERALES itemq. & HEBDOMADARIOS , eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis*. Episcopi Cardinales erant hi : *Episcopus Ostiensis , Episcopus Portuensis &c.* Facit huc etiam Petrus Damiani II. ep. 1. *Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo . . . septem Cardinales habet Episcopos* (eid. scil. Ecclesiae incardinatos) *quibus solis post Apostolicum , sacrosanctum illud Altare licet accedere , ac divini cultus mysteria celebrare* .

Illud deinde propius ad verborum ex libro Pontificali initio productorum intelligentiam spectat, nim. septem illos *Episcopos Cardinales* (quos Romanae Salvatoris Ecclesiae affixos ceu cardines diximus) non tum primum a Stephano IV. fuisse institutos (nec enim id Liber Pontificalis dicit , sed potius contrarium arguit) verum jam ante exstitisse, iisq. incubuisse , ut in Ecclesia Salvatoris quotidie Missam publicam celebra-

Digitized by Google

rent (quod imitatum esse Athanasium in sua Salvatoris Ecclesia , notant illa chronographi verba , *sicut mos est Ecclesiae Romanae*) quocirca Stephanum non aliud jussisse , nisi ut diebus Dominicis ab illis ipsis Hebdomadariis jam antea ordinatis Missa in Altari B. Petri celebraretur . Itaq. verba modo recitata sic sunt ordinanda & commode supplenda: *Hic statuit , ut a VII. Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui* (ex antiquiore instituto jam pridem) *in Ecclesia Salvatoris observant Missarum sollemnia , die Dominico super Altare B. Petri celebraretur &c.* Vides igitur ut chronographus noster & Liber Pontificalis mutuam sibi lucem affundant . Ergo quod Romae in Ecclesia Salvatoris jam diu fiebat , idem Athanasius in sua cognomine Ecclesia imitando expresit . Cumque Romae non nisi Cardinales Hebdomadarii in Lateranensi *Salvatore* quotidie sacra facerent (idq. uti dixi , ex antiquiore instituto : cui Stephanus Papa hoc tantum addidit , ut iidem Hebdomadarii diebus Dominicis super Altare S. Petri sacrificarent) etiam in Neapolitano *Salvatore* Athanasius non nisi suis Cardinalibus id munus assignasse credendus omnino est : *Sicut mos est* , inquit , *Ecclesiae Romanae* . Ex quo & illud postremo intelligitur , defectum illum , qui hodieq. in Capitulo Neapolitano perdurat , septenorum presbyterorum Cardinalium numerum non a Constantini Magni (quod vulgus nostrorum scriptorum hactenus credidit) sed ab Athanasii ordinatione profectum , qui cum in omnibus hisce Romanam Ecclesiam imitatus dicatur, etiam in Hebdomadariorum sacerdotum numero Romanae Ecclesiae imaginem sine controversia expresit .

Dixeris , haud recte Athanasianos Hebdomadarios (si quidem septem presbyteri Cardinales fuerint) Hebdomadariis Lateranensibus aequiparari ; quia hi Episcopi erant , at Athanasiani non nisi presbyteri . Verum Athanasius quatenus potuit , pares fecit : qui quia Episcopos in sua Ecclesia ordinare non potuit , secundi ordinis sacerdotes cardinales ordinavit . Praesertim cum etiam Romae in quatuor ceteris Patriarchalibus basilicis septeni Cardinales presbyteri (utiq. Hebdomadarii , & ad Missas quodidie publicas celebrandas comparati) fuisse affixi reperiantur: quorum singulorum titulos Baronius (ad annum 1057. num. 20.) ex antiquo rituali libro Vaticano, quem supra laudavi , recenset : quem vide , si tanti est . Vides profecto quam late ea consuetudo in Romana Ecclesia patuerit ; ut proinde merito Athanasianae vitae auctor (qui saeculo XI. scripsit) adnotarit illud : *Sicut mos est Ecclesiae Romanae* .

Ceterum quod idem Athanasianus biographus de prodendo *Sacerdotum Hebdomadariorum* numero deq. aliis circumstantiis se parum sollicitum gesserit , ea est causa , quod omnia ad instar Romanae Salvatoris Ecclesiae , conformasse Athanasium , admonere satis habuerit . Satis ceteroqui usitata ea est auctorum breviloquentia : quibus satis est praesenti saeculo scribere , imo mutire interdum potius quam eloqui .

At

Digitized by Google

At in longiore Athanasii *Legenda* olim hoc fuisse lectum, nim. canonicatus XIV. (septem scil. presbyterales, totidemq. Diaconales) ab S. Athanasio erectos fuisse, innuit Chronicon S. Mariae de Principio fol.6.v.6. Quem locum sect. 3. adscribemus & elucidabimus. Ergo Athanasiani Hebdomadarii non alii profecto fuere, quam septem Capituli nostri Presbyteri Cardinales ab Athanasio cum onere Missae publicae quotidianae instituti: quibus idem Pontifex *terras* attribuit, *quibus eorum aleretur collegium*, uti loquitur Joannes Diaconus: ex quibus opinor terris illae septem presbyterales praebendae postea constiterunt: supra quas Cimeliarchalis hodie dum opimissima est.

At vero hodierni XXII. Hebdomadarii nihil prorsus cum S. Athanasio commune habent; ut qui nono saeculo non dum in rerum natura exstiterint, aut, si fuisse contendas, aliud longe erant, nec nisi *Confratantiam* quandam Salvatoris componerent; nec demum nisi medio XIV. saeculo *Hebdomadariorum* nomen sibi adscisere coeperint. Quae qualia sint, jam exponere aggrediar.

II. Nam altera causa, quae fateri cogit, hodiernos Hebdomadarios diversissimos ab Athanasianis fuisse, ea est, quod Hebdomadarii qui nunc sunt, usq. ad initia saeculi XIII. non aliud quam meri *Clerici Confratres Congregationis Salvatoris* fuerint; nec nisi medio demum XIV. saeculo *Hebdomadariorum* nomen assumere coeperint. Hoc totum ex quantivis pretii monumentis constat, nim. ex Anselmi Archiepiscopi diplomate, ex antiquiore hodiernorum Hebdomadariorum epithaphio & ex pluribus aliis chartis. Verum praestabit in §. seq. ea integra rejicere.

§. III. *Hodiernos Hebdomadarios XIII. saeculo non aliud fuisse quam clericos inferiores collectitios ac simul Confratres Congregationis S. Salvatoris, ex Anselmi Archiepiscopi diplomate fusius exposito, & ex aliis monumentis ostenditur.*

Ab Anselmi diplomate ordiar. Anno 1213. (h. e. centum ipsis ante constructionem hodiernae Cathedralis annis) Anselmus Archiep. Neap. Clericis Congregationis Salvatoris exemptionem a collectis concessit dato diplomate, quod Chioccarellus integrum pag.145. retulit: ex quo tantum quae huc pertinent, decerpam. Expositio incipit. *Cum ergo dilecte & carissime in Domino fili, Aegidi Cimiliarcha Neapolitanae Ecclesiae* (ad quem potissimum, utpote Confratantiae praefectum, diploma dirigitur) *Tu, & socii tui CLERICI CONGREGATIONIS SALVATORIS &c.* Licebit hic paullisper morari. I. Ac primum dubium nullum est, quin quos *Clericos Congregationis Salvatoris*, nec non infra *FRATRES dictae Congregationis Salvatoris* appellat, sint illi ipsi, qui nunc *Hebdomadarii* vocantur, & duorum supra viginti numerum explent: quod nemo adhuc ipsorum negavit; nec negari ab ullo potest, satis id Cimeliarchae praefectura demonstrante, quae hodie dum penes Cimeliarcham est. Nam

quo

Digitized by Google

quo ſenſu SOCII vocentur, videbis inferne (23) expoſitum. II. Deinde hos ſive *Clericos* ſive *Fratres* ſive *Clericos Confratres Salvatoris* (totidem enim modis vocabantur) qui poſtea *Hebdomadarii* nuncupari coeperunt, nihil prorſus cum *Hebdomadariis Sacerdotibus* ab Athanaſio inſtitutis habuiſſe commune, palam Anſelmi tempore intellectum fuit. Nam ſi ab Athanaſio inſtitutore deſcendiſſent, numquam *Clerici* aut *Fratres*, ſed *Sacerdotes Hebdomadarii* (ut ante ferme ducentos annos auctor Athanaſianae vitae vocaverat) appellati fuiſſent. III. Poſtremo quia hoc diploma novae hodiernae Cathedrali centum ipſis annis anteceſſit, & adhuc ſtante Stephania ſive *Salvatoris Eccleſia* (quae poſtea in *S. Reſtitutae* nomen tranſiit) ſcriptum fuit; hi *Clerici* ſive *Fratres Salvatoris*, ad eam ipſam Salvatoris baſilicam pertinebant, quae hodie *S. Reſtituta* vocatur (de qua ſatis Parte I. diximus) ibiq. ſub Cimeliarcha & hodierno Canonicorum Capitulo (quibus nim. ſe pares jactitant) infimis Eccleſiae obſequiis deſerviebant. Valeant igitur Romani cauſidici, qui hodiernis Hebdomadariis peculiarem baſilicam ab hodierna S. Reſtituta diſtinctam aſſignarunt, cujus Canonicos fuiſſe ſomniarunt. Imo ſi ſapiunt, agnoſcant neceſſe eſt, ſeſe inferiores Clericos antiquioris Cathedralis

(23) Ea notione Hebdomadarii noſtri *Socii* Cimeliarchae ſunt, qua ſuos milites imperator *Socios* & *commilitones* vocat; & qua Conſtantinus eos qui dignitatibus palatinis fungebantur, *Comitum* h. e. ſociorum Imperatoris titulo decoravit; quod nomen poſtea titulus dignitatis evaſit. Ceterum tantum abeſt, ut *Socii* nomen ad parilitatem ullam ſignificandam uſurparit Anſelmus, ut in eo ipſo diplomate Confratres iſti (qui nunc Hebdomadarii dicuntur) Cimeliarcham tamquam ſuum Praelatum agnoverint. Nam ad calcem diplomatis poſt Archiepiſcopi & Canonicorum ſubſcriptiones ſic Chioccarellus in exemplari tabularii Hebdomadariorum ſcriptum invenit: *Hoc privilegium impertivit Magiſter Aegidius de Ariano Cimeliarcha.* Et fateor quidem, hanc adnotationem ex Hebdomadariorum id temporis inſcitia profectam. Verum numquam ea ſcripſiſſent, niſi omni tempore permagnum Cimeliarchae faſtigium ſupra Hebdomadarios fuiſſet. Adde quod olim Cimeliarcha ſupra Chorum ſua gentilitia arma figebat. In Congregationis comitiis binis ſuffragiis Cimeliarcha hodie dum fruitur. Uſq. ad hodiernum diem in Choro & in proceſſionibus (modo ceteri Canonici abſint) baculum ornatum in ſignum praefecturae gerit; nec ullum ex Hebdomadariis ad latus in procedendo admittit; ut hinc intelligas quo ſenſu *ſocii* vocentur. Mitto ceteras ejus poteſtates atq. praerogativas.

Poſtremo illud quoque, cur *Socii Cimeliarchae* dicantur, oſtendit, quod ſcil. ſicuti Canonici Archiepiſcopum tamquam ſocii circumſtant, & euntem ad Eccleſiam aut redeuntem *aſſociant* (hoc enim verbo libri rituales utuntur) ſic etiam Hebdomadarii Cimeliarcham uti praelatum ſuum *aſſociabant*. Certe *aſſociandi* verbo utitur liber Comitis (vulgo *Comitus*) in Archivo Capituli aſſervatus fol. 43. a tergo his verbis: *Item in la ditta Eccleſia de ſanto Andrea* (quam paullo ſuperius dixerat, prope hodiernam turrim campanariam fuiſſe ſitam) *ſe canterà la Meſſa per li Edomagdarii de la magiore Eccleſia de Nap. & in ditta meſſa ntevenerà lo Cimiliarcha ADSOCIATO con li ditti Edomadarii. Et queſto è coſtumato fare.*

Quo etiam illud pertinet, quod ſicuti Canonicorum coetus interdum hujus aut illius *Epiſcopi Capitulum* dicitur; haud ſecus Archiep. Joan. Vrſinus alicubi in ſua Rituali collectione Hebdomadarios cum aliis XVIII presbyteris vocat *Capitulum Cimiliarchae*. Qui tamen locus (qui in Excerptorum Tutinianorum cap. 31. legitur) quorſum ſit accipiendus, praeſtabit alibi accurate per otium excutere.

Digitized by Google

dralis (quae hodie *S. Reſtituta* vocatur) fuiſſe, ejuſq. inferioribus obſequiis mancipatos. Porro cur idem poſtea ſequenti ſaeculo *Confratres Salvatoris* cum adjectione *VETERIS* vocari coeperint, in loco exponetur.

Pergit vero Anſelmus: *Cum .... humiliter & frequenter ſupplicaveritis nobis, ut intuitu obſequiorum, quae jugiter ac ſtudioſius impendebatis Eccleſiae Neapolitanae* (ſic enim eo tempore Cathedralis vocari conſuevit, quae olim *Eccleſia Salvatoris* aut *Stephania* dicebatur: vide Parte I.) *CIRCA CELEBRATIONEM DIVINORVM OFFICIORVM*. Hic vero ſedulo notandum eſt, clericos hoſce non *celebrandis divinis officiis*, ſed *circa eorumdem celebrationem* ſua obſequia impendiſſe, humiliora ſcil. cujuſmodi ab inferioribus clericis praeſtari conſueverunt. Nec enim, uti diximus, illi Athanaſiani *Sacerdotes Hebdomadarii* erant (qui re vera ad inſtar Romanae Eccleſiae inſtituti, non alii quam ſeptem Cardinales presbyteri praebendati fuerunt, & adhuc ſunt) ſed meri inferiores Clerici & Confratres Salvatoris, in inferioribus divinorum officiorum miniſteriis occupati.

Sequitur: *Providere deberemus PAVPERI Congregationi veſtrae Salvatoris*. At quo pacto *pauperem* eorum Congregationem vocaret, ſi quidem iis Athanaſius uberis glebae latifundia dono dediſſet? quae videlicet hodierni Hebdomadarii ea ipſa eſſe, quae nunc poſſident, tanta confidentia pejerant, quaſi ſi adhuc tabulas Athanaſianae donationis cum finium deſignatione in ſuo tabulario aſſervarent. Quid vero tricari juvat? Si hodiernorum Hebdomadariorum congregatio ſub Anſelmo PAVPER erat, non potuit illud eſſe *Collegium*, quod Joanne diacono teſte, Athanaſius oblatis a ſe terris ditaverat.

Venio jam ad διάθεσιν (*diſpoſitionem*) diplomatis. *Nos tam ad ſupplicem poſtulationem veſtram, quam & ad PRECES CAPITVLI pro vobis nobis attente porrectas* (ex his vides quid de hodiernis Hebdomadariis jam tum, cum nihil ſupra *Confratres*, quos vulgo nunc *Fratantiarios* vocant, eſſent, Capitulum commeruerit; nec ſecius in eoſdem ſemper omni tempore demerendos ad hunc uſq. diem conniſi fuerunt) *ſupplicationes veſtras tandem de ipſius CAPITVLI CONSILIO .. duximus admittendas. Unde nos volentes vobis & poſteris veſtris* (h. e. hodiernis Hebdomadariis, qui ſe modo *Canonicos* jactitant, modo Metropolitanis Canonicis pares faciunt) *qui divinis officiis* (verum deſerviendo) *& Eccleſiaſticis obſequiis Neapolitanae Eccleſiae jugiter INSVDATIS* (iſtud *inſudandi* verbum palam oſtendit, illorum *Eccleſiaſtica obſequia* etiam in everrendis ſordibus, in lampadum cura, in pulſandis campanis, mortuis ſepeliendis, & id genus aliis laborioſis *Copiatarum* miniſteriis, de quibus alibi dicam, fuiſſe verſata) *ſuper hoc gratiam facere ſpecialem, authoritate praeſentium dictum Congregationem veſtram Salvatoris ab omni COLLECTA eximimus.* Eam autem exemptionem ii poſtu-

Digitized by Google

postulasse in fine expositionis, quem omisimus, dicuntur. Quid porro *Collectam* tunc vocaverint, videatur inferne (24) expositum.

Pergit porro Archiepiscopus. *Statuentes ut & vos FRATRES dictae Congregationis Salvatoris* (hoc enim *Fratrum* aut *Confratrum* & *Confratantiae* nomen hodiernis Hebdomadariis tunc peculiare fuisse, etiam ex eorum antiquiore sepulcro mox ostendetur) *tunc solum collectis faciendis teneamini conferre, quando & ALII CLERICI tam NOSTRAE MAIORIS ECCLESIAE* (ex his vides, in Majore Ecclesia duplex Clericorum fuisse genus; alios fuisse incardinatos & titulares, qui jam antea exempti a collectis fuerant; alios vero collectitios, ac tantum Congregationis Salvatoris Confratantiae adscriptos, & ad laboriosa Ecclesiae obsequia deputatos: qui nondum a collectis exempti fuerant) *quam & omnes alii de civitate* (clerici titulares) *ad contributum .. personaliter vocabuntur &c.*

Hactenus ex Anselmi litteris quae usui fuere, deprompsimus: quarum postea confirmatio impetrata fuit tum ab Archiepiscopo Petro (& quidem bis, semel post electionem anno 1217. rursus ab eodem jam consecrato ann. 1238. apud Chioccar. in fine pag. 159.) tum etiam a Gregorio Papa IX. anno 1235. In his autem confirmationibus eadem prorsus Fratrum Congreg. Salvatoris nomenclatio occurrit. Petri enim litterae (apud Chioccar. pag. 146. initio) ita incipiunt: *Petrus Dei gratia Neapolitanus Electus dilectis in Domino filiis Cimiliarchae & FRATRIBVS Congregationis S. Salvatoris in perpetuum*. Gregorii vero IX. confirmatio exstat in Visitatione Cathedralis per Hannibalem de Capua ann. 1583. fol. 384. quae sic incipit: *Gregorius ... dilectis filiis Joanni Cimiliarchae ac Clericis Sancti Salvatoris* (25) *Neapolitani salutem*. Atque haec de priore monumento exemptionis *Fratribus Salvatoris* ab Anselmo & Petro Archiepiscopis concessae.

Tametsi vero nemo hactenus fuit, qui in dubium revocaverit, quin *Fratres illi pauperis Congregationis Salvatoris* hi ipsi fuerint, qui hodie *Hebdomadarii* nuncupantur, idq. satis ex Cimeliarcha fratribus illis, sicuti

(24) *Collectarum* consuetudinem, imo & nomen fuisse Nortmannicorum temporum, declarat charta Alexandri Comitis Cupersanensis ann. 1102. apud Fresnium his verbis: *DATA vel ANGARIA vel ADIVTORIVM, quod ex nostrae gentis* (Nortmannicae) *consuetudine COLLECTA vocatur*. Matthaeus Paris ann. 1239. *Talliae & collectae clericis .. imponuntur*. Idem ann. 1245. *Jussit ... quasdam collectas & tallias tam in Clero, quam in populo fieri graviores*. Tametsi vero totum hoc collectarum negotium per Nortmannica tempora (in quae Anselmi diploma incidit) maximo in usu fuerit; occurrit tamen tanto ante id nomen apud Gregorium Magnum lib. VII. ep. ult. & etiam in Glossis veterib. in quibus *Collecta* redditur *ἐρανος* h. e. Collatio pecuniae.

(25) Notanda porro est haec inscriptio, per quam clericos illos ad celebrem Neapolitanam *S. Salvatoris* ecclesiam pertinuisse, significatur: quae, postquam nova haec Cathedralis exstitit, *Sancta Restituta* vocari coepit. Nam illud *Sancti Salvatoris Neapolitani* discriminis causa posuit, ne forte cum Romana *Sancti Salvatoris* ecclesia, h. e. Lateranensi confunderetur.

Digitized by Google

ſicuti & hodiernis Hebdomadariis, praepoſito conſtat; tamen per alia plura monumenta praecaveri oportet, ne cui forte aliquando diverſitatem utriuſq. coetus cauſari in mentem veniat. Etenim in Viſitatione Hebdomadariorum ab Archiepiſcopo Hannibale de Capua anno 1583. facta fol. 324. inter monumenta ab ipſis Hebdomadariis producta eſt inſtrumentum anno 1379. celebratum in quo ſic legitur: *Item dictus teſtator legavit . . . FRATANTIAE S. Salvatoris veteris de Archiepiſcopatu Neapolitano domos ipſius teſtatoris*. Et fol. 387. in inſtrumento anni 1524. hi noſtri dicuntur *Hebdomadarii & CONFRATRES Majoris Eccleſiae Neapolitanae*. Fol. 351. in inſtrumento anni 1530. vocantur *Confratres Congregationis S. Salvatoris veteris Majoris Eccl. Neap.* Poſtremo in antiquiore Hebdomadariorum ſepulcro ſic olim inſcriptum fuiſſe ajunt: SEPVLCHRVM CONFRATANCIAE S. SALVATORIS VETERIS: Etſi locum tantum, ubi antiquius eorum ſepulcrum ſteterit, commonſtrare (26) eis poſſum: at ubinam ejus antiquioris inſcriptionis mentio fiat, nondum reperi. Ex omnibus autem chartis proxime relatis facile quivis intelligit, *Clericos fratres Congregationis Salvatoris*, ab Anſelmo a collectis exemptos, haud alios profecto fuiſſe, quam qui mox ſaeculo XIV. *Hebdomadarii* vocari coeperunt, aut conjunctis nominibus *Hebdomadarii* ſimulque *Confratres Salvatoris*.

Poſtremo hoc inter Anſelmi diploma ſimulque alia monumenta, quae hodiernae Cathedralis erectionem anteceſſerunt, interque illa quae proxime ultimo loco ex Viſitatione Hannibaliana memoravimus (quae poſteriora Cathedrali hodierna ſunt) intereſt, quod in illis *Confratres Sancti Salvatoris* ſine adjectione alia vocantur, cum contra in his ſcribatur *Salvatoris Veteris*. Cujus diſcriminis veriſſimam cauſam jam alibi Parte I. aſſignavimus & mox in fine hujus ſectionis plenius exponemus.

Ex iis porro quae hac tota ſectione hactenus ediſſeruimus, apertiſſime diſcimus, *Confratres S. Salvatoris*, qui non niſi abhinc quadringentos annos *Hebdomadarii* vocari coeperunt (certe longe alia notione quam in S. Athanaſii vita) nihil prorſus cum Athanaſianis Hebdomadariis (qui ſeptem numero Canonici Cardinales, & ex Athanaſii beneficentia Praebendati fuerunt, & adhuc ſunt) habuiſſe commune: aut vero (quando blanditur eis communio nominis) eoſdem noſtros annorum

(26) In Chronico S. Mariae de Principio fol. 7. praeſcribitur proceſſio quaedam in Anniverſario Omnium defunctorum: qua tum nova Cathedralis, tum etiam S. Reſtitutae eccleſia ambiebatur, & ſupra quaedam ſepulcra peculiares orationes a Canonico celebrante dicebantur. Itaq. praeſcribitur etiam *Oratio in cimiterio hebdomadariorum*. Et ex praecedente oratione apparet, id coemeterium in ala S. Aſprenis (quae nunc obeliſci portam, & S. Januarii theſaurum radit) olim exſtitiſſe. Ex quo etiam intelligitur, hanc proceſſionem diu ante annum 1414. fieri conſueviſſe: nam eo anno Hebdomadariis ſepulcri loco intra Cathedralem carentibus ab Archiepiſcopo & Capitulo conceſſus locus ſepulturae fuit, uti Adnot. 21. praediximus.

Digitized by Google

rum quadringentorum Hebdomadarios, tam fuisse illos ab Athanasio institutos Hebdomadarios, quam Canis caelestis, canis verus, si superis placet, haberi potest.

§. IV. *Occurritur objectionibus, quas Hebdomadarii I. ex vetere traditione, II. ex sigillo cum imagine S. Athanasii desumunt, III. ex eo quod Canonicis origo antiquior a Constantino, non vero ab S. Athanasio fuisse narretur.*

I. A traditione ordiar, qua se Nostri sperant comprobaturos, sese ab S. Athanasio propagatos. At amabo, quodnam hoc genus traditionis est, quae abhinc annos minus centum triginta exorta cernitur? Nam primus quem equidem sciam hujus fabulae ab Athanasio originis meminisse, Caesar de Engenio fuit, vir diligentior, quam ad vera a falsis discernenda perspicacior. Eum (27) vide. Hunc secutus est Barth. (28) Chioccarellus: qui cum vigesimo post Caesarem anno scripsisset; quid miramur, si famam hanc aliquanto confirmatiorem nactus, de ea convellenda minus laborarit? At ante annum 1623. (quo Caesar de Engenio suam Neapolim sacram in lucem protulit) nemo alius hoc dixerat, non Petrus Summontius, ubi de Hebdomadariis nostris agit, non Petrus de Stephano, qui anno 1560. librum *De locis sacris Neapolis* emisit, non ceteris longe antiquior Joannes Villanus, in rebus Majoris Ecclesiae ceteroqui multus. Verum quid hos memoro, cum apertissimum sit, hanc falsam de Hebdomadariorum origine narrationem Hannibali de Capua, rerum ad nostram Cathedralem pertinentium scrutatori eximio, incompertam fuisse? quippe disertim testanti, se de Hebdomadariorum origine & institutione nihil comperti habuisse. Vide (29) locum.

II. Sed

(27) Caesar de Engenio in fine pag. 3. *Vi è parimente la CONGREGAZIONE (Congregationem* vocat non *Collegium*; nec enim in ullo antiquo monumento *Collegium* nuncupatum reperitur, sed semper *Congregatio*) *degli Heddomadarj fin' al numero di ventidue; i quali furono instituiti da S. Attanagio Vesc. di Napoli . . . . Il capo di costoro è il Cimiliarca.*

(28) Chioccarellus pag. 87. post relata vitae Athanasianae verba de Sacerdotum Hebdomadariorum Collegio (quod de septem presbyteris Cardinalibus intelligendum invicte probavimus) per Athanasium instituto, subjicit: *Hoc autem Collegium adhuc in Neap. Ecclesia perdurat, vocaturque CONGREGATIO Hebdomadariorum* (atqui si illud ipsum Athanasianum *Collegium* esset, cur *Collegii* nomen mutasset, & ab Anselmi usq. temporibus *Congregatio* dicta fuisset?) *quae priscis temporibus Congregatio Hebdomadariorum S. Salvatoris Veteris nuncupabatur, & S. Athanasium eorum fundatorem appellant ac praedicant.*

(29) Hannibal de Capua in sua Cathedralis Visitatione, (quam ingenti studio atq. indefessa diligentia factam scriptis tot ingentibus voluminibus posteritati mandavit) ubi de Hebdomadariis agit, aperte ait: *Nec mihi liquet, quo tempore, & a quo fuerit institutum* eorum corpus. Qui certe tunc non videntur suum genus ad S. Athanasium retulisse; nec enim ipsi id Hannibali suggesserunt. Imo nondum sigillum habebant: aut si quod iis erat, nondum S. Athanasii imaginem praeferebat: quod certe strenuissimus Visitator non tacuisset.

Verum cum ea Hannibalis de eorum origine haesitatio Hebdomadaries postmodum male haberet; typum sigilli sui talem ex-

co-

Digitized by Google

II. Sed & ſigilli documento ſcio Hebdomadarios ſuum ab Athanaſio ortum adſtruere: quod nos tamen ſic refellemus, ut ſimul tacitae objectioni (nim. de Salvatoris cum S. Athanaſio in eadem Capella cultu) occurramus. Ergo quia in ejus ſigilli, quo eorum Congregatio nunc utitur, antica parte Divinus Salvator, in poſtica S. Athanaſius (quem videlicet ſui generis auctorem praedicant) ſcalpitur; hinc ſuae ab Athanaſio origini fidem conciliant. Sane Chioccarellus, a quo Hebdomadariorum fundationem ad Athanaſium referri dixi, id ex hodierno eorum ſigillo confirmare non praetermiſit: cujus tamen locum ad obruſſam exigere in ima (30) pagella non pigebit. Verum hoc ex ſigillo ductum ficulneum argumentum eſt: quod ſigillum haud credo diu ante Chioccarellum noſtris Hebdomadariis fuiſſe ullum. Quo certe tempore Hannibal de Capua Hebdomadarios viſitabat, videntur eo (31) caruiſſe.

cogitarunt, ex quo ſuae ab Athanaſio origigini fidem praeſtruerent. Vide quae mox de ſigillo dicentur.

Quin imo hoc ipſo tempore id dare operam hos Noſtros audio, ut ea folia, in quibus incerta prorſus Hebdomadariorum origo deceatur, non ab ipſo viſitatore Hannibale profecta contendant, ſed poſtmodum aliena manu addita. Fabulae. Vide in Monumentis in fine Operis hujus, ubi objecta contra Hannibalianum iſtud (*Nec mihi liquet*) accurate diluentur.

Tametſi quid ea haeſitantis Hannibalis verba inficiamur, cum ea ipſa in *Statu Eccleſiae Neapolitanae* (quem quaſi ſuae Dioeceſeos *Rationarium*, exemplo Auguſti, poſt Viſitationem digeſſit) legantur? Exſtat id volumen in Curiae Archiepiſcopalis tabulario, a me inſpectum. Ex quo cod. fol. 4. haec deſcripſi: *Eſt & aliud Collegium* (redeant hi Noſtri tandem in gratiam cum Hannibale, quippe is primus Hebdomadariorum coetum, non alio quam *Congregationis* vocabulo antea donatum, *Collegium*, ſed improprie, nuncupavit) *Eſt*, inquit, *& aliud Collegium presbyterorum numero XXII. qui vocantur Hebdomadarii. NEC MIHI LIQUET QUO TEMPORE ET A QUO FUERIT INSTITUTUM. Munus tamen eorum &c.*

(30) Chioccarellus de Hebdomadariis pag. 87. *Sanctum Athanaſium eorum fundatorem appellant ac praedicant, & in ejus rei memoriam ab antiquiſſimis temporibus* (uti bono Chioccarello hi Noſtri perſuaſerunt) *ea*

 Congregatio hoc ſigillo uſa eſt, atq. adhuc utitur. At re vera tempore Hannibalis de Capua (de eo ſigillo in ſua Viſitatione tacentis, ac praeterea dicentis, nihil ſe de eorum origine reperiſſe ſcriptum) eo ſigillo nondum utebantur.

Deinde eorum ſigillum ſic Chioccarellus deſcribit. *Ex altera parte eſt Salvatoris imago, ex altera vero S. Athanaſii eorum inſtitutoris, & ante illam Hebdomadarii genuflexi cernuntur.* Mira in hoc ipſo fallendi cupido perſentiſcitur. Nam ſi id ſigillum fuiſſet ſatis antiquum; profecto ante Divinum Salvatorem potius hi Noſtri genua ſua incurvaſſent. Nunc quia id animo inſederat, ut ſollertiſſimi Viſitatoris Hannibalis de eorum origine ſcita convellerent; perverſe admodum in eo ſigillo non ante Dominum Salvatorem (ante quem genu flectebat ipſe Athanaſius) ſed ante Domini ſervum provolvi malunt. Utrique ſaltem (hoc eſt hinc communi Domino, illinc conſervo praepollenti apud Dominum) id culturae genus exhibuiſſent. Quid plura? Quod ſigillum Chioccarellus ab antiquitate, ſibi nimium ab Hebdomadariis venditata, laudat, id per omnia novitatem ſpirat; ac ſaltem poſt Hannibalem de Capua fabricatum neceſſe eſt.

(31) In ſubtiliſſima certe Hannibalis de Capua Viſitatione, nulla eorum ſigilli fit mentio. In quo ſi Antiſtes S. Athanaſium cum circumfuſis Hebdomadariis conſpicatus fuiſſet; certe ubi in ſuo *Cathedralis Statu* ſe originis Hebdomadariorum incertum dixit, hoc ſaltem addidiſſet, ex eorum ſigillo

do-

Digitized by Google

Sed detur, antiquum apud eos aliquod ſigillum fuiſſe. At quis praeſtabit, in eo vetere praeter Salvatorem etiam S. Athanaſii effigiem fuiſſe ſcalptam? Aut ſi id quoq. eis detur; certe reſpondebimus, poſt Hannibalis de Capua Archiepiſcopi aetatem id ſcalpi coepiſſe ob eam cauſam, quam Adnot. 30. aperui. Aut ſi demum ea reſponſione in Hebdomadariorum gratiam uti nolumus; proclive erit reſpondere, eos ob eamdem cauſam, qua Salvatoris vultum ſuo in ſigillo expreſſerunt, etiam S. Athanaſii imaginem exibuiſſe. Nam cur Salvatorem in ſuo typo figuraverint, ea profecto cauſa fuit, quod tum olim ab initio *Congregatio Salvatoris* vocabantur, tum etiam poſtquam novae Cathedralis miniſterio addicti fuerunt, eorum coetus *Congregatio Salvatoris Veteris* (32) vocari coepit, certe quia ad veterem Salvatoris Eccleſiam (poſtea dictam S. Reſtitutam) olim ea congregatio pertinebat. Ab eo etiam factum, ut cum in nova Cathedrali (excunte forſan XIV. ſaec.) exſtructum fuiſſet ſacellum in *Salvatoris Veteris* (illius utique qui in priore Cathedrali colebatur) honorem; placuit Hebdomadariorum Congregationem ei ſacello affigere, eidemq. forſitan Congregationi in poſtico ejus ſacelli locum ad conveniendum aſſignare. De hoc ſacello plura diximus Par. I. Cap. 3. ſect. 2. pag. 22. ubi cur exſtructum, ſicq. vocatum fuerit, explicuimus: de quo & alibi ſaepe recurret differendi locus.

Poſtremo cum in eo ſacello non tantum Salvatoris effigies, verum & SS. Athanaſii & Januarii colerentur (id quod ex documento anni 1598. patet quod in calce hujus libri inter Monumenta reperies) ab eo factum, ut aliquando Hebdomadarii praeter Salvatorem, etiam Athanaſium in ſigillo effigiaverint.

At forſitan objecerint, non ex eo quod in ſacello Salvatoris Veteris etiam Athanaſius coleretur, ob id caſu factum ut Hebdomadarii in ſuo ſigillo S. Athanaſium exhibuerint; ſed contra, quia ſacellum Salvatoris Veteris iſtud Hebdomadariorum (qui nim. ab Athanaſio orti fuiſſent) peculiare erat, idcirco Salvatoris iconi etiam Athanaſium adpictum fuiſſe. Sed reſpondetur, nullum unquam jus Hebdomadariis in id ſacellum competiiſſe (in quo tantum forſitan conveniendi (33) locus iis precario dabatur) deq. eorum in id ſacellum nullo jure locupletiſſimum teſtem exſtare, nim. emphyteuſeos inſtrumentum anno 1450. celebratum, quod inter Mo-

doceri, ipſos ſaltem Hebdomadarios ad S. Athanaſium ſuum genus referre. Ergo id ſigillum eſt Hannibale recentius, ac forſan ſedulo excogitatum, ut, invito Hannibale, ortum ſuum ab Athanaſio adſciſcerent.

(32) *Salvatoris* cum adjectione *Veteris* appellationem nuſquam ante annum 1379. & 1381. reperire mihi licuit. Videbis Ludovici Archiep. diploma (de quo ſect. ſeq. §. 6. parte 2. agemus) in quo ea nomenclatura occurrit.

(33) Hebdomadarios aliquando habuiſſe conveniendi locum in poſtico ſacelli Salvatoris Veteris, ubi nunc Rectoris Seminarii majus cubiculum cernitur, ſunt qui narrent. Sed id totum ab aliis negatur. Etiam ſi vero is eis locus patuerit; tunc precario conceſſus fuerit neceſſe eſt; nam poſtea inde ejecti fuere, ut idem locus Confratriae SS. Sacramenti tribueretur.

Digitized by Google

Monumenta in calce referetur. Deinde quod ad dextrum Salvatoris latus Athanasius depictus cerneretur, eam fuisse verissimam causam, quod sub ejusdem sacelli Ara S. Athanasii pignora requiescerent. Nam nisi ea causa fuisset; debuerat potius Januarius Mart. dextrum latus sibi arrogare. Nunc quia sub sacelli Arâ lipsana Athanasii quiescunt; ob id in vetusta icone (quae etiamnunc in postico altaris ejecta visitur) Januarius patronus & Martyr tantus, laevo ipse contentus latere, dextrum S. Athanasio, utpote domino Capellae, permittit. Vide monumentum anni 1598. quod supra laudavimus: quod in calce reperies.

Et hactenus quidem Hebdomadariorum originis (quam frustra nituntur ab Athanasio ducere: quae tamen re vera ex fortuita S. Athanasii in sacello Salvatoris Veteris sepultura ac subsecuta S. Athanasii imagine, uti dictum est, fidem sibi quaesivit) quaedam lepida in speciem fundamenta praejacta fuerant. At ubi anteacto saeculo excuti codices manu exarati coeperunt; postquam ultimo tandem inventus est praeterea Vitae Athanasianae locus, in quo Athanasius *Sacerdotes Hebdomadarios* (qui re vera septem presbyteri Cardinales erant) instituisse scribitur; facile postmodum fuit hanc speciosam narrationem cudere, nim. Hebdomadarios (quos tamen haud plus quadringentis annis antiquos esse docebitur) ab S. Athanasio fuisse institutos, qui eos proinde tot praediis donatione inter vivos ditaverit (cujus donationis miror quod nondum tabulas authenticas produxerint) ac propterea in eorum sigillo S. Athanasium fundatorem suum exprimi.

III. Postremo objicient, Athanasianae vitae locum non posse de Canonicis intelligi, quippe diu antea Imperiali fundatione a Magno Constantino institutis. At huic tanto decori nuntium ultro remittimus (nec enim falsis delectamur ornamentis, qui veris affluimus) de quo agemus Sect. ultima.

SECTIO II.

Vera hodierni Hebdomadariorum coetus origo & natura panditur.

Cum summa veterum monumentorum de hodiernis Hebdomadariis loquentium inopia laboremus, tum maxime ab anno 1238. (quo anno a Petro Archiepiscopo illis tunc adhuc *Clericis* inferioribus & *Confratribus Congregationis S. Salvatoris* confirmatur exemptio a collectis, quam anno 1213. primus omnium Anselmus concesserat: de quo Sect. I. §. 3. diximus) usq. ad annum 1372. (quo anno quidam Leonardus Paganus, uti mox infra §. 6. exponam, quatuor fundavit Hebdomadas) inter hos inquam duos terminos ingens annorum centum triginta quatuor intercedit hiatus, quo nullum prorsus vestigium de iis signatum reperitur: nisi quod tantum sub Joanne Ursino circ. ann. 1337.

post

poſt centeſimum ſcil. a priore termino annum, *Hebdomadariorum Eccleſiae Neapolitanae* nuda fit, ut infra dicetur, mentio. Quocirca in tanta veterum memoriarum penuria arduum eſt de ortu hodiernorum Hebdomadariorum certi quidquam afferre, deq. ejuſmodi beneficiorum natura exiſtimare; atq. illud in primis difficillimum, quo temporis articulo quave occaſione ex clericis collectitiis mobilibuſque, ac ſimul cujuſdam *Congregationis Salvatoris Eccleſiae* (quae nunc *S. Reſtituta* dicitur) *Confratribus*, beneficiarii immobiles ac nominatim *Hebdomadarii* evaſerint, definire. Et tamen in tanto rerum omnium incerto nihil facilius eſt, quam pro certo hoc primum ſtatuere, nempe hodiernos Hebdomadarios ad *Fratantiariorum* uti vulgo vocant, naturam referri oportere. Id ergo primum uti rem inconcuſſam ſtabiliemus: cetera poſtmodum accuratiſſima indagine adhibita perſcrutabimur.

§. I. *Hodiernos Neapolitanae Eccleſiae Hebdomadarios primitus non fuiſſe aliud quam ejuſdem Eccleſiae Fratantiarios, deinde aliquando Hebdomadarios, ſed tamen ſemper Fratantiariorum congeneres, evaſiſſe. Objectionibus occurritur.*

Jam primum omnium etiam atq. etiam rogatum volo a me lectorem (praeſertim, quo loco *Fratantiarii* nunc habeantur Neapoli, gnarum) ne probri loco id a me objici Hebdomadariis hodiernis putet, cum eos in Fratantiariorum genus rejicio: quaſi vero in Eccleſiaſticis miniſteriis, per quae Deo ſummo militatur, intelligi ulla poſſit (quod Deus avertat) ignominia: cum contra quilibet vel infimus militiae terrenae gradus honori habeatur. Ac ſane deplorandum eſt, eo uſque delicatiorum homuncionum proceſſiſſe faſtidia, ut non niſi magnifica quaedam, ac (ſi ſic vocare liceat) fumoſa Eccleſiae munia magni faciant; cetera (vel ea maxime, quod magis dolendum, quibus cura animarum incumbit) tamquam vilia ſpernant. Verum perverſa iſtiuſmodi, atq. inſolentis nauſeae plena judicia, vel me tacente, ipſa per ſe ſatis ſtomachum de mundi fermento ſordentem notant.

Erit deinde hoc etiam ſciendum, cum mihi primum in noſtrarum Hebdomadarum veram naturam intuenti veniſſet in mentem, eas ad Fratantiarum genus eſſe referendas, in eaq. cogitatione me magis quotidie ac magis confirmaſſem; poſtea comperiſſe, alios etiam in prope eadem rerum veſtigia diverſis itineribus incidiſſe: quod maximum compertae veritatis, quippe in omnium peraeque oculos incurrentis, indicium eſſe, quis dubitat?

Verum nequis me uti vanum forte augurem damnet; rem altius repetam, ac veterem matricum urbis hujus Eccleſiarum ſtatum ob oculos initio ponam, cujuſmodi ab ſolertiſſimo Eccleſiarum noſtrarum Viſitatore, ac ſimul deſcriptore exactiſſimo Hannibale de Capua, Archiepiſcopo numquam ſatis celebrato, poſt luſtratam accuratiſſime dioecelim

exa-

Digitized by Google

exaratus uno in volumine fuit, ut sibi brevis rationarii vicem praestaret. Exstat is codex in Curiae Archiepiscopalis tabulario: ex cujus folio IX. patet, in quatuor matricibus Neapolitanis Ecclesiis (quae antea, etiam sub Alfonso Carrafa, sex erant) beneficiorum seu personarum Ecclesiasticarum recensionem describi ejusmodi, ut in unaquaq. earum praeter Rectorem, & siquae aliae occurrunt peculiaris nominis personae, definitus sit quidam Hebdomadariorum atq. Confratrum numerus cum reditnum & proventuum eis competentium, itemq. munerum descriptione. Munera omnibus ferme communia sunt, Divinis interesse officiis, itemq. exsequiis. Interim quidam Confratres Sacristiae deserviunt, alii campanas pulsant, & cetera faciunt quibus facto opus est. Hujusmodi Hannibalianae recensionis specimen aliquod in ima (34) pagella cupidus lector

(34) *Conspectus Hebdomadarum atq. Fratantiarum veterum matricum Neapolis Ecclesiarum ex Hannibalis de Capua Statu Ecclesiae Neap. decerptus.*

In Ecclesia S. Mariae Majoris primo loco recensetur *Rectoria* cum suis reditibus & proventibus: deinde *Sacristia*: postea, *Hebdomadarii*, inquit, *sunt num. sex, quorum unus choro dieb. sing. interesse tenetur pro divinis officiis & Missis decantandis, & unus eorum interest cum Confratribus in exsequiis. Habent singuli praebendas.* Quarum reditus mox notantur.

Sequitur: *Confratres qui dicuntur Ab intus, seu sacristiae, sunt num. decem. Habent massam communem . . . Tenentur singulis dieb. omnes choro assistere . . associant funera defunctorum . . . celebrare* (tenentur) *anniversarios XCII; celebrari facere die quolibet Missam unam &c.*

Pergit: *Primicerius & Confratres, qui dicuntur Ab extra, sive De campana, sunt num. XVII. Habent massam communem . . . & antiquitus quibusdam intererant exsequiis, in quibus pulsabatur campana.*

Postremo: *Officia Litterini, sic nuncupata, sunt num. IV. pro decantandis Epistolis & Evangeliis. Habent singuli praebendas &c.*

Mox ad Ecclesiam S. Mariae in Cosmodin transit: in qua praeter *Rectorem* ceteri sic recensentur: *Tres Hebdomadarii ministrant Sacramenta, quorum quilibet habet suam praebendam . . . Decem & octo Confratres pro efferendis funeribus simul cum supradictis Hebdomadariis, qui non habent nisi emolumenta solita.*

Sequitur Ecclesia S. Joannis Majoris; in qua *Rector, Abbas nuncupatus . . . binas voces seu suffragia habet tam in Congregatione Hebdomadariorum, quam Confratrum.* Sic etiam in Cathedrali binis suffragiis in Hebdomadariorum congregatione Cimeliarcha fruitur.

Deinde ubi primicerii reditus & onera descripsit; de Hebdomadariis sic loquitur: Hebdomadarii sunt num. XIII. *Habent singuli praebendas . . . Habent massam quarumdam Missarum . . item massam quorumdam anniversariorum . . Tenentur celebrare Horas Canonicas sub certa forma, & ferunt funera demortuorum in praedicta Parochia . . . die quolibet* (celebrant) *Missam unam.*

Confratres sunt num. XII. qui habent massam communem . . tenentur . . celebrari (facere) *Missam unam singulis diebus Dominicis.*

Postremo de Ecclesia S. Georgii Majoris sic incipit: *Rectoria est praebenda unius ex canonicatibus Majoris ecclesiae. Habet reditus &c. . . . duas ibidem voces in Congregatione praedictae Ecclesiae, & alias duas in Estaurita ejusd. Ecclesiae, cujus ipse Rector est caput.* Quod etiam modo de Cimeliarcha notavimus.

Deinde post recensitos Primicerium & Archipresbyterum subjicit: *Hebdomadarii sunt num. sex, qui ministrant Sacramenta, habentq. singuli singulas praebendas & onera distincta: quae ibid. notantur.*

Duae fratantiae pro cantandis Epistolis & Evangeliis cum communi inter eos praebenda . . Tres fratantiae aliae pro assistendo in Choro tantum. Omnes tam Hebdomadarii,

quam

Digitized by Google

lector inveniet. Ad matricum porro Ecclesiarum exemplum etiam filiales parochiae (quae vulgo *Granciae*, sequioris aetatis vocabulo, nuncupantur) se conformarunt: in quibus etiam, modo sint paullo antiquiores, suas hebdomadas atq. fratantias deprehendes.

Haec igitur post millesimum Christi annum (de qua epocha infra dicam) facies matricum Ecclesiarum Neapoli fuit: in quibus uti dixi, duo maxime personarum Ecclesiasticarum nomina audimus, nempe *Hebdomadarios* atq. *Confratres*: quos alteros nunc vulgo non inepte *Fratantiarios* vocant, quasi dicas Fratantiarum possessores, qua etiam forma *beneficiarios*, *pensionarios*, *donatarios*, & alia ejusdem modi nomina usurpamus. Atqui eadem prorsus omnia beneficiorum genera in Cathedrali fuisse necesse est; imo & fuisse certissimum est. Quandoquidem in ea scimus praeter Canonicos fuisse ab antiquissimis temporibus *Confratres Salvatoris*, h. e. Stephaniae (nunc *S. Restitutae*) quorum anno 1213. uti diximus, Anselmus meminit, & eosdem atq. hodiernos Hebdomadarios fuisse, nemo, ut superiore Sect. demonstravi, unquam negavit. Praeter hos autem etiam Hebdomadarii quidam antiquiores (quos licebit posthac *primitivos* aut *nativos* vocare) erant, quorum postea Hebdomadas Confratribus Salvatoris sive hodiernis Hebdomadariis penuria laborantibus fuisse attributas, infra §. 6. ex Bernardi diplomate ostendemus. Ergo dubium nullum est, quin si originem hodiernorum Hebdomadariorum spectes, meri Confratres, vulgo Fratantiarii, fuerint, supra quos antiquiores alii Cathedralis Hebdomadarii erant, ex Bernardi diplomate proxime laudato noti.

At inquient: de origine fatemur: verum nunc alia prorsus natura est, quia qui olim Confratres, nunc sunt ac dicuntur Hebdomadarii.

Verum

quam Confratres, Primicerius & Archipresbyter tenentur ad Horas Canonicas per alternas hebdomadas, & *anniversaria num.* 50. *habentq. massam communem ... necnon emolumenta mortuorum.*

Hic status est Ecclesiarum quatuor matricum ex Hannibale de Capua: cui potius credendum est, quam Caesari de Engenio; qui in earumdem Hebdomadariis & Confratribus erumerandis ab Hannibale diversus abit: quem videsis pag. 42. in fine, pag. 49. fine, pag. 62. Sed non novae sunt scriptoris hujus hallucinationes.

Notandum est autem quatuor, quas modo ex Hannibale recensui matrices ecclesias, numquam non tales fuisse habitas. Nec plures nunc sunt: imo nec plures his quatuor numerabantur anno 1494. quo processio generalis obviam processit Cardinali Montis Regalis Legato ad coronandum Regem Alfonsum II. Nam in Tutinianis ex vet. Rituali Neap. excerptis sic in ordine ejus processionis refertur: *In primis quatuor cruces quatuor parochiarum principalium binatim associatae, scil. S. Joan. Majoris, S. Mariae ad Cosmodin, S. Mariae Majoris,* & *S. Georgii Majoris.*

Itaque cum & usq. ab anno 1494 & mox anno 1508. in funere Beatricis de Aragonia Reginae Hungariae (quod in libro Comitis Neap. describitur) & sub Hannibale anno circ. 1584. & hodie dum quatuor non amplius eae numerentur ecclesiae; miror quid ante annum 1565. acciderit, cur sex numero haberentur. Nam in Actis dioecesanae synodi Alfonsi Carrafae (anno 1565. coactae) fol. 37. praeter illas quatuor, recensentur aliae duae, *S. Pauli Majoris*, & *S. Mariae Rotundae*. Eum Actorum locum infra ad finem hujus §. reperies.

Digitized by Google

Verum ante omnia hoc ipsum universum *Hebdomadariorum* genus, quemadmodum in ceteris matricibus Ecclesiis sese habet, haud multo supra Fratantiariorum conditionem est, in tantum ut earum Ecclesiarum Hebdomadae ac Fratantiae plurimum confundi soleant, atq. uno ferme haberi loco. Sunt uni alterorum congeneres, & eadem ferme utrorumq. natura: quibus, postquam ad ultimum divinorum Officiorum excusserunt onus, hodie non aliud quam rei funerariae negotium in commune supereſt.

Et haec quidem de omnibus Neapolitanis Hebdomadariis & Confratribus in universum dicta volo. Ceterum si de Hebdomadariis Cathedralis agitur; duplex ratio eos adhuc Fratantiarios fateri cogit. Quarum prior ex octodecim presbyterorum (qui non aliud quam antiqui Confratres Cathedralis sunt) appellatione satis vetusta, qua vulgo *Quadraginta* vocantur, petitur. Nam inter omnes convenit, sic eos dici, quia cum XXII. Hebdomadariis numerum quadraginta ministrorum (utiq. congenerum) complent: de quo uberius §. 7. dicam.

Altera vero ratio prorsus ineluctabilis est. Nam quo pacto sese naturam Confratrum exuisse dicent, cum olim in Hebdomadariorum antiquiore sepulcro legatur scalptum: SEPVLCHRVM CONFRATANCIAE SALVATORIS VETERIS, ipsismet fatentibus Hebdomadariis? Ac plura sunt vetera monumenta eo spectantia, in quibus Hebdomadarii vocantur *Confratres Congregationis S. Salvatoris*. Etiam ultimis temporibus *Confratres* fuisse appellatos, testatur Visitatio S. Restitutae Hannibalis de Capua: in qua fol. 206. post recitatum decretum Vicarii Generalis Donati Strinae anno 1521. in Hebdomadarios pronuntiatum, in fine subjicitur: *Quo decreto interposito idem dictus Vicarius mandavit intimari eisdem HEBDOMADARIIS ET CONFRATRIBVS*. Idem Hannibal in Statu Cathedralis, qui exstat ad Calcem Visitationis Cathedralis anno 1582. postquam dixit, sibi *non liquere quo tempore & a quo fuerint instituti* hodierni Hebdomadarii, addit: *Quandoque iidem* (Hebdomadarii) *CONFRATRES sancti Salvatoris nuncupantur*. Hodie dum igitur hi Nostri *Confratres* vocantur haud secus atq. ii omnes quos in ceteris Ecclesiis sive *Confratres*, sive usitatiore vocabulo *Fratantiarios* nuncupamus.

Nunc quid objici ab his Nostris possit, accurate provideamus. Ac primum id excipi posse ab Hebdomadariis, quo minus ad Fratantiarum naturam eorum beneficia referantur, video. Nihil enim sibi commune cum Fratantiis & iis Hebdomadis, quae sunt Fratantiarum congeneres, esse dicent; quandoquidem quae hujus naturae beneficia sunt, ea adhuc in nostra Cathedrali supersunt, in qua quotidie videmus Fratantias & ejus generis Hebdomadas ab Archiepiscopo conferri. Verum haec exceptio nullius roboris est; siquidem quae hodie hujus

Digitized by Google

generis beneficia Cathedralis sunt, ea non nata primitus in Cathedrali sunt, sed aliunde adventitia, ab iis nempe filialibus parochiis, quae aliae aliis temporibus extinctae & Cathedrali adnexae (35) fuerunt: quas plures numero fuisse nemo ignorat. Et quidem supra notatum fuit, non tantum Ecclesias matres, sed & earum filias hebdomadis & fratantiis fuisse instructas. Ergo primitivas nostrae Cathedralis Fratantias non alias novimus, quam quae jam tum sub Anselmo Archiep. ineunte saeculo XIII. erant, quaeque postmodum in *Hebdomadarum* nomen traductae, ab hodiernis nostris Hebdomadariis possidentur.

Deinde & illud opinor excipient, Hebdomadas suas adeo ad Confratriarum genus non esse referendas, ut potius beneficia curata fuerint, quippe cum Hebdomadarii usque ad Alfonsi Gesualdi Archiep. tempora Sacramentorum administratione perfuncti fuerint, & curam animarum in tota urbe universalem gesserint.

Respondetur, id eis ex Archiepiscopi & Capituli (penes quos usq. ad Archiepiscopum Gesualdum cura animarum universalis &, uti vocant, *praeeminentialis* totius urbis fuit) deputatione licuisse, nec iis tantum, sed & octodecim Presbyteris: qui *Quadraginta* vulgo vocantur, quia eum numerum cum Hebdomadariis absolvunt, qui tamen octodecim Presbyteri veri *Confratres* sunt. Praeterea ne quidquam eximium aut singulare ex ea cura sibi mere deputata sibi forte arrogent; sciant hoc ipsum Hebdomadariis & Confratribus omnium sex matricum Ecclesiarum ante eumdem Archiepiscopum Gesualdum licuisse. Constat id ex Dioecesanae Synodi a Card. Alfonso Carrafa ann. 1565. habitae Actis, ab ejus Vicario doctissimo Julio Sanctorio accuratissime scriptis & a Mario Carrafa editis fol. 37. ubi dum ordo praecedentiae in processionibus praescribitur, suo loco recensentur *HEBDOMADARII ET CONFRATRES QVI EXERCENT CVRAM ANIMARVM Parochialium Ecclesiarum, veluti = S. Pauli Majoris, S. Mariae Majoris, S. Georgii Majoris, S. Joannis Majoris, S. Mariae Rotundae, S. Mariae de Porta Nova, alias In Cosmodin: juxta tempus promotionis cujusque*. Quid ergo ex animarum cura sibi praecipuum supra ceterarum matricum Ecclesiarum Congregationes sive Confratrias vindicare Nostri possunt?

§. II.

(35) Hujusmodi parochiae Cathedrali adnexae in Synodi Card. Pignatelli Appendice pag. 292. quinq. numerantur, quarum nomina sunt hujusmodi: *Santi Apostoli, S. Pietro de Ferrari, S. Giorgitello, S. Stefanello, S. Paolo*.

Sed & Ecclesiae S. Restitutae adnexa erat Parochia S. Silvestri ad Nidum (sic vocata, quia olim prope Nidi sedile erat) cum sua Congregatione, Primicerii scil. & sexdecim Confratrum, & Hebdomadarii unius: cujus sectoria penes Capitulum translata fuit. Id totum constat ex Archivi Capitularis codice Visitationis S. Restitutae Hannibalis de Capua fol. 296. a tergo & 297. & seq.

Digitized by Google

§. II. EXCVRSIO.

Qua universe in omnium Fratantiarum & Hebdomadarum, quae in Matricibus hujus urbis Ecclesiis sunt, originem, epocham, simulq. naturam inquiritur.

I. ORIGO.

Hoc omnibus Hebdomadis & Fratantiis matricum Ecclesiarum commune est, ut hodie plerumq. confundantur; cum etiam Hebdomadas saepissime communi Fratantiarum nomine donari videas. Itaq. si recte accipio, hoc inter utrasq. interest, ut Hebdomadae omnes etiam *Fratantiae* dici queant, at non vicissim fratantias omnes etiam Hebdomadas vocare liceat. Nam primitus nullum fere aliud exaudiebatur nomen nisi Congregationum atq. Confratrum; etsi ex Confratribus istis quidam in Hebdomadas allecti essent. Veluti in nostra ipsa Cathedrali sub Anselmo & Petro Archiepiscopis vix alii quam *Confratres Congregationis Salvatoris* exaudiebantur, simul tamen cum paucis ex eopte Confratrum numero Hebdomadariis antiquioribus, sive *primitivis*: de quibus inferne (36) paucula adspersimus, dicturi alibi plenius.

Jam vero ubi hae primitivae hebdomadae prope inertes, ac veluti beneficia simplicia evasissent; ecce tibi sequenti saeculo multos ex Confratribus nostri *Salvatoris* scimus *Hebdomadarios* ita factos, ut simul *Confratres* dicerentur, alios vero (ii duodeviginti scil. qui nunc simul cum Hebdomadariis numerum quadragenarium implent) mansisse tantum Confratres: de horum enim institutione cave Caesari de Engenio (37) credas. Nunc missis tantisper Hebdomadis (quas ex Confratriis exortas, dixi) nunc Confratriarum ipsarum originis satagamus.

Neapolitanas hodiernas Fratrias (vulgo *Confratantias*) ab veteribus Neapolitanae reipublicae Graecis institutis quidam nostrorum hominum arcessivere. Nam quemadmodum Romae populus ab rege Romulo in curias sacrorum causa distributus fuit; sic Neapoli & in aliis Graecis civitatibus multitudo in φρατρίας h. e. *fodalitates* dispertiebatur: de quo Neapolitanorum instituto vide quae in ima (38) pagella adnotamus.

(36) Nam praeter hosce *Confratres Salvatoris* ex Anselmi diplomate notos, fuisse praeterea aliquot paucos Hebdomadarios, ex Bernardi diplomate (quod Anselmiano post elapsos annos CLXV. successit, quodque §. 6. illustrabimus) intelligitur: sed hi ipsi initio videntur ab illis ipsis Confratribus orti fuisse; ita ut non aliud Hebdomadariorum seminarium, quam confratriae mihi semper fuisse videantur: id quod ex dicendis facile suadebitur.

(37) Inscite Caesar de Engenio pag. 4. hodiernos octodecim presbyteros qui *Quadraginta* vocantur, a Mario Carrafa institutos ait. Atqui eos hodiernis Hebdomadariis fuisse coaevos, §. ultimo demonstrabitur.

(38) *De antiquis Neapolitanae reipublicae fratriis. Earumdem nomina quaedam ex marmoribus eruuntur.*

Athenienſium φρατρίαι, aut ut alicubi scribitur φατρίαι (*fratriis* seu *curiis* aut *fodalitatibus*) referti sunt antiquorum libri, & re-

Digitized by Google

Quae igitur Neapolitanis gentilibus φρατρίαι & συμφρητρίαι vocabantur, eae ab eisdem jam Christianis *Fratriae* & *Confratriae*, aut corrupte *Fratantiae* & *Confratantiae*, appellatae videntur. Porro sicuti a majoribus nostris qui in eas adlecti essent, dicebantur φρήτορες aut συμφρήτορες; pari

& recentiorum commentarii. Atqui Neapolitanis etsi jam antea conditis, accessisse postea novum colonorum Athenienſium Diotimo duce supplementum, jam ab aliis est observatum. Ab eo factum, ut sicut alia instituta Attica, sic etiam *Fratriarum* nomen & consuetudo diu Neapoli viguerit, etiam postquam sub Imperatoribus Graecitatem paene omnem exuerat. Strabo ipse lib. V. de Neapoli agens, *Plurima heic*, inquit, *Graecanicorum institutorum vestigia superſunt* (γυμνάσιά τε καὶ ἐφήβια, καὶ φρατρίαι, ἅπαντα ἑλληνικὰ ὀνόματα, καίτοι ὄντων Ρωμαίων) *gymnaſia*, & *ephebia*, & *fratriae*, *Graecanica plane omnia nomina*, *cum ipſi ceteroqui Romani ſint*: lege Julia, ut opinor.

Hinc plura Neapoli saxa reperta fuerunt, in quibus varia fratriarum propria nomina ab aliquo numine, cui sacrae erant, quaesita deprehenduntur. Alii enim *Eumelidae* vocabantur, ab *Eumelo* patre Parthenopes ita dicti: de quo loquitur titulus (apud Capacium I. 6. & Reinesium I. 156.) hujusmodi: Ευμηλον θεον πατρωον φρητορσιν Ευμηλιδων &c. *Eumelum deum patrium ſodalibus* (curiae) *Eumelidarum T. Flavius Pius curator dedicavit cum T. Flavio filio*. Ad hos referri possent Εμμενίδαι (*Emmenidae*) illi, haud semel a Pindaro memorati: de quibus adnotat Scholiastes: Εμμενίδαι φατρία Θήρωνος ἐν Σικελίᾳ, *Emmenidae ſunt Fratria Theronis in Sicilia*. Sed horum scriptura longius ab *Eumelidis* Neapolitanis abest, quam ut pro iisdem habeantur. Itaq. Neapolitani Fratres ab *Eumelo*, at Pindarici a quodam *Emmene* derivantur.

Alii *Artemisii* a Diana nomen invenerunt: de quibus lapis a Capacio & Summontio, deinde ab eod. Reinesio VI. 37. descriptus sic incipit: Λ. ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ &c. L. *Creperium* &c. De qua tamen gente, nusquam audita, miror cur Reinesio (cujus criticae licentiae in nomina in lapidibus expressa, quamlibet alioqui sana, nusquam non grassari licuit) nulla subierit suspicio. Re enim vera Lucio isti *Crepereio* (quae gens ex nummis & lapidibus notissima est) non *Creperlio* nomen fuit, & omnino ΚΡΕΠΕΡΗΙΟΝ in marmore scriptum fuerat, sed Η fugiens pro Α acceptum fuit. Ergo sic habet inscriptio: *L. Crepereio Proclo* (sed Latino more, *Proculo*) *consuli*, *proconsuli de se optime merito* (Αρτεμισιοι φρητορες αμοιβης χαριν) *Artemisii ſodales grati animi gratia* (posuerunt). Videtur mihi sane Crepereius iste Proculus sub Hadriano (a quo *Consulares Campaniae* instituti fuerunt) *consul* suffectus, & Campaniae *consularis* fuisse: qui consulares in Graecis marmoribus & in libris ἀνθύπατοι saepe vocantur. Ac certe quia nomen administratae provinciae non adscribitur; Campania videtur intelligenda, quae a *Consularibus* administrabatur. Alii porro *Theotadaei*, ut opinor, vocabantur: de quibus fragmentum Neapolitani lapidis apud Gruterum pag. 112. 8. indicium sic facit: ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ ΘΕΩΤΑΔΑΙ...

Alii postremo *Aristaei* sodales erant: de quibus mutila, & tamen bene longa extat apud Gruterum p. 125. 1. inscriptio. Ex qua plura fratriarum officia discimus; sic enim versu altero scribitur: Ο φρηταρχος, η οι χαλκολογοι, η ο φρονιστης, η οι διοικηται, η αλλος τις της φρητριας της Αριστειων &c. Porro Αριστειους *Aristaeos* ab Ἄρης, *Mars* derivatos arbitror. Nam ab Ἄρης fit ἄριστος & ἀριστεῖος. Itaq. *Aristaeos* interpretari *Martiales* possis. Ac scimus sodalium *nomina in* ALIS desiviſſe, ut AVGVSTALIS, HADRIANALIS &c.

Ac fuisse videtur etiam alia Neapoli fratria, quae ab Hebone deo patrio nomen sodalibus quaesierit: sed inscriptionis, ex qua id docerem, nunc in mentem non venit. Nisi quod memini me quondam ejusmodi titulum ex Neapolitano lapide descripsisse: sed piget nunc schedas excutere.

Postremo & *Fratres Arvales* huc referri non immerito possent: de quibus tot jam in agro Romano erutae inscriptiones bene longae fuerunt, ut justum volumen redigi ex iis possit. Nam *Sodales Titios*, *Augustales*, *Hadrianales*, & hujus generis alios taceo.

Digitized by Google

pari modo ii poſtea Chriſtianis temporibus *Fratres* aut *Confratres* nuncupari coeperunt. Atque haec quidem jamdiu eruditorum Neapolitanorum opinio fuit. Cui opinioni favet Varro in IV. de L. L. cujus verba de Fratriis ſic ſunt concepta, quaſi ſi noſtris his temporibus ſcripta fuiſſent. *FRATRIA*, inquit, *eſt Graecum vocabulum partis hominum, ut Neapoli ETIAMNVNC*. Sic enim is locus a viris doctis emendatur.

Huic equidem perſuaſioni apud noſtros pervagatae non reluctarer (nam plures ex ethniciſmo mores atq. voces arripuiſſe Eccleſiam non diffiteor) ſi *Fratriarum* aut *Confratriarum* vocabula primis Neapolitanae Eccleſiae temporibus, dum adhuc aliquid Graecorum veſtigiorum ſuperabat, exaudiri coepiſſent; aut ſi uſquam ſaltem in Joannis diaconi Chronico, totq. Neapolitanis antiquis vitarum ſcriptoribus ea vox occurreret. Nunc quia nuſquam prorſus ea reperitur, ac non niſi poſt milleſimum Chriſti annum ea vocabula ſimul cum re ipſa frequentari coeperunt; omnino fatendum eſt ſacrarum *Fratriarum*, quae hodie ſunt, nec vocabulum nec totum ejuſmodi negotium de Graeco fonte cadere; ned apud ſaeculum iſtud ineruditum ac prorſus inconditum quidquam de antiquiſſimis illis Neapolitanorum ethnicorum Fratriis ne fando quidem auditum fuiſſe.

Ergo aliam prorſus originem quaerendam eſſe ſuadeo, aetati noſtrae viciniorem, & hodiernis moribus conſentaneam. Res tota omnino a coetibus monaſticis fluxit, ut vel ipſa vocabula noſtris Fratantiis cum Monaſteriis communia declarant: cujuſmodi ſunt tum *Congregationis*, tum *Fratrum*, *Confratrum*, *Fraternitatis* & *Confratriae* vocabula; tum etiam & *Abbatis* & *Cellararii* & *Hebdomadarii*, & ſi quae ſunt aliae utriſque uſitatae locutiones: de quibus omnibus vide quae imo margini (39) adſperſimus. Nam & vitam communem inter noſtros Confratres ſub

(39) *De quibuſdam vocabulis, quae Eccleſiarum Neapolitanarum Hebdomadarii & Confratres cum Monachis habent communia.*

Aevo ſequiore monachorum vitam paſſim fuiſſe in eccleſias invectam, tum inſtituta quaedam clericorum a monachis hauſta (veluti color veſtium pullus, qui antea clericis ſive candidus, ſive caſtaneus aut violaceus fuerat) tum etiam vocabula non pauca indidem accepta declarant. Verum quia de Neapolitanis Confratriis nunc ſermo propoſitus nobis eſt; de his age videamus.

Harum omnium τὸ σύνημα (*corpus*) non *Collegii*, ſed *Congregationis* ſemper vocabulo donari, ſatis ſcimus. Itaq. ſicuti in Cathedrali noſtra *Confratres CONGREGATIONIS Salvatoris* vocabantur, ſic etiam & in ceteris Eccleſiis eorum coetus *Congregatio* vocatur, & *Congregationem habere* dicuntur, cum ad conſultandum coeunt. Quae dixi, tum aliunde notiſſima ſunt, tum ex Ritib. Vrſinianis, & ex Statu Eccleſiae Neap. Hannibalis de Capua. Atqui hoc totum *Congregationis* vocabulum a monachis petitum fuit: quorum corpora atq. compages nullo magis proprio quam *Congregationis* nomine ab omnis aevi ſcriptoribus paſſim donari animadvertimus: ut exempla ejus rei afferre plane ineptiſſimum putem.

Nec porro aliunde quam a monachis fluxit *Abbatis* nomen, quo matricum Eccleſiarum rectores omnes (qui Confratribus & Hebdomadariis praerant, & duplici ſuffragio in Congregatione gaudebant) utebantur. Itaq. in Actis dioeceſanae Synodi Alfonſi Carrafae ab

ab Jul. Sanctorio ſcriptis p. 37. *Abbates ſeculares* ſive Rectores matricibus collegiatis Eccleſiae praeſidentes hi recenſentur : *Abbas.. S. Pauli Majoris, cujus Abbatia eſt praebenda canonicatus Eccleſiae metropolitanae. Abbas.. S. Mariae Majoris. Abbas.. S. Georgii Majoris, cujus etiam Abbatia eſt alterius canonicatus praebenda. Abbas.. S. Joannis Majoris. Abbas.. S. Mariae Rotundae. Abbas* (Regularis) *monaſterii S. Petri ad Aram... ut Abbas parochialis Eccleſiae S. Mariae in Coſmodin.* Obiter hic notabis, Eccleſias praecipuas ſub Alfonſo Carrafa ſex fuiſſe numeratas : at poſtmodum in Statu Hannibalis de Capua ad quatuor tantum eas reſtrictas obſervavimus in Adnot. 34. Porro in Cathedrali Eccleſia Cimeliarcha Abbatis munere erga confratres fungebatur. Nec abſonum eſt putare duplici eum appellatione uſum fuiſſe *Abbatis* ſcil. erga Confratrum Congregationem cui praeerat, & *Cimeliarchae* reſpectu cimeliorum Eccleſiae ; nam & illi ſex non tantum *Abbates*, quia confratriis praeerant, ſed etiam *Rectores*, ob Eccleſiae & parochiae regimen vocabantur.

Venio jam ad ipſum *Confratrum* nomen, ſive aliter *Fratrum*. Nam hi noſtri in omnium antiquiſſimo Anſelmi diplomate *Fratres Congr. Salvatoris* vocabantur : qui iidem in poſterioribus monumentis *Confratres* nuncupati fuerunt. At fruſtra ſim, ſi id laborem, ut oſtendam, hoc a monachis fuiſſe profectum. Initio quidem *Fratrum* nomen tantumdem quod *Fidelium* erat. At poſtquam ea appellatio inter fideles exolevit ; a monachis revocata fuit, nec unquam intermiſſa. Itaq. apud Graecos Ἀδελφότης (h. e. *Fraternitas*, ſive, uti noſtri loquebantur, *Fratantia*) totum monacorum gregem uni Hegumeno ſubjectum notabat : de qua voce vide Graecum Freſnii Gloſſarium. Eadem notione *Fraternitatem* Liberatus diac. uſurpavit cap. XI. *Tale Eutyches reddidit reſponſum, hoc apud ſe eſſe decretum, ut nunquam egrederetur a ſua fraternitate, ſed tamquam in ſepulcro degeret in monaſterio*. Plura de *Fratribus*, *Confratribus*, cognatiſq. vocabulis apud monachos uſitatiſſimis non addam, ne plane obtundam. Vide tamen, ſi tanti eſt Freſnium in *Confratres*, *Confratriſſa* (quod exponitur Joanni de Janua, *Congregatio confratrum vel conſororum*) *Confratria* ; ex quibus quo pacto ea nomina etiam extra monaſteria uſurpata fuerint, intelliges. Illud non omittam, quod ex charta anni 1267. in M. Paſtorali Eccleſ. Pariſ l. 2. c. 61. alicubi Cangius affert : *Sexaginta ſolidos Pariſienſes ad opus diſtributionum inter CONFRATRES, & CLERICOS Matutinales dictae Eccleſiae*. Ex quo vides confratres iſtos non diſſimiles fuiſſe noſtratibus : quibus (ut Adnot. 34. vidimus) maſſa communis pro diſtributionibus erat.

Nec aliunde quam a monachis, *Hebdomadariorum* appellatio manavit. Eſt enim *Hebdomadarius* is Frater ſeu monachus, qui ſuas vices in miniſteriis monaſticis per hebdomadam exſequitur, ut optime definit Freſnius in Gloſſario. Regula SS. Patrum cap. 12. *Debet is qui praeeſt* (ὁ ἡγούμενος ſcil. qui Latinis *Abbas* vocatur) *diſponere hebdomadarios, & ordinem officii, quo ſibi invicem ſuccedant ad miniſtrandum*. Quod olim munus Cimeliarchae, ceu Confratrum Salvatoris Abbati, incumbebat ; & hodieq. Canonicus praefectus chori novo Hebdomadario ἐφημερίαν (*ordinem vicis ſuae*) ſive Hebdomadam aſſignat. Hoc obiter. Sed videſis ibid. apud Freſnium Hieronymi, Caſſiani, & Concilii Aquisgranenſis loca ; vide & Graecum ejuſd. Gloſſarium. Itaq. quot erant in monaſteriis ſive ad victum, ſive ad chorum, ſive ad ceteras monaſterii neceſſitates pertinentia officia, totidem & Hebdomadarii in orbem redibant. Verbi cauſa *Hebdomadarius coquinae, Chori, Pſalterii, Invitatorii*, item *Hebdomadarius Lector* (quod nomen hodie num de eo Hebdomadario, qui lectiones matutinorum legit, uſurpatur) item *Hebd. Cantor, Lector ad menſas, Hebdomadarius majoris miſſae*, & ſexcenta hujus generis.

Nec poſtremo *Cellarii*, ſive *Cellararii* aut *Celleravii* vocabulum (quod & in cathedralis, & ceterarum Eccleſiarum Neap. Fratantiis omnibus de ipſarum oeconomo uſurpatur) aliud quam merum monaſticum nomen plane eſt. Exempla ex ejuſd. Dufreſnii Gloſſariis duobus Latino & Graeco petes. Nam Graeca etiam monaſteria nomen idem ſuo promo condo, & oeconomis dabant.

Ex quibus omnibus ſatis animadvertes, fruſtra prorſus eos laborare, qui noſtrum *Fratantiarum* inſtitutum tam longe a republica Neapolitana, h. e. a bis mille prope annis, repetunt ; praeſertim cum ejus & ſimilium vocabulorum fons tam e vicino ſaliat.

Digitized by Google

ſub ſuo praepoſito inſtar Monachorum principio viguiſſe, nullus dubito: de qua eorum vita communi tunc dicetur, cum quoddam a me Monumentum ineditum de Ordine, quo divina officia Confratres ii perſolverent, proferetur & illuſtrabitur. Ex eodem porro Monumento exploratiſſimum, modo aves addixerint, fore ſpero, quam mox poſt milleſimum Chriſti annum hae Fratriae coeperint, & undenam id inſtitutum proſilierit.

Jam vero Confratrias iſtas non tantum clericorum exſtitiſſe, ſed & laicorum (cujuſmodi hodie plurimae adhuc ſunt) parum eſt dubitandum. Imo hinc factum puto, ut *Fratres Congreg. Salvatoris* Anſelmus diſerte *Clericos* vocaverit, ne ſcil. cum laicis Confratribus (quorum jam tum plurimas fuiſſe ubiq. gentium Confratrias ſcio) confunderentur. Verum hae, de quibus nunc agitur, Clericorum erant, & quidem ordinis infimi, ut ad diploma Anſelmi adnotavimus. Ac ſi recte tum Anſelmi locutiones (*inſudaſſe* eos obſequiis Eccleſiae dicentis) tum etiam hodiernum Fratantiariorum efferendi mortuos munus perpenderimus; haud temere dixerimus, iſtos Clericos Confratres inter Clericos *Copiatas* atq. *foſſarios*, aut ſiquo alio nomine vocabantur (de quibus vide (40) in ima pagella) eſſe recenſendos.

II. *EPOCHA, ſive earum antiquiſſima mentio.*

Age vero, de harum Congregationum antiquitate videamus. Earum quidem certam epocham, veteribus deſtituti memoriis figere nullam poſſumus; tamen ecquid in ea re antiquiſſimum repererim, nihil vetat proferre in medium. Iſtiuſmodi Congregationes jam quidem ultimo ſaeculi XI. anno exſtabant: quod perſpicue diſcimus ex membrana S. Archangeli ad Bayanum, qua Petrus Archiep. cum Sergio Duce & Neapolitano Capitulo aſſentitur permutationis contractui inter neſcio quam *Congregationem Eccleſiae S. Reſtitutae* & monaſterium S. Mich. Arch. ad Bayanum, anno 1100. Doleo ſane quod eam chartam non niſi mutilam (nec enim aliter potuit) Chioccarellus pag. 126. recitaverit: ex qua nos ea tantum quae huc pertinent, afferemus. Sic ergo Archiepiſcopus praefatur: *Certum eſt nos cunctas CONGREGATIONES* (hinc plurimas jam tum Neapoli fuiſſe diſcimus, in ſingulis ſaltem Eccleſiis matricibus ſingulas) *SACERDOTVM* (*) *& CLERICORVM ſalutiferae* . . . Hîc multa ex praefatione, ac longe plura ex διαθέσει (*diſpoſitione*)

(40) Κουρατωρ, *Copiatae* in Graeca Eccleſia dicebantur, qui in Latina *Foſſarii* aut *Foſſores*: idem in Juſtiniani Nov. etiam *Decani* dicuntur. Iis efferendorum & ſepeliendorum mortuorum cura potiſſimum incumbebat. In infimo Clericorum ordine numerabantur. De iis trita ſunt omnia. Hoc tantum notaverim, clericis hiſce a praecipuo eorum munere (quo, uti loquitur Incerti Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, *In ſimilitudinem Tobiae ſanctis ſepelire mortuos admonentur*) nomen fuiſſe inditum: ceteroqui eisdem videri etiam laborioſiſſima quaeque alia munera incubuiſſe, veluti pulſandi campanas, everrendi Eccleſiam, & quae ſunt de hoc genere: unde & *Copiatae* (quaſi *laborantes* dixeris) ſunt appellati. Agitur de his in Cod. Theod. ubi Gothofredum conſules, ut alios ſane plures taceam.

(*) De hoc loco dicam alibi forſitan.

Digitized by Google

tione) desunt. Haec tamen post hiatum in Chioccarello sequuntur... *Congregationis Ecclesiae ... nctae Restitutae* (S. Restitutae Ecclesiam antiquiorem intelligit, quae in postico Capellae S. Mariae de Principio erat, uti pluries Parte I. ostendimus) *de intus Episcopio Sanctae Neapolitanae Ecclesiae* (de vetustiore Episcopio loquitur, quod nunc mutato nomine *Sancta Restituta* vocatur: nam hodierna Cathedralis non nisi centesimo, eoq. amplius, anno post hanc membranam esse coepit,) *a praesenti die promptissima voluntate commutavimus, & tradidimus vobis domina Gemma venerabilis abbatissa &c.* De hac porro S. Restitutae Congregatione alibi forsitan sermo nobis recurret. Ac recitato quidem diplomati primo loco Petrus Archiep., deinde Sergius Consul & Dux & Protosebastus, mox Aligernus Primicerius, Petrusq. Archidiaconus, adhaec duo Diaconi, tresq. Subdiaconi Ecclesiae Neapolitanae (tacito *Canonici* titulo, quo tunc temporis vix aut ne vix quidem utebantur) subscripserunt.

Ac ne quis forte *Congregationis* vocem in adscripto monumento aliorsum, quam qua nos notione intelleximus, accipiat; res multo clarior altero Sergii Archiep. diplomate fiet, quod octogesimo post anno (i. e. 1183. nempe anno trigesimo ante Anselmi diploma, Fratres Salvatoris a collectis eximentis) datum fuit. In eo Sergius cum Canonicorum consensu & subscriptionibus, testandi facultatem, sub certa tamen lege, largitur clericis de beneficiorum proventibus, tam suae Majoris Ecclesiae, quam aliarum Ecclesiarum & CONGREGATIONVM. Idque *Congregationum* nomen, tamquam ab Ecclesiis distinctarum, sive potius (ut interpretor) Ecclesiis matricibus affixarum, bis ibi repetitur. Ad summam aut toto caelo aberro, aut *Congregationes* de quibus Sergius vergente saeculo XII. loquitur, sunt illae ipsae Hebdomadariorum atq. Confratrum Congregationes, quas post tot saecula Hannibal de Capua in suo Ecclesiae Neapolitanae statu in Parochialibus Neapolitanis Ecclesiis descripsit, de quib. supra Adnot. 34. vidimus. Ceterum integrum Sergii diploma leges apud Chioccarellum pag. 138. Atq. haec sunt antiquissima duo Congregationum sive Fratriarum nostratium monumenta: quibus & tertium Anselmi diploma anni 1213. accedit, quod sect. I. §. 3. exposuimus.

§. III. *Earumdem Fratriarum EFFIGIES Monasticae institutioni simillima ex inedito opusculo exhibenda alio remittitur: ubi simul de earum ortu primo ac natura amplius & accuratius agendum promittitur.*

Postremo harum Congregationum sive Fratriarum imaginem si a me forte quaesieris; non aliam sistere lectori meo possum, quam eam ipsam, quam in Comitis Neapolitani quodam satis antiquo monumento latentem casu reperi per hos dies: quo quidem monumento, Fratrum

istorum

Digitized by Google

istorum (quibus Neapolitanae Ecclesiae post millesimum Christi annum refertae erant) ordo Divinorum Officiorum describitur; sed ita tamen, ut obiter eosdem monachorum instar communi mensa eodemq. claustro usos intelligas. Hoc igitur pulcherrimum cimelium hic adscribere, eique qualecumq. meum judicium, ubinam scil. & quo tempore scriptum videatur, praemittere, & aliquot eidem animadversiones subnectere decreveram. Nec enim dubitabam, quin ex eo liceret simul originem primam ac natales Fratriarum istarum atq. indolem pernoscere. Sed pluribus ex causis hanc universam tractationem, jam ceteroqui paratam, in Appendicem (quae ante Monumenta legalia Deo dante edetur) rejicere coactus fui: primum quod vererer, ne satis longa scriptione & commentatione interposita, lectores delassarem: deinde quod quamvis quaecumq. eo pertinent, jam scripta & parata haberem; tamen quae adumbraveram, ad ea confirmanda lux mihi aliunde adhuc exspectanda esset. Itaq. commentarium hujus loci totum Appendicis initio dabimus.

§. IV. *Quandonam Confratres Clerici Congregationis Salvatoris, ex Anselmi & Petri diplomatibus antea noti, Hebdomadariorum gradum & nomen assecuti fuerint, disputatio proponitur, eademq. in sequentem Disquisitionem rejicitur.*

Ac de universo Fratriarum Neap. genere hactenus. Nunc ad eos Confratres progredior, qui postea in hodiernos Hebdomadarios evaserunt. Et quidem usque ad annum 1238. (quo Archiep. Petrus de Surrento Fratribus Congregationis Salvatoris exemptionem a collectis ab Anselmo proxime concessam confirmavit apud Chioccar. in fine pag. 159.) hi nostri iidem profecto erant, qui sub Anselmo fuerant, h. e. Fratres Clerici, non titulares, sed mobiles & collectitii, ut ad Anselmi diploma notavimus. Deinde sequitur immanis annorum centum quadraginta hiatus, per quos nihil de his nostris scriptum occurrit, nempe ad annum usq. 1378. quo facti jam Hebdomadarii perspiciuntur; nam hoc demum anno 1378. a Bernardo Archiepiscopo (sicuti etiam postea sub secutis Praesulibus) *Hebdomadarii Congregationis Salvatoris* nuncupantur. Tametsi sexennio ante nescio quae Hedomadae quatuor a quodam Leonardo Pagano fundatae anno 1372. deprehenduntur, de quibus §. 6. dicam. Etsi nulla ibi cernitur *Congregationis Salvatoris* mentio. Ergo per illos 140. annos (aut minimum 134. si Paganianae fundationis habenda sit ratio) ex Clericis & Confratribus meris in Hebdomadarios (honorificentius sane nomen) evaserant. At quo potissimum intermedii temporis articulo, quave de causa haec mutatio acciderit, donec ejus rei certa monumenta prodierint, ignorare interim cogimur.

Nisi quod ex Joannis Ursini Archiepiscopi Ritibus sive Consuetudinibus lux quaepiam sublustris affulget, in quibus mentio *Hebdomadariorum* occurrit; sed ita ut nescias an non de nativis prioribus Ecclesiae

Digitized by Google

Neap. Hebd madariis (de quib. §. 6. dicam) ibi potius, quam de his recentibus, sermo sit, certe quia nulla in iis Ritibus simul cum Hebdomadariis mentio Congregationis Salvatoris jungitur. Nam certe fuisse alios ab antiquo nativos Majoris Ecclesiae Hebdomadarios, coaevos confratribus, (de quibus tum alibi, tum Adnotat. 36. quaedam praelibavi) infra ostendetur: quod etiam inde patet, quod Anselmus in suo diplomate, quod Sect. superiore exposuimus, praeter Clericos Confratres Salvatoris Collectis adhuc obnoxios, agnoscit fuisse alios in sua Cathedrali Clericos ab iis persolvendis jam antea immunes. Atqui hos non alios fuisse ajo, quam primitivos illi Hebdomadarios; nec enim in Matricibus Ecclesiis Neap. saeculo XII. aliud erat usitatum nomen, quam Hebdomadariorum & Confratrum. Hoc ipsum ex eo quoq. demonstratur, quod anno 1378. sub Bernardo recentibus his Hebdomadariis, qui antea meri Confratres fuerant, tres Hedomadae (quarum unam quidam Neapolitanus Canonicus possidebat) in perpetuum adnectuntur: nec tres hasce Hebdomadas alias suspicari licet, quam ex numero primitivarum Majoris Ecclesiae Hebdomadarum, quae lapsu temporis inertes evaserant, & beneficia prope simplicia, ita ut earum unam Canonicus possideret. Haec eo dixi, quod de illis Hebdomadariis, quorum Joannes Ursinus anno 1337. (sed sine consueta *Confratantiae* aut *Congregationis Salvatoris* adjectione) meminit, dubitari possit, recentes ne isti, qui sub Anselmo meri Confratres exstiterant, an illi alii primitivi fuerint. Verum in ea Joannis Ursini loca infra §. seq. subtilius inquiram.

Ergo uti monebam, adhuc inexploratum est, quonam potissimum interjecti temporis articulo hi Nostri ex meris Clericis Confratribus ad paullo honorificentius Hebdomadariorum officium ac nomen, quave occasione perrepserint. Tamen mihi demum simul omnia circumspicienti non nisi ineunte XIV. saeculo, h. e. post novae Cathedralis encaenia (per occasionem scil. Cathedralis novae ministris quotidianis instruendae) ea, de qua quaerimus, facta videtur erectio. Sed quonam potissimum momento temporis, id jam, qua maxima accuratione potero, discutere & in apertum proferre aggrediar.

§. V. DISQVISITIO AMPLIOR.

De occasione ac puncto temporis, quo Anselmiani Clerici Confratres Salvatoris, evaserint presbyteri Hebdomadarii.

PARS I. ISAGOGICA.

Post novae Cathedralis encaenia quid Archiepiscopos impulerit, ut novam Cathedralem novis ministris instruerent.

Ne longioribus ambagibus lectorem teneam; primum omnium certissimum est, novae Cathedralis, quae nunc frequentatur, non nisi sub Humberto Archiepiscopo celebrata fuisse encaenia circiter annum 1314. quod Parte I. cap. VI. ubi hexametros musivo operi S. Mariae de Principio

Digitized by Google

cipio ſubjectos expoſuimus, copioſe declaratum fuit. Hac vero occaſione etiam de εἰδικῷ (*formali*) novae Cathedralis ſtatu Humbertum cogitaſſe, prorſus neceſſe eſt, vel ſi ejus rei documenta deeſſent. Tametſi haud prorſus deſunt; nam de eo Chioccarellus ſic loquitur pag. 198. ante medium: *Neapolitanae Eccleſiae* (Humbertus) *praeficitur anno* 1308. *die* 16. *Martii . . . fecit etiam utiles quaſdam Conſtitutiones ad DIVINVM CVLTVM AVGENDVM, IN OFFICIIS nempe IN MAIORI ECCLESIA CELEBRANDIS die* 10. *Sept.* 1317. *quarum exordium eſt = Nos Humbertus miſeratione divina Neapolit. Archiep. &c.*

Hic equidem Chioccarello iraſcebar, quod non integram Conſtitutionem Humberti hujus, quam deperdidimus, attuliſſet; a quo ſuſpicabar mutationem illam Confratrum Salvatoris in Hebdomadarios factam fuiſſe poſt novae hujus Cathedralis encaenia. Nam quamdiu quae nunc S. Reſtituta dicitur, ea ſe Cathedralem gerebat, in ea mihi videntur presbyteri Cardinales Canonici ſive quotidie ſacra feciſſe, prout inſtitutum ab ſuo auctore S. Athanaſio fuerat, ſive potius ac verius diebus ipſi ſollemnioribus ſacrificaſſe contenti, quotidianum Miſſae publicae onus primitivis (quos §. ſuperiore indicavi, ac plenius §. ſeq. oſtendam) Hebdomadariis permiſiſſe: dum interim illi ab Anſelmo & Petro Archiepiſcopis memorati *Clerici Confratres Congregationis Salvatoris* (*Salvatoris* autem nomine vetus Cathedralis veniebat) in inferioribus miniſtrarent. Et ita quidem uſq. ad novae Cathedralis encaenia obtinuiſſe mecum ipſe haud temere reputabam.

At vero ubi nova haec Cathedralis encaeniata fuit, haud dubie ea novis miniſtris divina officia quotidie perſoluturis fuit inſtruenda. Quid enim? Canonicis (quibus tunc temporis veteris Cathedralis, nunc *S. Reſtitutae*, dictae dominium ac ſimul miniſterium obvenerat) grave fuiſſet praeter ſibi incumbens veteris Cathedralis ſive S. Reſtitutae ſervitium, etiam in novam Cathedralem quotidie ad Divina officia peragenda convenire. Quotidie, inquam, id praeſtare detrectaſſe videntur: nam ceteroqui numquam praeſente Archiepiſcopo aberant, & in feſtis ſollemnioribus etiam abſente Pontifice novae Cathedralis Officia unus Canonicorum celebrabat, ceteri ſacris intererant: quod ſatis ex Joannis Urſini Ritibus & ex Comite Neapolitano, qui in Capituli archivo aſſervatur, conſtat. At, inquam, quotidie illuc confluere graviſſimum videbatur.

Quid interim Archiepiſcopi facerent? An primitivos illos Neapolitanae Eccleſiae Hebdomadarios ad id cogerent? At ii pauciſſimi (41) numero fuiſſe videntur, & nihilo minus amolitos a ſe id onus veriſimile

(41) Nec enim aliarum veterum hebdomadarum certa mentio occurrit, quam illarum trium, quas anno 1378. Bernardus Archiep. a ſe extinctas, novis Hebdomadariis adnexuit. Fuiſſe quidem & alias primitivas Hebdomadas ex quibusdam non levibus indiciis alibi arguimus: ſed paucas omnino fuiſſe, arbitror.

Digitized by Google

le (42) est. Quod unum igitur relinquebatur, eo mihi consilia sua vertisse sive Humbertus, sive alius successorum videtur, ut veteres *Clericos Confratres Salvatoris* (i. e. Stephaniae, quae postea sibi recens nomen S. Restitutae peperit) qui hactenus in abjectioribus obsequiis insudaverant, ac non tam legitima institutione affigebantur Ecclesiae, quam deputatione mobili ad nutum deligebantur, ut hos inquam in legitimos beneficiarios proveheret. Hos igitur persolvendis divinis novae Cathedralis officiis, admotos fuisse necesse est, iisque *Hebdomadariorum* nomen & munus (sub cura tamen Cimeliarchae eorum antiqui praefecti) traditum, ac praeterea cautum, ut quotidie Choro praesto essent ea lege, ut in majoribus sollemnitatibus, quibus Canonici sollemniter Officium & Missam celebrarent, munia ipsi inferiora obirent, ceteris vero diebus novi ipsi Hebdomadarii totum divinorum Officiorum pensum sub cura Cimeliarchae absolverent. Ita equidem augurabar scripseramq. Sed paullo post casu accidit, ut illa Humberti tamdiu deplorata Constitutione, simulq. Ritualibus Joannis Ursini excerptis ex insperato repertis, me minime vanum augurem deprehenderim, ac simul tempus ipsum Hebdomadariorum recentium institutionis detexerim. De quibus omnibus paullo jam subtilius agendum mihi censeo.

PARS ALTERA.

Humberti de Divinis Officiis Constitutio producitur & explicatur. Quae tunc Divini cultus effigies in Neapolitana Cathedrali fuerit, exponitur. Utrum is Praesul novos Hebdomadarios instituerit, an alterius nominis ministris Ecclesiam instruxerit, expenditur.

Inter Camilli Tutini viri nostrarum antiquitatum studiosissimi bibliothecae Brancatianae manu exaratos codices unum prae ceteris aestimabilem (quantum quidem ad rem propositam attinet) ex indicio Cyri de Alteriis sacrae antiquitatis scientissimi jam olim videram atq. attrectaveram; quippe cum in eo codice veteris Ritualis Neap. selecta capita continerentur, olim a Camillo Tutino decerpta. Vetus autem ille Ritualis liber nihil fuit aliud quam *Ritus* sive *Consuetudines* (utroq. enim modo olim inscribebantur) Ecclesiae Neap. circa sacras caeremonias, ab Archiepiscopo Joanne Ursino anno 1337. in unum volumen coactae ac publicatae. Et integrum quidem Ursini codicem membranaceum, qui in Capituli tabulario asservabatur, amisimus. Sed id damnum Tutiniana excerpta resarciunt, in quibus eae Consuetudines magna ex parte integrae reperiuntur. Etsi in *Comite* Ecclesiae Neap. qui in Canonicorum archivo detinetur, eae quoq. paucis mutatis, tacito Joannis nomine pluries

(42) Nativas illas Ecclesiae Neap. Hebdomadas evasisse tandem simplicia beneficia, in tantum ut a Canonicis Cathedralis aut ceteroqui a clericis nobilibus possideri solerent, tum aliunde tum ex eodem Bernardi diplomate, cujus modo commemini, §. seq. demonstrabitur. Ea de causa non videtur quotidianum onus divinorum officiorum eis imponi in proclivi fuisse. Imo illud praestabilius visum Bernardo fuit, si tandem novis Hebdomadariis id onus jam amplexis hebdomadas nativas illas jam otiosas adnecteret.

Digitized by Google

pluries cernuntur: ex quo perſpicuum eſt, noſtrum Comitem, (vulgo *Comitum*) cui plura ex intervallo addita fuere, initio nihil aliud quam Urſinianas Conſuetudines deſcriptas habuiſſe.

At ex eodem illo Capituli codice, ex quo Tutinus Urſinianos Ritus decerpſerat, etiam Humberti Conſtitutionem deſcripſit: quam utpote ſingularis argumenti (quippe de novae Cathedralis, ab eopte encaeniatae, cultu Divino agentem) dare hic integram proderit. Ea ſic incipit.

Conſtitutio Domini Humberti Archiepiſcopi anno 1317.

Nos Humbertus miſeratione divina Neapolitanus (43) *Archiep. omnibus volumus eſſe notum, quod ſuſcepti regiminis nos cura ſollicitat, ut utilitatibus ſubjectorum, praecipue clericorum noſtrorum, in illis maxime per quae animarum ſaluti conſulitur, bonorum ſtatutorum editione ſollicite providere curemus. Sane cum deſideremus divinum cultum augeri, non minui, & nonnulli de noſtro* (44) *Capitulo Neapolitanae Eccleſiae multum negligenter conveniant ad divina diebus & horis debitis, quibus* (45) *ad ſupraſcripta tenentur; idcirco de conſenſu* (46) *& voluntate dicti noſtri Capituli infraſcriptis conſtitutionibus perpetuo valituris duximus ſtatuendum.*

I. Quod omnes clerici noſtrae Majoris Eccleſiae Neapolitanae, quocumq. (47) *nomine cenſentur, diebus* (48) *& horis debitis, quando intrare*

(43) Ipſiſſimum eſt initium quod modo pag. 147. ex Chioccarello deſcripſimus. Quod quidem initium ex uſu ejus aetatis fuit. Nam Joannes Vrſinus Conſtitutionum compilationi, quam initio ſui Epiſcopatus (h. e. ſub ann. 1330. edidit) ſic praefatur: *Nos Joannes Dei & Apoſtol. ſedis gratia Archiep. Neap.* (hic in editis deſunt forſitan pauca, quae ſupplenda ex hoc Humberti exordio ſuſpicor, nempe haec: *Omnibus volumus eſſe notum, quod) ſuſcepti paſtoralis regiminis nos cura ſollicitat, ſic utilitatibus ſubjectorum, in illis praecipue, quae animarum ſaluti conſulunt, nunc novorum editione jurium, nunc antiquorum confirmatione, ſollicite providere* &c. quae totidem verbis cum Humberto conveniunt.

(44) Canonicorum quorumdam negligentia in eo poſita erat (ut infra declarat) quod non ab initio Officiis intereſſent, ſed ſerius aliquanto in chorum intrarent. Qui porro hic *De Capitulo* dicuntur, iidem mox cap. 3. vocantur diſertim *Canonici*. Quos quidem valde laudo, quod ipſimet ſuopte judicio (nam haec Conſtitutio *De conſenſu & voluntate Capituli* edita mox dicitur) ſuos collegas negligentiores damnaverint.

(45) Ex hoc loco ſatis conſtat, Humbertum habuiſſe in confeſſo, Canonicos certis tantum diebus onere divinorum officiorum, ſive in nova Cathedrali ſive in S. Reſtituta, adſtrictos fuiſſe: *Quibus* (diebus) inquit, *ad ſupraſcripta tenentur*: id quod ex ſubjectis capitibus luculentius oſtenditur, & ex Adnot. 48.

(46) Non tantum alienationes, permutationes, uniones, & cetera hujuſmodi de conſenſu & voluntate Capituli ſemper factae fuere, verum etiam *conſtitutiones perpetuo valiturae* (uti ſuas haſce Humbertus vocat) ita demum robur accipiebant, ſi cum conſenſu & voluntate Capituli fierent. Multo magis in ſynodalibus conſtitutionibus id valebat: quas quidem Archiepiſcopus Joannes Vrſinus ſibi aeque & Capitulo inſcribit: *Conſtitutiones*, inquit, *Synodales.. Domini Joannis.. Archiepiſcopi Neapolitani, & ejus Capituli*.

(47) Ex his probabile fit, praeter Canonicos & confratres S. Salvatoris fuiſſe etiam Hebdomadarios, ſive primitivos, quos ſaepe nominavi, ſive forſan etiam novos jam tum inſtitutos. Alioqui quo illud *Quocumq. nomine* pertinebit? Verum de his vide adnot. 54. & in fine hujus partis.

(48) Jam ſupra Adnot. 45. notavimus, tunc

Digitized by Google

re (49) *& intereſſe debent divinis officiis, ad ipſa conveniant ut tenentur, ut Deo, deinde Eccleſiae ſatisfaciant; & Divinam ne* (dum) *noſtram mereantur effugere ultionem.*

II. (50) *Item ſtatuimus, ut quotiens officium mortuorum pro anniverſario alicujus mortui in noſtra Majori Neapolitana vel* (51) *Sanctae Reſtitutae Eccleſiis celebratur, omnes ſollicite conveniant ad dictum officium celebrandum; & ſiquis adeo negligens fuerit, quod poſt Introitum Miſſae ad dictum officium convenerit, & non ante, portione, quam haberi debetur* (corr. ex Joanneo cap. 48. *Quam habere debet*) *intereſſendo a principio dicti officii, ſit* (52) *ea vice ipſo facto privatus.*

III. Item ſtatuimus, quod quotiens feſtum aliquod celebratur in noſtra Majori Neapolitana Eccleſia, in quo pecunia (53) *aliqua pro prandio vel pro aliquo alio, inter clericos dividatur, ſiquis Canonicorum* (54) *ſic*

tunc Canonicis non incubuiſſe Officiorum onus quotidianum. At id ceteris etiam cujuſcumq. nominis clericis commune fuiſſe, liquet: *diebus*, inquit, *quando intereſſe debent divinis officiis*. Sed & hoc ipſum ex omnibus iis monumentis, quae §. ſeq. producentur, confirmatur. Nec enim alia de cauſa novis Hebdomadariis modo veteres illae otioſae Hebdomadae, modo Eccleſiae quaedam & beneficia ab Archiepiſcopis & Capitulo adnectebantur, niſi ut ii reditibus aucti (quorum inopiam cauſati, onus quotidianum detrectabant) quotidie Divinis intereſſe valerent. Vide §. ſeq. Imo & ex ſubjectis hujus conſtitutionis capitibus ſatis intelligitur, tum Canonicos, tum etiam ceteros beneficiarios iis fere tantum diebus modo in majorem Eccleſiam, modo in S. Reſtitutam conveniſſe, in quos ſive defuncti alicujus anniverſarium, ſive feſtum, in quo pecuniae ex legato aliquo diſtribuebantur, in utralibet Eccleſia celebrandum incidebat.

(49) *Intrandi* verbum ſollemne in ea re tunc fuiſſe non tantum ex hodierna hujus Cathedralis loquendi conſuetudine, & ex Vrſinianis Ritibus paſſim, ſed etiam ex Capuanae Eccleſiae ritibus antiquis conſtat: in qua primum campanae ſignum, quo Canonici ad Eccleſiam invitantur, vocatur *L'entrata*; alterum ſignum, *La riveſtita*, quo veſtes Canonicales induunt; ad quod alterum pertinet Humberti caput 4. infra ſubjectum.

(50) Hoc, & duo ſequentia capita ab Joanne Vrſino in ſuos Ritus ſive Conſuetudines Eccleſiae Neap. inſerta fuere, Hoc igitur cum Joanneo cap. 48. ac duo ſequentia cum Joanneis 49. & 50 totidem verbis conveniunt.

(51) In Joanne paullo aliter: *In noſtra majori Eccleſia Neapolitana, vel Sanctae Reſtitutae Eccleſiae*. Sed utrobiq. ſenſus idem. Nam utrobiq. τὸ *Noſtra* tantum ad novam Cathedralem refertur; quia S. Reſtituta (uti Parte I. cap. 6. demonſtravimus) in Canonicorum dominium tranſierat.

Hic vero locus (ſicut & infra cap. 4.) perquam notabilis eſt. Nam ex monumentis, quae exſtant, hoc primum eſt, in quo cathedrali veteri appellatio *Sanctae Reſtitutae* (ſicuti etiam infra cap. 4.) tribuitur; ea certe de cauſa, quod jam anno 1317. (quo haec conſtitutio evulgata fuit) S. Reſtitutae Virg. reliquiae ex peculiari ſui nominis Eccleſia, priori Cathedrali contigua, in ejuſdem prioris Cathedralis Aram maximam translatae fuerant. Quam dudum quidem ea translatio acciderit, incertum. Tamen quia hujus Conſtitutionis annus 1317. videtur tertius aut quartus ab novae Cathedralis encaeniis numeratus; recens adhuc tum ea translatio, tum inditum priori Cathedrali nomen *S. Reſtitutae* fuerit oportet.

(52) Hoc melius, quam quod in Joanne cap. 48. ſcribitur: *Fiet jure ipſo facto privatus*.

(53) Hoc nempe illud eſt, quod ſupra in Adnot. 48. monuimus, iis ferme tantum diebus tunc noſtros ad officia conveniſſe, in quos ſive anniverſarium incideret, ſive aliud feſtum celebraretur, in quo pecuniae ex alicujus

Digitized by Google

(54) *sic negligens fuerit, quod in Vesperis ad primum Gloria Patri post primum Psalmum, ad Matutinum ad primum nocturnum Psalmorum* (*) *& in Missa ad Epistolam completam non convenerit ad Divina, non obstante, quod post ad officia ipsa convenerit, portione* (55) *de dicta pecunia contingente ipso facto ea vice privetur.*

IV. Item statuimus quod quotiens divina Officia in nostra Majori, vel Sanctae Restitutae Ecclesiis sollemniter celebrantur, nullus clericorum quocumq. nomine aut (56) *dignitate refulgeat, chorum intrare audeat nisi superpellicea* (57) *& almucia sit indutus, nec in choro sed extra se*

eujus legato distribuebantur. Iis inquam diebus plenus conventus erat: at ceteris diebus, quibus nihil dividebatur, aut nullos aut parum frequentes fuisse conventus, infra Adnot. 58. observabimus.

(54) Hoc caput, uti dixi, idem est ac Joanneum XLIX. nisi quod ibi praeter Canonicos etiam *Hebdomadarii* memorantur in hunc modum: *Si quis Canonicorum, vel Hebdomadariorum, sicut sunt* (distingue: *sic, ut sunt, negl.*) *negligens fuerit*. Quinam Hebdomadarii, nativi ne an recens instituti, hoc loco intelligantur, postea viderimus.

[*] Tantumdem hodiernae Capituli Constitutiones in Vesperis & Matutino praescribunt. At in Missa post *Kyrie* intrantes amittunt distributionem: hac nim. parte Humberto severiores.

(55) In Joanne hoc totum est inquinatius: *Portionem eum de dicta pecunia contingendum ipso facto & jure privetur*. Etsi illud EVM recte habet, ac legendum, *Portione eum de dicta pecunia contingente*.

(56) Τὸ *Quocumq. nomine* ad omnes peraeque pertinet; at τὸ *Dignitate* tantum Canonicos petit: quibus tunc usitatum fuisse arbitror, aut civilibus tantum vestibus indutos Divinis interesse, aut sic saltem intrasse, nec nisi in choro postmodum se parasse, atq. ibidem sese in fine exuisse: quod totum hoc capite vetatur. Et tamen eam corruptelam pott hanc constitutionem aliquando repullulasse, ex eo potest intelligi, quod in Synodo Alfonsi Carrafae anno 1565. habita Jul. Sanctorius in fine allocutionis, qua Canonicos ad frequentiam hortabatur, pag. 212. postquam pro confesso habuit teneri canonicos *tantum assistere certis diebus, aut praesente Praelato*; post non multa hortatur, ut *In choro quandoque saltem, ETIAM SINE CAPPIS praesideant, ornentq. locos* &c.

(57) Nunc primum *superpelliceam* (nisi menda sit) sequioris generis reperio. Ceteri omnes neutro genere usurpant *Superpelliceum* aut *Superpellicium*. Alteram vestem Humbertus vocat *Almuciam*, uti & passim apud aevi medii scriptores reperitur. At hoc loco Joannes [cap. 50.] *Armucia* cum littera canina exhibet: quam etiam scripturam Fresnius ex duplici tantum Ravennensi Concilio comprobat: quem vide in *Almucia*. Origo vocis poterat ab *Armis* peti, quos illa vestis, unâq. simul caput, tegebat.

In S. Restitutae Ecclesia ante hos octo annos adhuc tres erant januae, per quas a Cathedrali hodierna in S. Restitutam patebat ingressus [quarum duas extimas nuper Eminentiss. Archiep. Joseph Spinellus obstruxit, ut duorum Archiepiscoporum monumen.is locum praeberet] quas januas omnino proxime ante encaenia fuisse factas oportet. Portae porro mediae adhuc superstiti (quam idem Cardinalis additis ornamentis renovavit) pictura vetustissima imminebat, in qua Canonici almuciis induti (ea enim veste initio XIV. saeculi adhuc Canonici simplices utebantur, etsi mox sub Joanne Vrsino Canonici Cardinales cappis induebantur) ad pedes Mariae Virginis flexis genibus circumfusi procumbebant. Ac doleo quod ejus picturae, antequam dirueretur, exemplum tunc nullum exceptum fuerit. Sed memini ibi almuciae capitium quadratum fuisse, cujusmodi nunc clericorum birretum cernitur. Nam certe almucia progressu temporis (mutilata scil. appendice illa, quae humeros obvelabat) in hodiernum birretum degeneravit. Sed bene est, quod in quorumdam sepulcrorum operculis adhuc veteris almuciae forma visitur.

Digitized by Google

se induat, & sic indutus chorum ipsum intret ad ipsa divina officia celebrandum, nec (*) *in eodem choro se exuat. Qui vero contrarium fecerit, si* (58) *aliquod sit inter ipsos clericos dividendum, per nos postea* (poena) *debita juxta nostrum arbitrium puniatur.*

Mandantes tenere Statina (59) *Cellarariis, & illis qui dividere habent inter ipsos pecuniam, sub poena excommunicationis* (60) *quam eos, si contrarium fecerint, incurrere volumus ipso facto, ut nulli venienti contra statuta praedicta, vel ipsorum* (61) *aliquid deferant in hac parte.*

Datum Neapoli in nostro Archiepiscopali Palatio anno Domini MCCCXVII. die XI. (Chioccarellus in suo habuit, *Die* 10.) *mensis Septembris I.*(62) *Indict. Pontificatus Dom. Joannis Papae XXII. anno primo.*

Nunc quid ex hac Constitutione circa Neapolitanae Ecclesiae ministros circaque Divina officia assequi liceat, videamus. I. Illud initio constat, jam tum veteri Cathedrali nomen *S. Restitutae* fuisse inditum; eamq.

(*) In ms. erat *Nec non*; sed recte posterius monosyllabum in Joannis cap. 50. ejicitur.

(58) Ex hoc inciso intelligitur, fuisse conventus, in quibus nihil divideretur, ac tum liberum fuisse omnibus non convenire ad officia. Id quod etiam ex monumentis §. seq. producendis patet, in quibus Hebdomadarii hoc suae infrequentiae praetexebant, quod carerent reditibus, qui scil. praesentibus distribuerentur.

At vero incisum istud in Joanneo cap. 50. non legitur: ubi tota haec periodus corrupte sic scribitur: *Et si contrarium fecerit, incurrere volumus ipso facto poena debita juxta nostrum arbitrium puniatur.*

(59) Istud *Statina* nihil est. Verum ne dubita, quin Humbertus *Statuta* scripserit, quae ipsa vox statim versu hinc quarto repetitur.

(60) Poenam excommunicationis incurrunt, si statuta non *tenuerint* h. e. non observaverint (ut illud, *Tenete traditiones*, & *Quod bonum est tenete*) nec enim *tenere* est statutorum exemplum apud se habere. Rem ita esse ostenditur ex eo quod statim sequitur, *Ut nulli &c. ... deferant.* Vide Adnot. seq.

(61) Malim *aliquod*. Sensus est: *Ut nulli venienti* (in chorum) *contra dicta statuta* (vel omnia, quia & sero intrant, & sine choralibus indumentis) *vel ipsorum* (statutorum) *aliquod, deferant in hac parte.* Ex ultimis vocibus excidit, puto, *re Vice*, quo passim in fine capitum utitur: *Deferant*, inquit, *in hac vice partem*; illam utique quae eum contingit. Haec causa excommunicationis est.

[62] Anno 1317. Indictio Romana seu Pontificia, qua vulgo utimur [quae a Kalendis Januar. procedit] non erat I. [ut hic scribitur] sed XV. Quid ergo est? An descriptor erravit? Non puto; quia non poterat ex XV. fieri I. Verum ne morer; hinc discimus, saeculo XIV. ineunte Neapoli adhuc CPolitanam Indictionem in usu fuisse, quae a Kalendis Septemb. progreditur. Itaque anno 1317. in reliqua ferme Italia mense Septembri [quo haec Constitutio data fuit] Indictio XV. numerabatur, at Neapoli & in toto opinor Regno jam Indictio I. currebat, a Kalendis Sept. inchoata.

Imo quid miramur, saeculo XIV. Neapoli Indictionem CPolitanam fuisse usurpatam, cum eadem adhuc ineunte XVI. saeculo ibid. in usu esset? In Ratione computi Ecclesiastici, quae inter Collectanea *Comiti* Neapolitani reperitur (quae Ratio certe ineunte XVI. saeculo conscripta fuit) sic fol. 79. legitur. *Et nota più che la dicta Indictione se piglia el primo dì de Septembro, & cresce la dicta Ind. da uno in uno fino in XV. anni, & finiti li dicti anni XV. torna ad uno, incomizando puro dal primo dì del mese de Septembro* &c. Quae consuetudo videtur Neapoli toto ferme eo saeculo perdurasse. Paria hujus Indict. CPolitanae exempla ad calcem Adnot. 63., & §. seq. dabimus.

Digitized by Google

eamq. insuper Ecclesiam in Canonicorum dominium perveniſſe (de quo vide Adnot. 51.) & tamen conventus plenarios, in quos ſcil. non tantum Canonici ſed & ceteri ordines (*quocumq. inquit, nomine cenſentur*) peraeque coirent, modo in nova Cathedrali, modo in vetere, ſeu S. Reſtituta fuiſſe actos. Hoc quoque diſcimus, conventus plenarios (praeter maximas ſollemnitates, eas maxime quibus Praelatus aſſiſteret) eos ferme fuiſſe habitos, in quibus aliquid diſtribueretur. Nam in quibus nihil dividebatur, eos admodum infrequentes fuiſſe cenſeo; imo eo tandem deventum fuiſſe, ut propter miniſtrorum infrequentiam intermitterentur, mox notabitur.

II. Ceterum etiam iis diebus, quibus nihil erogabatur, ſacrorum concilia fuiſſe ſtatuta, tum ex antiqua S. Athanaſii inſtitutione, tum ex hac ipſa Humberti Conſtitutione conſtat cap. 4. ubi ſic legitur: *Si aliquod ſit inter ipſos Clericos dividendum*: ex quibus arguitur, fuiſſe conventus diſtributionibus vacuos. At quia poſtea proceſſu temporis accidit, ut iis diebus Hebdomadarii non convenirent, ſuaeq. abſentiae redituum inopiam praetexerent; hinc illa diverſorum Antiſtitum diplomata (quae §. ſeq. exponemus) qui per diverſas uniones Hebdomadariorum indigentiam ſublevare ex intervallo ſatagebant.

III. Porro ex recitata Humberti Conſtitutione nihildum notabilis mutationis circa divina officia percipimus. Eadem plane cultus divini facies, quae ante fuerat, adhuc erat: niſi quod ſacros coetus quibuſdam diebus in nova, aliis in vetere baſilica fieri ſtatutum erat. In eoſdem quoq. coetus junctim, ſicut antea, Canonici ceteriq. inferiores ordines confluebant.

IV. De *Hebdomadariis* autem nihil diſerte ab Humberto traditum reperitur: ut jure dubitari poſſit, utrum anno 1317. (quo haec Conſtitutio prodiit) Fratres Salvatoris in Hebdomadarios provecti fuerint, nec ne. De quo quidem ſunt, quae afferri in partem utramvis poſſint. Pro aſſirmante enim parte duo potiſſimum dici queunt: I. quod illud, *Quocumq. nomine cenſentur* (quod bis repetitum reperio) praeter Canonicos & inferiores Clericos fuiſſe aliquem alium interjectum miniſtrorum ordinem arguat: quorumnam vero niſi Hebdomadariorum? II. Deinde quod cap. 3. ubi in exemplo a me edito ſcribitur, *Siquis Canonicorum ſic negligens fuerit*, ibi apud Joannem Urſinum (quem tria hujus Conſtitutionis capita verbis totidem ſuis Ritibus inſeruiſſe, ſupra monui) legitur: *Siquis Canonicorum, vel Hebdomadariorum* &c. Quod argumento eſt, de *Hebdomadariis* jam a ſe inſtitutis ibi diſertim Humbertum caviſſe; eamq. vocem, quae librariorum poſtea vitio intercidit, ab Urſino in autographo Humberti repertam. Haec pro ajente ſententia. At viciſſim pro negante haec dici poſſunt. Ac primum in Humberti quidem cap. 3. (quod in Joanne eſt 49.) nihil de Hebdomadariis

 fuiſſe

Digitized by Google

fuisse cautum, quia nondum erant: at vero Joannem (a quo forsitan auctore novi Hebdomadarii prodierunt) quando Humberti tria illa capita in suos Ritus transtulit, eaq. sua fecit, vocem *Hebdomadariorum* necessario addidisse, ut illud Constitutionis caput novis moribus accommodaret. Deinde vel si concesserimus, ibi *Hebdomadariorum* vocem ab Humberto ipso profectam; an non designare potuit veteres nativos Majoris Ecclesiae Hebdomadarios ? de quibus jam pluries dixi, & §. seq. adhuc plura dicam: quos quidem secuti postea Antistites extinxerunt. Imo & hos eosdem spectasse credendus erit, cum universe de ordinibus ministrorum ait, *Quocumq. nomine censentur*. Itaq. adhuc dubium est ab Humberto, an alio auctore novi Hebdomadarii prodierint.

V. Imo (quid enim ultra dissimulo?) mihi certum videtur, hodiernos Hebdomadarios Humberto ignotos fuisse. Quj si eos procreasset, aliquam ejus rei significationem uno saltem verbo (praesertim id prorsus poscente argumento) dedisset. Nec tamen mihil prorsus fecisse Humbertum crediderim: qui, si locus conjecturae datur, ita Ecclesiae suae digessisse videtur ordines. Tria is reperit ministrorum nomina, Canonicorum, Hebdomadariorum primitivorum, & Clericorum Confratrum Salvatoris. Ex his, ut jam supra initio monui, nullum reperit ordinem, cui quotidianum Missae publicae & Horarum Canonicarum pensum imponeret. Canonici jamdiu quotidianum id onus a se repulerant, certis tantum anni diebus Divino praeesse officio contenti. Adhaec Hebdomadae illae nativae jam ferme otiosae evaserant; nam & Canonici, ut §. seq. ostendam, eas Hebdomadas interdum possidebant; & hoc ipso tempore, ut infra pluries observabitur, virorum ferme nobilium inertes tituli evaserant. Postremo Confratres Salvatoris inter inferiores Clericos aduc numerabantur, ad infima ministeria comparati. Quo se interim Humbertus verteret? cui quidem non tantum dierum festorum, sed & profestorum quotidianis ministris, quibus novam Cathedralem instrueret, peropus erat. Ibi eum suspicor hunc primum fecisse gradum. Ex Clericis Confratribus Salvatoris quemdam Presbyterorum ordinem erexisse videtur (quos facile sive Humbertus ipse, sive alius postea, ad XL. redegit) qui & Missas quotidianas profestis diebus, & officia divina persolverent. Deinde, ut inventis addere cuivis proniissimum est, succesforum alius (ac facile Joannes Ursinus) ex hisce XL. presbyteris duos & viginti exemit, quibus Hebdomadariorum nomen, & quod dixi onus quotidianum imposuit, residuis vero presbyteris octodecim vetus nomen τῶν *Quadraginta* (quod nomen saepe in ipsis Joannis Ursini Ritibus occurrit) perpetuum ita mansit, ut tamen semper ejus miraculi (cur scil. qui octoni deni tantum essent, iis *Quadraginta* nomen tribueretur) ea ratio assignata fuerit, Quia, inquiunt, cum XXII. Hebdomadariis (sodalibus semper suis, scil.) eum numerum absolvunt. Sic non temere augurabar.

PARS

PARS TERTIA

Hebdomadarii nec ab Humberto, nec Bertoldo, nec Anibaldo fundati, omnino intra novem primos Joan. Urſini annos erigi debuere. I. Rituum Urſinianorum notitia. II. Eadem erectio intra 30. menſium fines artius coercetur, qui inter Urſinianam exſequialem Conſtitutionem (quae integra adſcribitur, & illuſtratur) & Ritus anno 1337. fere medio ab eodem editos fluxerunt. III. Iidem Hebdomadarii dotati a Capitulo fuerunt, & tamquam Canonicorum vicarii quotidianum divinorum officiorum onus ſubjerunt.

Et jam quidem inquiſitio plena negotii levibus lineamentis adumbrata fuit. Nunc, ſi videtur, ſubtilius eadem expolienda venit. Dixi non videri hodiernos Hebdomadarios ab Humberto profectos. At ne ad duos quidem treſve proximos Humberti ſucceſſores ſuum genus referre poterunt: quos & breviſſimo ſediſſe tempore, & aliis prorſus diſtentos curis fuiſſe conſtat. Nam poſt Humbertum anno 1320. e vivis ſublatum Matthaeus Philamarinus electus, tamen ad munus conſecrationis non pervenit. Anno igitur 1322. vergente Bertuldus ſive Bertoldus Urſinus electus, regiiſq. negotiis diu diſtractus, nonniſi anno 1325. eſt conſecratus, quo eodem exeunte, aut ineunte anno 1326. e vivis exceſſit. Huic anno 1326. medio ſubrogatus eſt Anibaldus de Ceccano Hernicus: qui tamen mox anno 1327. Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus creatus, eodem exeunte anno Archiepiſcopatu Neapolitano ſe abdicavit. Cui tandem anno 1328. Joannes Urſinus ſucceſſor datus, Eccleſiam hanc noſtram per annos triginta ipſos ita provide ac labore ſummo adminiſtravit, ita legibus & caeremoniarum apparatu eamdem inſtruxit, ut (ſi modo profana nomina hiſce ſacratiſſimis noſtris ſit fas opponere) eum Neapolitanum Numam vocare liceat. Ex his jam ſatis animadvertitur ab anno 1317. quo Humbertus Conſtitutionem de Divino cultu a ſe ſcriptam dedit, ad ann. 1328. quo creatus eſt Joannes Urſinus, nullum plane fuiſſe tempus, cui Hebdomadariorum, qui nunc ſunt, fundatio aſſignari commode queat. Nec enim eos Humbertus ultimo ſuae vitae triennio creaverat. Quod ſi feciſſet, nae is alteram Conſtitutionem ſcripſiſſet, qua priorem refingeret: nunc quam habemus, eam ultimum Humberti de rebus hiſce teſtamentum fuiſſe, ex eo conſtat, quod ejus tria capita in codicem Joannearum Conſuetudinum, uti dixi, relata fuerint. Humberti vero ſucceſſores nihil de re tanti moliminis cogitare potuiſſe, ſatis eſt demonſtratum. At vero in Joannis Urſini Ritibus ſive Conſuetudinibus hodierni Hebdomadarii millies memorantur, & ita ut numerus duorum ſupra viginti deſignetur, & omnino divinorum officiorum πολιτεία (*adminiſtratio*) talis deſcribatur,

Digitized by Google

cujusmodi usq. ad S. Pium V. viguit. Cum igitur Ursiniani Ritus anno 1337. evulgati fuerint; non aliud relinquitur, nisi ut intra primos ipsos novem Ursiniani pontificatus annos hodierni Hebdomadarii ex meris Confratribus Salvatoris in Hebdomadarios (simul tamen Confratres) erecti fuerint.

Et jam quidem fluitantem ac vagam Hebdomadariorum erectionem intra novenûm tantum annorum terminos coercuimus. Nunc si videtur, an non eadem finibus longe angustioribus constringi queat, age experiamur. Itaq. ubi de Joannis Ritibus pauca praemiserimus; ex eisdem loca de Hebdomadariis potiora delibabimus, ex quibus fundationis ipsorum veram epocham stabiliemus. Ac demum quam Capitulum symbolam in eorumdem erectionem de suo contulerit, depromemus.

I. *Rituum seu Consuetudinum Joannis Ursini notitia.*

De hoc Joanne Chioccarellus post memoratas ejus Constitutiones sui pontificatus initio promulgatas (quas postea ab Alexandro Carrafa confirmatas & pluries editas hodie terimus) sic in fine pag. 221. pergit: *Nec his contentus Joannes die 1. Maii 1337. omnes suae Ecclesiae consuetudines, caeremonias, & sollemnitates servari solitas in scriptis redigi curavit, reformavit, ac servari jussit, in divinis nempe officiis pro Dei & Sanctorum cultu celebrandis, generalibus item ac particularibus Cleri processionibus gestandis, sacris etiam spectaculis & ludis populo exhibendis, ac in obsequiis ab ejus Cleris (Latino nempe & Graeco) Neapolitano Antistiti & Cathedrali Ecclesiae praestandis, per totum annum: quorum Rituum magna jam pars temporum curriculo antiquata est.* Hoc Joannis opus nomen *Rituum* praetulisse, ostenditur ex Caesare de Engenio, qui pag. 48. initio ex Joannis Ritu XVIII. probat in processionibus aliisq. celebritatibus Graece viciſſim ac Latine psalli olim consuevisse. Et id quidem Joannis opus superiore saeculo adhuc in tabulario Capituli asservabatur. Quid postea eo factum fuerit, plane ignoramus. Nisi quod tantum eorum Rituum excerpta quaedam auctore Camillo Tutino inter MS. codices Brancatianos supersunt, in quibus ea maxime, quae ab hodiernis caeremoniis exorbitant, Tutinus sollerter ipsis Joannis verbis notaverat. Ex eorum porro Excerptorum lectione deprehendi, haud parvam eorum Rituum partem eisdem ferme verbis in Comite Neapolitano adhuc contineri: ut proinde affirmare possimus, Comitem Neapolitanum ab Joannis Ritibus suam primam originem arcessere. Haec satis de Joannis Ursini Ritibus, deq. eorum excerptis Tutinianis.

II. *Heb-*

Digitized by Google

II. Hebdomadariorum erectio intra menses illos triginta restringitur, qui inter Joannis Ursini exsequialem Constitutionem exeunte Octobri anni 1334. promulgatam interq. ejusdem collectionem Ritualem ineunte Majo anni 1337. publicatam, medii fluxerunt. Exsequialis eadem Constitutio adscribitur & illustratur.

Qui primus igitur omnium hodiernorum Hebdomadariorum meminerit, nemo alius ab Joanne Ursino reperietur: a quo uno tota Ecclesiastica Cathedralis hujus τολιτεία, quae ad usq. tempora S. Pii V. obtinuit, profectam video. Is igitur ipso statim sui pontificatus primordio in Constitutiones suorum decessorum ac suas recensendas & in unum volumen cogendas, easq. synodice confirmandas incubuit: quae pluries editae circumferuntur. In iis tamen, uti frequens admodum Capituli & Canonicorum; ita nulla prorsus Hebdomadariorum mentio cernitur; ut facile existimatu sit, Ursino Episcopatum ineunte nondum plane Hebdomadarios, qui nunc sunt, exstitisse.

Adhaec Praesul idem anno 1334. Constitutionem exsequialem evulgavit, quae capita duo & viginti complectitur: quae quidem collectioni Rituum (ab eodem postea Joanne, uti dicetur, elaboratae) adjuncta fuit cum hac inscriptione: *Constitutio Domini Joannis Archiepiscopi super exsequiis anno* 1334. Atqui inter ea duo & viginti capita Canonicorum quidem & aliorum ministrorum multa est mentio, *Hebdomadariorum* autem prorsus nulla: ut sane mihi videar hoc tuto praestare posse, usq. ad exeuntem Octobrem anni 1334. (quo ea sanctio publicata fuit) horum recentium Hebdomadariorum nomen fuisse prorsus inauditum. Rogo lectorem ut eam Constitutionem, quam ex Tutinianis Ursiniani Ritualis excerptis erutam, in imam pagellae (63) oram conjeci, semel & iterum

(63) *Exsequialis Joannis Vrsini Constitutio producitur, & illustratur.*

Eam, uti dixi, Constitutionem ex Vrsini Rituali libro descriptam Cam. Tutinus suis Ritualis illius excerptis Brancatiane bibliothecae inseruit: quae talis est.

Constitutio Domini Joannis Archiepiscopi super exequiis. Anno 1334.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1334. *Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini Joannis Divina Providentia Papae XXII. Anno XVIII. Nos Joannes Dei & Apostolicae sedis gratia Archiepiscopus Neapolitanus. Ad nostrum munus nos innatae charitatis instinctus, & auctoritas Pastoralis induxit, ut sicut vivorum actibus, & decentibus ordinationibus studiosius intendamus, & (fortetiam) ne clerici inordinate remaneant, vigilem curam & sollicitudinem impendamus. Quapropter cum consensu nostri Capituli statuendo ordinamus, atque firmamus infrascriptas ordinationes perpetuo valituras.*

1. *In primis statuendo ordinamus atq. firmamus, ut cum Capitulum nostrae Majoris Neapolitanae Ecclesiae ante dictum servitium personaliter aliquos accedere contigerit ad exequias alicujus funeris decedentis Canonici, & (pro etiam) alii clerici Capituli praelibati in eundo usq. ad Ecclesiam ante funus, & redeundo ab Ecclesia binatim continuato progressu incedere debeant retro crucem, & antecedente ex clericis Capituli antefati, qui primitus receptus extitit in Capitulo memorato.*

2. *Item quod nullus clericus candelam in exequiis alicujus funeris habere audeat, vel praesumat, vel qui praesens exequialiter ante funus usque ad Ecclesiam accedendo, & ab*

eo

eo (imo ea) Ecclesia redeundo incesserit simul cum aliis clericis retro crucem, nec infirmitate aliqua, seu quavis ex causa aliquis proinde valeat excusari.

3. Item quod nullus clericus plures candelas, nec tantum unam in exequiis recipere audeant, infrascriptis dumtaxat exceptuatis personis, quibus liceat, prout infra describitur, recipere, & habere, videlicet, Primicerius, vel ejus Locumtenens torciciam, seu dublerium debeat recipere & habere.

4. Item quod primus de alio choro habere debeat candelas duas.

5. Item Magister scholarum, & eorum substituti, ipsorum quilibet habere debeat candelas duas.

6. Item cuilibet Magistro Scholarum Majoris Neapolitanae Ecclesiae liceat unum tantummodo substitutum habere & recipere.

7. Item quod qui defert Crucem in exequiis ante funus, duas candelas recipere debeat & habere.

8. Item duas candelas habere debeat, qui defert Turribulum ante Crucem, & totidem habere debeant quilibet deferentium candelabra ante Crucem.

9. Item quod sacrista Majoris Neapolitanae Ecclesiae, videlicet, Presbyter Gentilis tres candelas habere debeat funerales, & totidem habere debeat Sacrista Ecclesiae Sanctae Restitutae, cum ipsius crux exequialiter processerit ante funus.

10. Item nullus clericus nisi indutus fuerit cocta in exequiis candelam recipere audeat, vel praesumat.

11. Item nullus de clero recedere de exequiis audeat demissa (cor. dimissa) Cruce exequialiter procedente, sed in eundo, & redeundo Crucem ipsam cum ipso clero debeat usque ad Neapolitanam Ecclesiam praescriptam comitari.

12. Item quilibet Clericus deferre debeat candelam accensam & superpelliceum cum funus cum clero ad Ecclesiam exequialiter comitatur.

13. Item quod nullus sub poena amissionis cottae, alicui audeat cottam commodare.

14. Item quod ille qui facit foveam funeralem in Ecclesia majori, vel in Ecclesia Sanctae Restitutae, habeat mediam untiam a Capitulo pro labore, calce, & aliis necessariis in dictis Ecclesiis annuatim, & quod nihil aliud ultra recipiat nec ceram, nec pecuniam, & si aliquid ultra recipiat, expellatur.

15. Item quod Magistri Scholarum in exequiis ordinent in eundo, & redeundo cum Cruce Sacerdotes & alios clericos, quod gradatim incedere debeant, & binatim.

16. Item quod quando cera expenditur funeralis, nullus irruat in illum, qui ceram expendit sub poena privationis candelae, quam alias deberet recipere & habere.

17. Item quod nullus Clericus recipiatur ad exequias nisi sit ad minus annorum X. & indutus cotta veniat, & calciatus.

18. Item quod capitulum non possit scallium aliquot pro exequiis alicujus funeris decedentis facere.

19. Item cum secundum antiquam consuetudinem Capitulum consuevisset a quolibet funere candelas ducentas recipere & habere, & eas pro voluntatis beneplacito retinebant; ut aequalitas observetur, noviter ex causa tenore praesentium ordinamus cum consensu Capituli praelibati, quod 40. candelae ex praedictis vendantur, & precium earum inter triginta Presbyteros pro aequalibus portionibus dividatur. Ita tamen quod ex istis Presbyteris sint hii, videlicet Comitus, Sacrista, Vestaranus, & Paramonarius, cum sit Sacerdos.

20. Item cum aliquis Canonicus exstiterit vita functus, Canonici teneantur ire ad exequias dicti defuncti Canonici cum superpelliciis, & Primicerius una cum primo Diacono ascendat ad domum dicti defuncti cum Canonicis per eundem primum Diaconum & Primicerium, vel eorum locumtenentes electos (malim electis) & dicti Canonici electi deferant ad Ecclesiam funus dicti Canonici decedentis.

21. Item si contingat aliquem defunctum in Ecclesia Majori Neapolitana sepeliri, vel in Sancta Restituta, nullus Canonicorum incedentium exequialiter cum superpelliciis recedat de Ecclesia donec officium Divinum, quod celebratur pro dicto funere sit completum.

22. Item quod cum consensu dicti Capituli postremo duximus ordinandum, quod quando fuerint anniversaria in Ecclesia Majori per Comitum, nullus Canonicus habeat nisi unam candelam exceptis infrascriptis videlicet: Primus Diaconus, Primicerius, & Comitus, & ipsorum loca tenentes, quorum exceptuatorum quilibet duas candelas recipere debeat & habere.

Monemus autem primo secundo, tertio & ultimo peremptorio omnes & singulos de quibus

Digitized by Google

bus supra in genere vel in specie fecimus mentionem, eisdem, & ipsorum cuilibet, praeter poenas supradictas sub excommunicationis poena infrascripta mandantes, quatenus omnia & singula supradicta quilibet ipsorum quantum ad se pertinet debeat observare. In contrarium vero facientes & facientem ex nunc prout ex tunc dicta monitione praemissa Canonica excommunicationis sententiam proferimus in scriptis. Datum in Palatio Archiepiscopali Neap. die 20. mensis Octobris III. Indict. Anno & Pontificatus supradictis.

ADNOTATA ALIQVOT
Ad Constitutionem Superiorem.

Cap. 1. Servitium *idem quod Officium. Ad cap. 3. de Tortitio & Duplerio, eorumq. etymologia. Cap.* 8. Annichini. *Cap.* 9. Presbyter gentilis. *Duplicis Crucis (utriusq. Capitularis) origo ex eo fluxit, quod ad funerum promptiores usus crux una in S. Restitutae, altera in Cathedralis sacrario asservaretur; quae ambae tandem praeferri aliquando coeptae; sed ambae pro Capitularibus agnitae. Cap.* 18. *quid sit* Scallium, *curve damnetur. Cap.* 19. *de nulla usquam Hebdomadarior. mentione. De* Vestiario *&* Paramonario. *Cap.* 20. Funus *idem quod feretrum. In fine de CPolitana Indictione Neapoli usq. usurpata.*

In praefatione media erat: *Et sicut vivorum. acribus.* Prope finem erat *: Cum censentur nostri capituli*: Utrumq. correximus.

Cap. 1. initio pro, *Ut cum Capitulum*, videtur corrigendum, *Ut cum cum Capitulo.* Mox *τὸ Ante dictum servitium*, prorsus meo judicio significat, *Antequam dicatur servitium*, i. e. officium: nam *Servitium* tum sacram synaxin, tum quodlibet ex divinis officiis notat. Sequitur *: Et alii clerici*; h. e *etiam alii cler.* Hoc vero caput eo pertinet, quod, quia Canonici diebus profestis ad Horas Canonicas in Cathedrali persolvendas non conveniebant (qui mos usq. ad S. Pium V. valuit) siquando Capitulum ad Canonicum efferendum, ante quam *diceretur servitium*, procederet; inferiores ministri per obtentum persolvendi servitii, ab exsequiis aberant: quod Ursinus vetat. Sequitur: *In eundo ad Ecclesiam* (illam intelligit, ubi Canonicus decedens sepulturam sibi delegerat: nam quia Canonicorum pleriq. nobiles erant, in suis gentilitiis sepulcris humari amabant) *ante funus* (h. e. feretrum) *& redeundo ab Ecclesia* nempe, in quam Canonicum detulerant.

Cap. 3. initio: *Plures candelas, NEC TANTVM unam.* Recte se habet. Nam illud *Nec tantum unam παρεντίθεται* (*interponitur*) hoc sensu: *Nullus.. plures cand.* (*nec tantum*, pro *nisi tantum unam*) *recipere audeant*: recte *Audeant*, quia *τὸ Nullus* est collectivum. In fine: *Torciciam seu dublerium.* Synonyma sunt, quae barbaris scriptoribus aliis usitatius *Tortitius & Duplerius* dicuntur; Italis autem *Torchio* aut *Torcia*, & *Doppiere*: quae duo ab illis barbaris vocibus prodierunt. *Tortitius* dicebatur, & *Duplerius*, quia *duae* proprie candelae erant, restis instar *intortae*. Plerumq. enim duae non amplius candelae simul tortae *Duplerium* constituebant. At interdum etiam plures. In notis Fresnii ad Joinvillam sic refertur ex Ordinatione hospitii S. Luodovici an. 1261. *Torchia per 7. etiam per 5. etiam per 4. & 12. pecias candelae minutae.* Ibid. *Torchia per* 4. pluries occurrit. Ergo Primicerio loco cerei duplicis unus dabatur ex duobus intortus. At jamdiu est, quod abolitis istiusmodi tortis funalibus, tamen quibus tortitius debebatur, iis duae candelae simplices deferri coepere: quo modo hodiedum pluribus cathedralium aut collegiatarum dignitatibus persolvuntur.

Cap. 4. *Primus de alio choro*, e regione scil. chori Primicerii. Huic non torticius sed candelae simplices duae (sicuti & quibusdam aliis) dabantur.

Cap. 8. *Deferentium candelabra*. Hi in hujusmet Joannis Ritibus *Annichini* vocantur pluries, novo plane vocabulo.

Cap. 9. Sacrista vocatur *Presbyter Gentilis*; & quidem non tantum hic, sed & pluries etiam in hujus Joannis Ritibus, inaudita hactenus nomenclatione.

In fine capitis notabile est, quod memoratur *Crux S. Restitutae*, h. e. ea Capituli crux, quae a Sacrista S. Restitutae ad omnes ejus Ecclesiae usus asservabatur. Ceteroqui erat in nova Cathedrali altera Capituli crux (quae vulgo *Cathedralis crux* vocata videtur; sicuti ad discrimen illa altera *S. Restitutae*) eamq. alteram inferiores ministri in promptu habebant, quoties sine capitulo procederent; sicuti quando cum Capitulo procedebant, sub una Cruce S. Restitutae [aut etiam sub una illa, quae in Cathedrali servabatur, si ex Cathedrali procederent] incedebant: quod satis ex hac

Con-

Digitized by Google

Constitutione intelligitur, in qua una crux semper, non duplex praeit. De quo vide cap. 1. 2. 7. 8. 11. 15. At procedente tempore nescio quo casu inductum fuit, ut interdum utraq. crux praeiret; Verum numquam eo dementiae ventum fuit, ut illa tantum S. Restitutae tribueretur Capitulo, altera vero (quae semper a Sacrista Cathedralis, non vero ab Hebdomadariis custodiebatur) tamquam Hebdomadariorum peculiaris agnosceretur. Imo quo tempore id corruptelae inductum fuit, ut utraq. crux praeferretur, tamen utraq. *Capitulo*, itemq. utraq. *Majori Ecclesiae* tribuebatur. Nam *Capitulum* & *Major Ecclesia* sunt duo ejusdem rei synonyma; quia τὸ τί ἐιναι [*quod quid esse*] sive τὸ εἰδικὸν [*formale*] Ecclesiae cathedralis ipsissimum est cum suo Praelato Capitulum. Sane in eisdem Tutinianis Excerptis, ex quibus Ritus Vrsinianos habemus, describitur etiam processio funeris Beatricis Reginae Hungariae ann. 1508. In ea suo loco processisse dicuntur, *Duae cruces majoris Ecclesiae Neapolitanae* (nec aliter in lib. *Comiti* ubi de eod. funere: *Le doe cruce de la major Ecclesia de Napole*) post quas a Quadraginta, Hebdomadarii, & Canonici. At vero easdem cruces ambas tamquam pro una Capitulari habuit Magister Sac. Palatii in Ordine praescripto ad recipiendum Card. Legatum pro coronando Alfonso Rege Neap. *Postea*, inquit, *subsequentur duae cruces, SIVE VNA VENERANDI CAPITVLI*. Et in Comito de eadem receptione: *Seguitano le doe cruce, o vero una de lo venerando Capitolo*. Vide haec eadem infra Adnot. 81. Apparet igitur, ambas Cathedralis, itemq ambas Capituli (quia *Capitulum* & *Cathedralis* pro synonymis habentur) nuncupari; ac praeterea ὑλικῶς (*materialiter*) duas dici, quae re vera sit εἰδικῶς (*formaliter*) una: *Doe cruce, o VERO* (pro *aut re vera*) *una de lo Ven. Capitolo*. Piget sane de his tricari. Praestabit potius, si [quando jam Ecclesia Neapolitana Ritus omnes patrios exuit, uti se ad caeremonias Romanas conformaret] ea crucium duplicitas prorsus e medio tollatur; nec amplius duae Cathedralis cruces concurrere visantur, ne biceps Ecclesiae Neapolitanae corpus monstro apud imperitos habeatur; aut vero, ne in unam eamdemq. Ecclesiam absurdissimum schisma crucium, idemq. litium seminarium, inferatur. Ac de his obiter.

Cap. 13. commodari cottae vetantur, quia interdum ob eam causam exequiis improvisis adesse non poterant.

Cap. 16. *Quando cera expenditur* h. e. candelae erogantur dispensanturque. In Vrsini Ritib. in festo Purificationis *Expendi candelae* dicuntur.

Cap. 18. de *Scallio* aqua haerebat. Tamen *Scaliones* Petro de Crescentiis lib. 5. sunt gradus, Italis *Scaglioni*, o *Scaloni*. Adhaec *Scala* Italis aliisq. populis interdum sumitur pro eo ordine, quo quid gradatim augetur minuiturve. Sic *Scala de' colori* pictoribus dicuntur leges gradationis illius, per quam a clarissimo ad obscurissimum pervenitur. Eodem porro translationis genere prorsus arbitror *Scalam* sive *Scalium* significasse *taxationem* [vulgo *taxam*] exsequialem illam, qua pro diversis majoris minorisve honorificentiae gradibus plus minusve pecuniae persolvebatur. Ergo Capitulum vetatur *Scallium aliquos* [cor. *aliquod*] i. e. taxationem ullam in cujusvis funere facere, nec cum mortui heredibus depacisci. Ea enim pacta S. Thomas recte uti simoniaca damnat. At idem tamen Doctor permittit Episcopis taxationes generales condere, qua pro majore aut minore comitatu aut honorificentia, plus minusve pecuniae sit numerandum. Itaq. generale *Scallium* in modum legis Episcopo cum Capituli voluntate & consensu permittitur: at in hoc illove funere depacisci Noster jure damnat, certe uti prorsus simoniacum.

Cap. 19. Ubi capitulum dicitur ex quolibet funere candelas ducentas exegisse, id tapiendum est de vulgaribus funeribus, a quibus abesset Capitulum, Jam vero presbyteris exsequias comitantibus prorsus non defuisse candelas singulis singulas arbitror, sed tamen defuisse pecuniam. Ei malo occurrens Vrsinus, ex 40. candelis, quae ex Capitularibus eximebantur, redigi pecuniam, eisq. erogari jubet. Presbyteri illi non alii profecto videntur, quam ii ipsi, qui ex clericis fratribus Salvatoris postea sive ab hoc Joanne, sive potius diu ante ab Humberto in Presbyteros, novae Cathedrali quotidie servituros, adsciti fuerant: quos eosdem paullo post hanc Constitutionem Joannes, ubi prius sive a se, sive ab alio ad quadragenarium numerum redacti fuissent, postremo creatis ex eo

nume-

Digitized by Google

iterum percurrat integram; tum vero bona fide apud se decernat, fieri ne potuerit, ut nullum usquam *Hebdomadariorum* (qui tunc scil. in exsequiis utramq. paginam facerent) vestigium in tanta praesertim exsequialis Constitutionis λεπτολογίᾳ (*subtilitate*) prorsus impressum reperiatur; si quidem tunc temporis hi Nostri in rerum natura exstitisent. Possumus jam igitur hoc pro certo ponere, hodiernos Hebdomadarios mense Octobri anni 1334. (quo sanctio Joannis exsequialis prodiit) nondum editos in lucem fuisse. Idque eo certius est, quod in posterioribus, modo exsequiales sint, Ursinianis Ritibus nusquam absunt Hebdomadarii. Vi-

X

debis

numero XXII. Hebdomadariis, ceteris octodecim τῶν *Quadraginta presbyterorum* reliquum fecit nomen. Vides ut tota hac constitutione Hebdomadariorum nulla usquam (ac ne hoc quidem capite, ubi saltem memorandi fuissent) mentio injiciatur: ex quo perspicue ostenditur, eos non nisi post annum 1334. & ante annum 1337. (quo anno in Ritibus pluries Hebdomadarios memorat; imo ex funeraria candelarum erogatione fuisse XXII. ostendit) intermedio tempore fuisse creatos. Jam vero in capitis hujus fine *Vestaranus* (sive prorsus, soluto *n* in litteras duas *ri*, *Vestararius*: vox aevo medio tritissima) idem qui *Vestiarius*, qui scil. vestium curam gerit. At vero *Paramonarius* (Gr. παραμονάριος) est qui aliter *Mansionarius* vocabatur: nam qui apud Petrum diac. Casin. in Rel. de corp. S. Bened. n. 2. & 20. *Ecclesiae paramonarius* dicitur, is Leoni Ost. III. 26. *Mansionarius* nuncupatur. Recte sane: nam sicuti a παραμονὴ (*Mansio*) fit παραμονάριος, sic a *Mansio* est *Mansionarius*. Is non alius erat quam Ecclesiae custos; uti constat ex inventione S. Prisci apud Vghellum in Episc. Frequentinis. Huc refer *Custodes*, quos priori S. Restitutae Ecclesiae, ante annos 400. dirutae, S. Athanasius affixit, ut in longiore ejus vita legitur. Graecis qui παραμονάριοι erant, interdum *Chorepiscoporum* gradum consequebantur. Tales antiquitus Hierosolymis erant *Chorepiscopi S. Sepulcri*: de quibus dixi ad Kalend. Marm. ad XVI. Febr. p. 71. & seq. ubi de Praylio. At in Cathedrali nostra videtur *Paramonarii* dignitas haud semper cum ordine presbyteratus juncta fuisse; si quidem illud, *Cum sit Sacerdos* (quod non videtur αἰτιολογικὸν [*causale*] nam frigidum esset) tantumdem sit, *Quando Sacerdos fuerit*.

Cap. 20. In fine vides *Funus* tantumdem esse quod feretrum: quod a quatuor portabatur, nim. a Primicerio Primoq. Diacono (aut eorum Locumtenentibus) aliisq. duobus canonicis non praebendatis, qui arbitrio priorum duorum eligebantur.

Cap. 22. Post τὸ *Per comitum* deest aliquid. Sed tamen plura sunt Rituum Joanneorum loca, quae his ferme verbis (nec enim ea loca nunc vacat requirere) suppleri hanc lacunam jubent: *Per comitum* (*invitentur Canonici, tunc vero*) *nullus Canonicus*, &c. aut sic brevius: *Quando fuerint anniversaria ... per comitum* (*significanda Canonicis*) *nullus Canon.* &c. Verum ubi haec scripseram, animadverti caput istud insertum iisdem prorsus verbis reperiri in Ritu Vrsiniano LV. Quocirca praestabit hoc dicere nim. anniversaria per Comitum significanda, vocata compendio sermonis fuisse *Anniversaria per Comitum*.

Ac per eam occasionem in transitu animadverti, nonnulla hujus Constitutionis capita totidem verbis in Rituale opus traducta fuisse. Itaque hujus Constitutionis capita 12. 13. 15. 22. cum Ritibus 52. 53. 54. 55. κατὰ πόδα conveniunt. Nec vacat excutere, an non & alia praeterea transfusa in opus Rituale fuerint.

In ipso constitutionis calce scribitur: *Die XX mens. Octobris III. Indict.* Atqui anno 1334. Indictio II. vulgaris sive Romana currebat. Ita sane: verum Neapoli adhuc XIV. saeculo (imo & toto XV. ut Adnot. superiore ad Humberti constitutionis finem notavimus) Indictio CPolitana in usu erat. Ergo anno 1334. usq. ad totum Augustum Indictio II. numerabatur: at a Kalendis Septemb. Indictio III. more CPolitano inchoata fuit. Ad ultimum pro *Pontificatus* scribe *Pontificatu*. *Anno*, inquit (suo ipsius Archiepiscopi) *& Pontificatu* (Papae Joannis) *supradictis*.

Digitized by Google

debis infra Urſinianum caput LVI.& in ſubjecta Adnot.68. quinque alios funerarios Ritus a num.57.ad 61. in quibus (plane quia poſt exſequialem illam Conſtitutionem conſcripti fuerunt) nuſquam non incurrunt in oculos hodierni Hebdomadarii. Hos igitur anno 1334. (quo funeraria Urſini Sanctio evulgata fuit) nondum in dias luminis auras prodiiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

At vero iidem Kalendis Maii anni 1337. (quando Joannes idem Ritus ſive Conſuetudines Eccleſiae Neapolitan. e publicavit) non tantum nati, verum & lacte depulſi erant; nam multa Hebdomadariorum in iis Ritibus paſsim mentio, in rebus maxime funerariis, occurrit, & ita ut tales prorſus deſcribantur, quales hodieque ſunt. Non eſt ergo dubitandum, quin eorum ortus in annos illos duos ſemis, qui inter funerariam Conſtitutionem interq. Rituum promulgationem medii inteceſſerunt, ſit conjiciendus, in annum ſcil. ſive 1335. ſive ſequentem.

Jam vero eorum locorum aliquot, quibus noſtrorum Hebdomadariorum aperta fit mentio, ex Joannis Urſini Ritibus producamus. Ac ſane principio in ipſa Rituum praefatione media ſic Archiepiſcopus Urſinus loquitur: *Conſuetudines ipſas, quas depoſitionibus plurium venerabilium virorum Diaconorum, Cardinalium, Canonicorum* (ea enim tunc tripartita (64) Capituli diviſio erat), *HEBDOMADARIORVM praedictae noſtrae Eccleſiae, ac aliorum nobilium militum, vitae & opinionis* (i. e. famae: de quo vide Altaſerram ad Greg. M. I. 35.) *Eccleſiaſticae, probatas, obſervatas & obtentas eſſe comperimus, in hoc volumine, prout capitulatim infra diſſeritur, duximus ad perpetuam rei memoriam redigendas.* Ea quidem mihi videbatur prima Hebdomadariorum mentio exſiſtere, in annum 1337. incidens, quo ea praefatio ſcripta fuit. Tamen eſt quod dubitem, an non Hebdomadarii, quorum hoc loco meminit, diverſi prorſus ab Hebdomadariis recens inſtitutis fuerint; imo ſint potius primitivi Eccleſiae Neapolitanae Hebdomadarii; quorum Hebdomadae tunc ferme inertes evaſerant, eaeq. modo Canonicis modo aliis nobilibus clericis deferebantur, uti jam §. ſuperiore animadvertimus, & plenius ſolidis argumentis firmabimus §. ſeq.num.II. & III. Imo hoc ipſo loco hi Hebdomadarii haud temere inter Canonicos (qui tunc raro aliunde quam ex nobiliſſimis quibuſq.familiis adſciſcebantur) interq. *Nobiles Milites* recenſentur. Quod haud levi eſt indicio, hos ipſos quoq. Hebdoma-

(64) Millies hoc in Joanneis Ritibus occurrit, ut ex Canonicis alii dicantur abſolute *Diaconi* (ſeptem ſcil. illi praebendati diaconi: qui quidem tunc temporis priores presbyteris ſedebant, & ſubſcribebant) alii ſimpliciter *Cardinales* [nempe praebendati ſeptem preſbyteri, quos S. Athanaſius fundaverat] poſtremo ceteri abſolute *Canonici* nuncupentur. Horum ultimorum numerum antea infinitum hic idem Urſinus tandem ad XXVI. coercuit, ita ut cum illis ſuperioribus praebendatis XIV. numerum XL. ne excederent. Ac de hac triplici capitularium claſſe & appellatione [quae & in hodierno Comite ſexcenties adhuc legitur] dicam ſeorſum accuratius in opuſculi hujus Appendice.

Digitized by Google

domadarios fuisse clericos nobiles, ac nihil habuisse cum his hodiernis commune. Verum de his sermo nobis §. seq. recurret. De *Nobilibus* autem *Militibus* istis ab Ursino ad testimonium evocatis, quid sentiam, in imo (65) margine expeditum reperies. Itaq. tum recitato loco, qui aliorsum spectat, tum aliis minus luculentis praetermissis, ad alia Ursinianorum Rituum loca me refero, quae ita aperte de Hodiernis Hebdomadariis sermocinantur, ut nihil supra.

Praestabit autem ab eo Ritu incipere, qui in Tutinianis Excerptis est caput LVI. quod totum huc proderit adscribere, propterea quod ex

(65) *De nostrae Cathedralis Militibus Ecclesiasticis.*

A militibus peti veterum Cathedralis Rituum notitiam, prorsus mirum atq. inauditum est. Verum ne dubita, quin quos hic Joannes designat, ii ex *Militum Ecclesiasticorum* in Gallicanis Cathedralibus quibusdam olim occurrentium numero fuerint. Nec mirum si nova Cathedralis nostra non sine regum Andegavensium auxiliari ope fundata, sive eorumdem forsan liberalitate [maxime Roberti, sub quo nova Cathedralis dedicata fuit] sive undeunde, quasdam *Militum Ecclesiasticorum* praebendas hoc tempore nacta fuerit. Eae vero praebendae peculiari nomine vocabantur *Militiae*. Ne vero de his *Militibus* Martiale quid suspicere; non alii plane erant, quam quos superiora saecula *Defensores* aut *Advocatos Ecclesiae* nuncupabant. Fuerant jam olim in Lugdunensi Ecclesia Milites hujusmodi septem. At vero Philippus Pulcher anno 1307. (trigesimo antequam Joannes Ursinus superiora, quae produximus, scriberet) tres alios addidit: id quod ex ejus charta apud Fresnium constat: cujus partem huc proderit affere, cum ex ea horum Militum sincera hauriatur notitia. *Ab antiquo*, inquit, *septem sunt Milites in Ecclesia Lugdun. pro* IVRIBVS *Ecclesiae* DEFENDENDIS *&* NEGOTIIS *ejusd. Ecclesiae felicius* PROMOVENDIS (ea est Militum horum definitio, quae peraeque in eos, quos antiquitas *Defensores Ecclesiae* aut *Advocatos* vocabat, cadit: *Defensor Ecclesiae*, quod sciam, primus S. Sebastianus fuit, ut in ejus Actis) *nos vero volentes inibi cultum augmentare Divinum, & defensioni jurium Ecclesiae utilius in posterum providere, ... tres novas perpetuas & liberas ibidem fundamus* MILITIAS; *& quamlibet earum in reditu centum librarum, parvorum Turonensium valore, dotamus, percipiendarum annis singulis .. &c.* Et hi quidem reditus in horum trium militum praebendas cedebant: nam quod sequitur, id jure possis distributionum loco censere. *Et ultra*, inquit, *praedicta, nostri tres Milites recipient jure suo in dicta Lugd. Ecclesia tantum in omnibus & per omnia, quantum quilibet antiquorum Militum ratione Militiae suae consuevit percipere & habere. Quorum* (trium recens fundatorum) *praesentationem & nominationem faciendam Decano & Capitulo .. nobis & successoribus nostris perpetuo retinemus*, Mox qualitates nominandorum describit. *Ad quas militias nos & successores nostri... nominabimus* CLERICOS, *homines providos, litterarum scientia insignitos, habiles, secundum ipsius Ecclesiae Consuetudines & Statuta* (de his Militibus scripta) *quos sic nominatos & praesentatos a nobis, Decanus & Capitulum statim recipere sine exceptione aliqua tenebuntur, & jurabunt ut ceteri conditionis suae.* Ad extremum quemlibet praesentatum recipi jubet, *Quamvis aliam dignitatem, personatum, officium vel administrationem aut pluralitatem beneficiorum, quot & qualiacumq. habere noscatur. Quos tres milites, Fideles & familiares nostros* (haec duo vocabula satis nobilitatem designant) *esse volumus, Clericos, & de nostro ac Regum Francorum consilio* (h. e. Regios consiliarios).. *&* (semel praesentatos) *perpetuo retinemus.* Haec tam multa de militibus istis adscripsisse non piguit, ut eorum natura pernoscatur.

Ceterum Ursini locus, cui lambendo haec attulimus, de suo non hoc tantum affert, quod hi disertim *NOBILES Milites* vocentur, verum etiam, quod Divinis interfuisse officiis videantur; alioqui numquam ad dicendum de ritualibus consuetudinibus testimonium citati ab Joanne fuissent.

Digitized by Google

eb, recte putatis rationibus, numerum Hebdomadariorum jam tum duorum supra viginti fuisse deprehenditur. Id ergo caput sic habet. *Item observandum quod quando dictum Capitulum* (de Capitulo Metropolitano loquitur) *pergit ad exequias, debent etiam ire Hebdomadarii, ut de* (66) *Capitulo; quapropter debent habere candelas triginta, scilicet mediam partem candelarum, quas recipiunt Domini Canonici. Quas candelas triginta accipit Magister Scholarum Hebdomadae* (supple, *currentis*: nam quia jam tum ab initio Hebdomadarii alternis Hebdomadis, ut opinor, serviebant; singuli singulis Magistri scholarum praesto erant: ac sane plures similes locutiones in lib. Comiti deprehendi) *Quas*, inquit, *cand. accipit Magister Scholar. Hebdomadae dictorum Hebdomadariorum ab ipso Capitulo; & supradictus Magister Scholarum dispensat unam pro quolibet Hebdomadario, exceptis infrascriptis, qui duas debent habere candelas, videlicet: Cimiliarcha duas, Capichori duas pro quolibet, Cellararii dictorum Hebdomadariorum duas pro quolibet, & dictus Magister Scholarum duas, unam uti Hebdomadarius & unam uti Magister Scholarum, & Sacrista unam debet habere candelam.* Porro qua ratione ex ea candelarum triginta erogatione numerus Hebdomadariorum ad XXII. redigatur, inferne (67) collectum animadvertes.

Ergo res ipsa loquitur, Hebdomadarios nostros, qui Ursino funerariam constitutionem mense Octobri anni 1334. scribenti prorsus inauditi fuerant, jam ante anni 1337. Kalendas Majas fuisse non tantum prognatos, sed etiam ablactatos: quandoquidem & numerus idem, qui nunc, erat, & eadem quae nunc nomina inter eos audiebantur, iidem *Cellararii*, *Capichori*, *Magistri scholarum*, alternae eaedem forsan hebdomades, & eadem penes Cimeliarcham praefectura. Nec minus diserta sunt capita illa item funeraria quinque, quae pone succedunt: quae nequid morae properanti lectori objiciatur, in subjectam (68) Adnotationem conjeci. Est praeterea in eisdem Tutinianis Joannei Rituа-

(66) Eodem sensu Ursinus noster Hebdomadarios hodiernos *de Capitulo* esse docet, quo & octodecim Presbyteri, qui *Quadraginta* vocantur, ab Hannibale de Capua sic dicuntur, & ipsum quoq. Seminarium idem juris habet; sunt enim membra inferiora Capituli. Sed & mox in Adnot. 68. notionem alteram observabimus: qua nempe Hebdomadarii procedere ad exsequias dicuntur, non uti singuli, sive proprio nomine, sed nomine Capituli: quod & hic convenire forsitan possit.

(67) Ex triginta candelis detrahantur duae, quae Cimeliarchae debentur [qui praefectus Hebdomadariorum, at non ex eorum numero erat sed ex *Cardinalibus* h. e. presbyteris praebendatis] itemq. illa quae Sacristae datur; jam reliqui fiunt cerei viginti septem.

Sunt porro & aliae personae ex ipsor. Hebdomadarior. numero quinque [nim. Capichori duo, Cellararii duo, & Magister scholarum] qui duplices accipiebant, cum tamen ipsi quinq. non amplius Hebdomadarii essent. Proinde ex numero 27. candelarum abjiciendae sunt illae quinque, quas hi supra ceteros socios auferebant. Relinquuntur ergo candelae non amplius duae & viginti: qui numerus totidem prorsus fuisse Hebdomadarios, fateri cogit.

(68) Post suprascriptum caput, ex quo nume-

Digitized by Google

numerus Hebdomadariorum docetur, proxime ſequuntur capita quinque, quae de eiſdem Hebdomadariis ad exſequias ſine Capitulo procedentibus, eloquuntur: quae cupido lectori deperire non patiar.

Cap. LVII. *Item quod quotiens vocati fuerint Hebdomadarii ad exequias, VT I DE CAPITVLO.* De hoc *Vt de Capitulo* dixi quaedam in proxima Adnot. 66. Uno verbo τὸ *Vt de Capitulo* hoc loco non aliud eſt, quam quando *vocati fuerint ad exſequias*, non uti ſinguli, & nomine proprio, ſed nomine Capituli, a quo mittebantur, ut ſuo nomine id exſequerentur.

Sequitur: *Habent eorum* (nempe *Canonicorum*, quos repraeſentant: praeceſſerat *Capitulo*, cui utpote collectivo, poſtponit plurativum *eorum*) *jura tam de pecunia, quam de candelis: quod SEMPER OBSERVATVM EST.* Subſiſtamus paulliſper. Quo pacto *ſemper obſervatum*, quandoquidem oſtenſum eſt, hos Hebdomadarios nondum trimos aetate fuiſſe, quo tempore haec Urſinus ſcribebat? Verum ne dubita, quin illud *ſemper obſervatum eſt*, non ad Hebdomadariorum ſenium (qui, uti dixi, nondum triennalem aetatem gerebant) ſed potius ad τὸ *Vt de Capitulo* referatur. Nam hoc *ſemper obſervatum* fuerat, ut quicumq. clerici inferiores Cathedralis ad exſequias *Vt de Capitulo* (h. e. nomine Capituli) mitterentur, exigerent jura Capituli tam de candelis quam de pecunia. Hoc igitur, & quatuor ſequentia capita *ſemper obſervata* fuerunt in Clericis Confratribus Salvatoris: at quia ſcribente haec Joanne, ex iis jam duo & viginti Hebdomadarii proxime evaſerant, ea ipſa, mutatis opinor mutandis, Hebdomadariis aptantur. Imo quod iidem diſerte Hebdomadarii nominantur; id argumento eſt, hos quinq. Ritus una cum ſuperiore LVI. quem modo ſupra produximus, non ex eorum fuiſſe numero, quos jam ante ſcripto traditos repererat (uti ſunt ſuperiores illi quinq. qui a num. 51. ad 55. decurrunt, ex Urſiniana exſequiali Conſtitutione totidem verbis deſcripti, eoq. Hebdomadariorum mentione carentes) ſed ex eorum numero, quos ex Canonicorum aliorumq. (de quib. in praefatione, quam ſupra recitavi, loquitur) teſtimonio, in viridi obſervantia adhuc tunc fuiſſe cognoverat: quos ipſe tunc primum anno 1337. conſcripſit non ſine diſerta Hebdomadariorum recens erectorum mentione.

Sequitur. *Quae candelae in manus pervenient Magiſtri ſcholarum Hebdomadae* (h. e. illius Magiſtri qui ad Hebdomadam tunc currentem pertinet (uti ſup. ad Caput Urſini LVI. monui) quia jam tum ſcil. duae eorum hebdomades erant, & ſingulis ſui Magiſtri ſcholarum, quos hodie *Feriales* vocant) *Hebdomadae*, inquit, *dictorum Hebdomadariorum, quas ipſe dividet dictis Hebdomadariis, unam pro quolibet, exceptis iis qui duas vel plures habebunt, ſicut eſt conſuetum* (etiam antequam Hebdomadarii exſiſterent; uti ſupra de τῷ *ſemper obſervatum* monuimus). *Primo Sacriſta habebit undecim candelas, quarum decem dabit infraſcriptis, videl. duas candelas debent habere illi diaconi* (diaconi non conſecratione, ſed miniſterio: quos Neapoli & alibi vulgo *Jaconos* vocatos ſcio) *qui deferunt candelabra, duas qui defert turibulum, quatuor qui defert Crucem, tres reliquas dictus Sacriſta, & dicitur Presbyter Gentilis: duas candelas pro quolibet debent habere Capichori, duas pro quolibet Cellararii, quatuor diaconi turris ſacrae ſive ſonent ſive non, & quatuor alias debet habere ille diaconus, cui dictus Magiſter ſcholarum commiſit ſonare campanam pro defuncto, ſicut eſt conſuetum ſonare. Tres candelas debet habere ipſemet Magiſter ſcholarum, unam uti Hebdomadarius, unam uti officialis, tertiam ut candelarum diſpenſator.*

LVIII. *Item quod dictae candelae quas conſuetum eſt ſumere pro talibus exequiis, ſunt librae octo, videlicet pro Cimiliarcha una torcia librarum duarum, duae candelae librae unius pro quolibet, & aliae quatuor librae candelaram, quae diſpenſabuntur, ut ſupra dictum eſt.* Nim. illae librae octo ſic erogantur. Tortitius duarum librarum Cimeliarchae dabatur: adhaec candelae duae, ſingulae unius librae (quarum Primicerio una, altera primo diacono, datae videntur) ceterae librae quatuor in exiguas candelas redigebantur, erogandas ut ſup. cap. LVII.

LIX. *Item quod ſupradictus Magiſter ſcholarum Hebdomadae tenetur invitare Hebdomadarios ad omnes exequias & anniverſaria per ipſos celebranda in Eccleſia Majori Neapolitana, quia habet partem & candelas ſuperfluas.*

LX. *Item quod quando dicti Hebdomadarii pro anima alicujus defuncti erant, debent habere*

Digitized by Google

Ritualis Excerptis caput XXV. quo de Officio Jovis Sancti agitur: in cujus fine fieri dicitur ab Archiep. *Mandatum*, *Cantantibus*, inquit, *Hebdomadariis cantum consuetum*. Sed & in eodem Officio Jovis sancti est illustris alius de hodiernis Hebdomadariis, ac prorsus inaestimabilis locus quem mihi §. seq. num. I. expediendum reservo.

Ex quibus locis omnibus simul junctis, interq. se comparatis nullus omnino relinquitur ambigendi locus, quin institutionis Hebdomadariorum nostrorum decus ad Ursinum prorsus sit referendum. Quid enim? Sub priore Cathedrali hi Nostri semper Clerici Confratres Congregationis Salvatoris fuerant. Humbertus in nova Cathedrali dedicanda novorum ministrorum necessitatem sensit; sed satis opinor habuit Confratres hosce novae Cathedralis ministerio illigare, & ex Clericis Confratribus quoddam XL. presbyterorum corpus, uti suspicor, constituere. Qui secuti sunt, Bertoldus & Anibaldus, brevibus excluſi Cathedrae spatiis, nihil ultra promoverunt, imo nec moliri quidquam potuere. At Joannes Ursinus vir acer, strenuus, impiger, aeternitati operum studens, cui & legum, & caeremoniarum sacrarum digesta, & insuper bonorum universarum hujus dioecesis Ecclesiarum inventarium labore summo confectum, & irreparabili damno deperditum, Ecclesia Neapolitana debuit: vir ergo tantus cum pluribus suarum Consuetudinum locis duorum supra viginti Hebdomadariorum nostrorum, quorum nullum antea prorsus vestigium exstiterat, mentionem fecerit; quid dubitamus in eum ipsum prorsus institutionis hujus decus transcribere? Temporis si a me quaeras articulum; haud alio prorsus referendus erit, quam in illos triginta menses, qui inter funerariam anni 1334. Constitutionem, & inter promulgatam ab eodem Ursino Kalendis Maii anni 1337. suam Rituum συναγωγὴν (*collectionem*) medii fluxere.

Forsitan id excipias, nim. sex illa Rituum capita proxime recitata, quibus luculenta fit Hebdomadariorum mentio, non ab ipso Joanne condita fuisse, sed diu antea usurpata. Nam in praefatione testatur Joannes, se Consuetudines caeremoniales jam antea usitatas, quas ex depositionibus Canonicorum aliorumq. acceperat, in unum volumen collegisse. Verba praefationis huc pertinentia prope ab initio numeri II. recitavimus. Ex quo arguitur, jamdiu ante Ursinum Hebdomadarios exstitisse.

Atqui respondetur, rem hanc universam in hunc prorsus modum se habere. Ante Ursinum duo exstabant genera Rituum, alia sparsim scripto

bere de pecunia tt.ij. (sic in Ms. h. e. *tarenos duos*) *& de candelis libras duas, quas dictus Magister scholarum Hebdomadae accipiet ut eas consociis dispenset ut supra dictum est.*

XLI. *Item quod quando Hebdomadarii ad exequias vocantur; si intus Neapolim, debent habere carolenos sexdecim & denarios viginti; si vero extra, debent habere carolenos triginta & unum, & denarios viginti; & sic semper observatum est.* De τῷ *semper observatum est*, vide quae supra ad cap. LVII. animadvertimus.

Digitized by Google

pto tradita (cujuſmodi Humberti Conſtitutio fuit , quam hujus §. initio retulimus : cujus tria capita Urſinus in ſuam collectionem transfudit : ut omittam ipſius Urſini Conſtitutionem funerariam , cujus aliquot capita idem in ſuum hoc digeſtum inſeruit) alia vero ſine ſcripto , quae ex Capituli teſtimonio (ut ex ejus praefatione ſupra didicimus) obſervata cognovit . Utraq. ſane Urſinus in unum corpus compegit , & Capitulo conſentiente confirmavit . Jam vero quia idem Joannes in Hebdomadarios proxime erexerat illos , qui antea Fratres Congregationis Salvatoris (i. e. veteris Cathedralis) fuerant ; opportunum ſibi duxit ; ſi eaſdem illas priſtinas Rituum Conſuetudines (ſive ſcriptas , ſive ſine ſcripto traditas) immutatas quidem ſervaret ; niſi quod interdum locis convenientibus pro *Clericis Salvatoris* aut *Clericis Chori* aut *Majoris Eccleſiae* , aliiſve forſan nominibus recentia Hebdomadariorum nomina ſubſtitueret ; imo , ut uno verbo abſolvam , ſcriberet omnia mutatis mutandis . Ac videſis , quae in hanc eamdem ſententiam ſupra in Adnot. 67. animadverſa fuere ad verba illa, *Quod ſemper obſervatum eſt*.

Confer etiam ſuperiorem Adnot. 67. in capitis LVII. expoſitione . Ubi obſervatum a me fuit , quid interſit inter funerarios Ritualis Urſiniani Ritus quinque illos , qui nempe a num. 51. ad 55. decurrunt , interq. proxime ſequentes a num. 56. ad 61. Nempe utriq. ad funerariam rem pertinebant . Et tamen in prioribus nulla prorſus exſtat Hebdomadariorum mentio ; plane quia triennio ante in exſequiali Urſini Conſtitutione anni 1334. (quo anno nondum hi Noſtri lucem caeleſtem hauſerant) editi primum fuerant , ac poſtea in Rituale opus inſerti . At contra ſequentia ſex Rituum capita de Hebdomadariis plenis buccis loquuntur . Cur ? certe quia non ante , ſed tum primum anno 1337. poſt recentem Hebdomadariorum erectionem conſcripta fuerunt .

Poſtremo ubi anno ſive 1335. ſive 1336. (ut invicte demonſtratum fuit) Hebdomadarios erexiſſet , jamq. Eccleſiae Cathedralis presbyteros ad XL. (quorum duo ſupra viginti *Hebdomadarii* vocarentur , reliqui XVIII. tantum *presbyteri* dicerentur) redactos videret ; adeo numero illo quadragenario (quem antiquitas pro numero pleno , foetoq. myſteriis habuit) eſt delectatus , ut pari poſtea numero ut Canonici conſtarent , optaverit , effeceritque . Nam cum anno 1343. peringentem Canonicorum numerum , nec ullis terminis definitum reperiſſet ; eum numerum (reluctante prius , ſed poſtea conſentiente Capitulo) finibus coercuit artioribus , ita ſcil. ne plures paucioreſve XL. eſſent ; ita ut inferiores Cathedralis miniſtri pares numero Senatoribus eſſent , utrique vero numero pleno , myſtico , ac perfecto conſtarent . Ex quibus profecto vides , Urſiniana opera ſibi per omnia accurate concinuiſſe .

Quid interim hiſce novis inferioribus miniſtris aſſignaret Joannes ? Id jam age videamus .

III. No-

Digitized by Google

III. Novos hosce Hebdomadarios assignatis a Capitulo reditibus fuisse dotatos, & Canonicis in onus quotidianum subrogatos.

Cur novos, inquis, ministros novae Cathedrali servituros creavit potius, quam natos ad id onus Canonicos compelleret? Tunc quidem hoc totum negotium altercationibus cum Capitulo minime caruisse suspicor, hinc urgente aut suadente Praesule, illinc Canonicis onus indebitum ab se (qui praesertim redituum inopia premerentur) amolientibus ac deprecantibus: de quo initio §. hujus in Parte I. isagogica disserui. Itaque non nisi post diutinas, ut assolet, contentiones eo ventum fuisse oportet (quod & aliunde factum re vera fuisse comperimus) nempe ut Hebdomadarii, qui nunc sunt, assignatis a Capitulo qualibuscumq. reditibus dotarentur, atq. in onus divinorum officiorum subrogarentur.

Id vero, quamlibet verisimillimum, non gratis a me affirmatur, sed ex quadam charta ini Capituli tabulario reperta mirifice confirmatur: ex qua constat anno 1574. hanc ab antiquis per manus traditam narrationem Neapoli viguisse, nimirum Hebdomadarios, qui tunc temporis divina Cathedralis Ecclesiae officia persolverent, fuisse primitus a Canonicis subrogatos, ut pro se Ecclesiae Cathedrali quotidie deservirent; eaq. de causa eisdem Hebdomadariis reditus quosdam a Capitulo assignatos fuisse, Hujus chartae verba ad fidem faciendam inferne (69) subjecimus

(69) In Capituli Neap. tabulario reperitur in volumine I. scripturar. *forensium* fol. 106. & 107. suggestio quaedam, cujus hic titulus est, *Instruttioni che si donano al Rever. Primocerio della Chiesa di Napoli, ed al magnifico.... in nome del Rever. Capitolo di Napoli.* In ea vero inter cetera legitur: *S'ha da avertire di dire a Sua Santità, qualmente per traditione de' nostri antiqui s'intende e TIENE PER FERMO, che venti Eddomadarii, che continuamente assistevano in detta Chiesa Catedrale per servitio di quella, che siano stati POSTI E SVRROGATI DALLI CANONICI, alli quali Eddomadarii FVRONO ASSIGNATE ALCVNE ENTRATE DEL CAPITOLO: il perche ragionevolmente ha dimandato non imporsi nuovo peso a detto Capitolo, e che tampoco si dismembri più l'entrata di detto Capitolo.*

Haec quidem suggestio est sine die & consule. Sed tamen referenda videtur ad annum 1574. quo anno id Romae a Canonicis agebatur, ut novum onus, quod sibi nuper a S. Pio V. impositum fuerat (nim. ut per alternas Hebdomadas in hodierna Cathedrali quotidie Choro interessent) a se amolirentur. Id sane onus ut averterent, obtulerant antea Canonici Gregorio XIII. Pii successori annuos ducatos ducentos. Sed postea poenitentia ducti, hanc novam assignationem, tamquam inopiae Capituli gravem ac minus ferendam detrectabant; uti constat ex alio suggestionis ejusdem capite, in quo legitur: *Si ha anco d' avertire, che se il Papa replicasse, che per memoriale del Capitolo si hanno offerti ducento docati annui per pagamento de' VINTI PRETI, che s'avviano da SVRROGARE in loco delli Canonici li dì feriali: a questo motivo se li risponda prima, che a questo sono ridotti li Canonici &c.* Quod quidem alterum suggestionis capitularis caput artissime cum eo nectitur, quod anno 1574. Card. Ant. Caraffa ex urbe Roma Neapolim ad Archiep. Marium Carafam scripsit in haec verba: *Sopra'l servitio di cotesta Chiesa la Congregatione ha già mandato a V. S. quei capi dell' informatione, acciò vi risponda quello che le parerà: ma io acto bene, che a me pare che se li Canonici hanno ragionevolmente da essere sgravati in questo servitio, non è il dovere che siano gravati in altro, DICO NEL DAR PROVISIONE A QVEI PRETI CHE SERVISSERO IN VECE LORO.* Haec Epistola in nostro Capituli archivo asservatur

Volum.

Digitized by Google

ſubjecimus. Nimirum hoc illud eſt, quod ſaeculo XIII. & XIV. paſſim obtinebat, ut Canonici per vicarios munus divinorum officiorum perſolverent, iiſq. vicariis penſiones quaſdam aſſignarent, quae vulgo tunc *Aſſiſiae* dicebantur: a quo factum ut ii vicarii paſſim vocarentur *Aſſiſii* (vide Freſnium in ea voce) idq. *Aſſiſiorum* nomen poſtea beneficiariis cujuslibet Cathedralis inferioribus commune evaſerit.

Nec certe aliter in novae Cathedralis conſtituenda τολιτείᾳ res tranſigi potuit (dum Archiepiſcopus ſcil. Canonicos ad novae Cathedralis ſervitium quotidianum urgeret, illud vero Canonici detrectarent) quam ſi Canonici aſſiſios quotidie pro ſe deſervituros aſſignatis reditibus conſtituerent, dum ipſi interea tantum praeſente Praelato aliiſq. diebus ſollemnibus (quod ſatis ex Urſini Ritibus & ex Comite Neap. conſtat) choro intereſſent praeeſſentque. Ea vero qualicumq. Capituli aſſignatione Confratres Congregationis Salvatoris aucti, & inſuper ab Jo: Urſino cum conſenſu Capituli novo Hebdomadariorum nomine ornati, ita demum quotidianum Chori ſervitium ſubierunt. Quod tamen iidem Hebdomadarii perraro impleſſe cernuntur, de inopia uſque conqueſti: unde novo ſubinde cenſus ſupplemento Archiepiſcoporum & Capituli liberalitate ſublevati ex intervallo fuerunt: de quo ſaepe §. ſeq. narrabimus.

Fortaſſe dixeris, eam Capituli primaevam aſſignationem, de qua diximus, tantum ad *traditionem antiquorum* referri: *Per traditione de' noſtri antiqui ſi tiene per fermo*, ut Adnot. ſuperiore diſertim in illa ſuggeſtione legitur. Atqui non ſcriptis hiſce narrationibus quis rogo credat?

Reſpondeo, hujuſmodi famam per ducentos paullo plus a re geſta annos potuiſſe ad annum 1574. etiam ſine ſcripto incorruptam traduci, praeſertim apud Canonicos, dum a ſenioribus juniores, quae in erectionem Hebdomadariorum Capitulum olim contuliſſet, ſaepius audirent. Verum nego prorſus verba ſuggeſtionis illa, *per traditione de noſtri antiqui ſi tiene per fermo*, omnem prorſus rei ſcriptae memoriam excludere. Atq. ut verbo uno abſolvam: vox *Traditionis* non quidem privatorum ſcripturae, ſed ſolum inſtrumentorum ἀυθεντίᾳ opponitur. Itaque ſicuti apud Theologos ea vera *Traditio* aut *Patrum traditio* dicitur, quae Divino Scripturarum *Inſtrumento* (nam ſcripturas ab antiquis *Inſtrumentum* vocari, ſatis trita res eſt) non continetur, etſi eadem in Patrum ſcriptis expreſſa reperiatur (ut omittam, quod ſi ſcripta ab

Y an-

volumine I. Regeſti litterar. S. Congr. Card. fol. 11. Cum autem haec Epiſtola anno 1574. menſe Maio ſcripta fuerit; etiam Suggeſtio illa Capitularis, ad quam certiſſime refertur, eodem anno ſcripta fuerit oportet.

Ex hac vero ſuggeſtione aperte animadvertitur, anno 1574. hanc certiſſimam narrationem viguiſſe, nim. poſt novae Cathedralis encaenia Hebdomadarios viginti, aſſignatis reditibus, a Capitulo fuiſſe dotatos, ut tamquam Canonicorum vicarii (vulgo *Aſſiſii*) quotidie diebus profeſtis divina officia perſolverent. Cur, inquis, vicenos dotarunt, cum ab initio XXII. fuerint? Quia, inquam, ſi duos Magiſtros ſcholarum jam ante fundatos (ut ex funeraria Conſtitutione ſupra pag. 158. cap. 5. 6. 15. patet) exemeris; reliqui erant tantum viginti dotandi a Capitulo. De quo fuſius alibi; hoc enim, nunc quivi tantum ſub prelo ipſo paucis monere.

Digitized by Google

antiquis non ſit, pro legitima traditione non habetur) ita prorſus, ubi in privata illa ſuggeſtione legitur, *Per traditione de' noſtri antiqui ſi tiene per fermo*, inſtrumenti quidem publici auctoritas excluditur, non item privata quaelibet ſcripta, quae in Capituli tabulario, aut apud privatos reperiebantur. Imo perſuaſum habeo, numquam Canonicos in ſuggeſtione (in qua res indicantur tantum, non documentis, quae ſeorſum Romam mitti neceſſe fuit, confirmantur) fuiſſe ſcripturos, *Si tiene per fermo*, niſi aſſignationem illam aut in antiquis Capituli, aut Canonicorum memoriis, aut in diariis (quae tunc paſſim a privatis hominibus accurate ſcribebantur) aut ubiubi conſignatam reperiſſent. Et eorum quidem documentorum exempla Romam fuiſſe ſubmiſſa minime dubito: certe quia Antonius Card. Carafa in ſuis ad Archiep. Marium Carafam litteris Capituli petitionem (ulteriorem ſcil. aſſignationem detrectantis) videri ſibi juſtiſſimam, hiſce verbis (quae Adnot. ſuper. produxi) ſignificat: *Ma io dico bene, che a me pare che ſe li Canonici hanno ragionevolmente da eſſere ſgravati in queſto ſervitio* (quotidianum intelligit per alternas Hebdomadas ſervitium a S. Pio V. recens impoſitum) *non è il dovere che ſiano GRAVATI IN ALTRO* (per ulteriorem ſcil. penſionem, praeter illam antiquiorem olim Hebdomadariis aſſignatam: quod & ipſemet ſtatim explicat) *dico nel dar proviſione a quei preti che ſerviſſero in vece loro*. Ideo, inquam, id Antonio Cardinali perſuaſum fuit, quia de antiquiore aſſignatione Hebdomadariis facta ſatis, ut opinor, conſtare deprehenderat.

§. VI. *Antiquiora quaepiam de eiſdem Hebdomadariis monumenta carptim producuntur & explicantur.*

I. *Joannis Urſini locus de Neapolitanae Eccleſiae Hebdomadariis accurate exponitur.*

Qui primus, uti proxime demonſtravimus, hodiernorum Hebdomadariorum meminerit, non alius praeter Joannem Urſinum (qui eoſdem haud dubie anno 1335. aut 1336. ex Confratribus Salvatoris in Hebdomadarios ita erexit, ut ſimul Confratres eſſent) proferri poteſt. Et ex Urſinianorum quidem Rituum excerptis Tutianianis plura de Hebdomadariis hiſce loca §. ſuperiore deprompſimus. At reſtat inſignis locus adhuc illuſtrandus. Ergo in eiſdem excerptis in officio *Jovis ſancti* (ſic enim Feriam V. Majoris Hebdom. vocat) haec leguntur. *Cum perventum fuerit ad Evangelii finem, Cardinalis Cimiliarcha* (nam ut alibi oſtendimus, omnes ſeptem presbyteri praebendati vocantur ibi ſemper abſolute *Cardinales*) *& Hebdomadarii Eccleſiae* (hi ſunt hodierni Hebdomadarii, uti mox ex *Magiſtris ſchol.* patet) *proceſſionaliter cum magiſtris ſcholarum dicentibus O REDEMPTOR, una cum aliis cantoribus veniunt de* Capella *S.* (70) *Pauli, induti cum planetis cum oleo & chriſma-*

te

(70) Non alia eſt, quam ubi ſacrarium Cathedralis eſt, quod in Viſitatione Hannibalis

te cum pallio desuper, & tres Diaconi acoliti (illos diaconos h. e. inferiores ministros intellige, qui acolytorum munus gerunt) . . . *veniunt cum candelis & Cruce ante dictum oleum & chrisma, & choro* (cor. *chori*) *desinunt cantare; & Dominus Archiepiscopus benedicit oleum & chrisma secundum rubricam. Dicta vero Missa Dominus Archiepiscopus cum Capitulo toto,* (i.e. non tantum *Diaconibus & Cardinalibus* uti vocare solet, h. e. cum XIV. praebendatis, sive primitivis Canonicis; sed & cum ceteris Canonicis omnibus) *HEBDOMADARIIS ECCLESIAE NEAPOLITANAE SANCTAE RESTITVTAE, & Clericis de Choro processionaliter incedendo portare* (debet) *reverenter Corpus Domini Nostri Jesu Christi usq. ad Altare Sanctae Restitutae cum pallio supra cum luminaribus, quod pallium portant Diacones & Cardinales*: h. e. Canonici praebendati, partim de numero Diaconorum, partim Cardinalium presbyterorum. Libuit haec tam multa adscribere, ut de hoc loco, qua parte de Hebdomadariis loquitur, melius judicari possit.

Ac principio quosnam Joannes vocat *Hebdomadarios Ecclesiae Neapolitanae Sanctae Restitutae*? Aut ecquam Ecclesiam *Neapolitanam Sanctae Restitutae* intelligemus? Ac sane verebar ne non satis sanus esset is locus, unius forsan copulae ET interjectu restituendus: *Hebdomadariis*, inquit, *Ecclesiae Neapolitanae ET Sanctae Restitutae*: de cujus correctionis sententia vide inferne (71) adnotata.

Sed tamen nolo sollicitari locum; quem potius a menda immunem esse praesto; praesertim cum a Comite Neap. (in quo integrum hoc Ursini caput adscribitur) absit copula ET. Jam vero, ut locutionis hujus sensum exponam, fateri oportet, Cathedralem priorem, quae postea

lis de Capua vocatur *Capella S. Pauli ab Umbertis*: utrum quod Humbertum Archiep. (sub quo hodierna Cathedralis encaeniata fuit) auctorem habuerit, an quod in ea sepultus, an vero quod Umbertorum familiae patronatus fuerit, ignoro.

Porro in ora libri Tutiniani notatur, pro *S. Pauli* al. legi *S. Martialis*. Verum de Capella S. Martialis nihil usquam reperio. Accedit quod in Comite Neap. (ubi integrum hoc caput refertur) etiam *S. Pauli* legitur.

(71) Supra §. 4. ostendimus, fuisse jam olim primitus in Ecclesia Neapolitana quosdam Hebdomadarios, quos *nativos* aut *primitivos* vocare liceat: idque infra planius demonstrabimus, ubi de Bernardo Archiep. dicetur, qui aliquot horum primitivorum Hebdomadas novis Hebdomadariis adnexuit. Ergo copula ET eo valet, ut utriq. Hebdomadarii processuri ad reponendum Sacramentum significentur. Hoc si placeat; tum primitivos, utpote digniores, ante nominatos, necesse est. Quocirca nativi illi dicebantur *Ecclesiae Neapolitanae Hebdomadarii*. At recentes vocabantur *Hebdomadarii S. Restitutae*: quod tantumdem erat, ac *Salvatoris* dicere; quia *Salvatoris Ecclesia* in Ecclesiam *S. Restitutae* transnominata fuit. Accedit quod hi recentes Hebdomadarii a Canonicis (qui interdum *Canonici S. Restitutae*, quippe ibi in suo convenientes, alias *Ecclesiae Neapolitanae*, dicebantur) dotati fuerunt, ut §. superiore in fine num. III. diximus.

Aut si negas ullam hic nativorum fieri mentionem sed tantum recentes contendis intelligi; tum eos simul *Hebdomadarios Ecclesiae Neapolitanae ET S. Restitutae* dictos eam in partem accipies, quia utriq. Ecclesiae deserviebant; quia, ut ex Humberti Constitutione (quam §. superiore Par. I. dedimus) modo in nova Cathedrali, modo in S. Restitutae sacri conventus fiebant.

Digitized by Google

S. Reſtituta vocata fuit, non ſtatim conſuetam *Eccleſiae Neapolitanae* (per excellentiam dictae) nomen exuiſſe; ſed tamen ſi quando vetuſta appellatione *Eccleſiae Neapolitanae*, aut *Majoris Eccleſiae* donabatur, tunc ut a nova Cathedrali diſtingueretur, conjunctis nominibus vocatam fuiſſe *Eccleſiam Neapolitanam Sanctae Reſtitutae*, aut *Majorem Eccleſiam Sanctae Reſtitutae* h. e. veterem illam Majorem Eccleſiam, quae tunc ob invectas S. Reſtitutae reliquias coepit *Sancta Reſtituta* vocari. Ac ne quis a me temere hoc dici putet, ſciendum eſt, poſt octogeſimum ferme ab ſcriptis hiſce ab Joanne Urſino Ritibus annum adhuc ea conjuncta nomina in uſu fuiſſe. Nam anno 1414. in S. Reſtitutae Eccleſia celebratum fuiſſe quoddam inſtrumentum, ex Viſitatione Cathedralis factae ab Hannibale de Capua (fol. 397. ubi id inſtrumentum inſeritur) diſcimus: quo inſtrumento Hebdomadariis ſepulturae locus in medio Chori a Capitulo conceditur. In quo diſertim ſic adnotatur: *Acta fuerunt haec intus MAIOREM ECCLESIAM S. RESTITVTAE*. Quo igitur ſenſu centeſimo poſt novae Cathedralis dedicationem anno *Major Eccleſia S. Reſtitutae* adhuc ea vocabatur, eodem ſub Archiep. Urſino, ac ferme vigeſimo tantum poſt hodiernam Cathedralem dedicatam anno eadem *Eccleſia Neapolitana* per excellentiam adhuc vocabatur, ſed tamen non ſine diſcriminante adjectione *Sanctae Reſtitutae*.

Jam vero quandoquidem oſtenſum fuit, hoc loco τὸ *Eccleſiae Neapolitanae S. Reſtitutae* tantumdem eſſe ac ſi ſimpliciter *Sanctae Reſtitutae* dixiſſet; quaero jam qua de cauſa hi Noſtri vocentur *Hebdomadarii Sanctae Reſtitutae*. An non potius *novae Cathedralis Hebdomadarii* dicendi fuiſſent? Antequam reſpondeo, hinc diſcant velim hodierni Canonicorum aemuli (noſtros mirificos Hebdomadarios intelligo) quam perverſe agant, cum illud crepantibus buccis imperite obganniunt, hodiernos Neapolitanos Canonicos nihil aliud olim fuiſſe & nunc eſſe quam Graeculos *Sanctae Reſtitutae Canonicos*, ſe vero jam tum ab initio Clerum Cathedralis Latinae praecipuum, hoc eſt Capitulum compoſuiſſe. Quo enim ore iſta aut his ſimilia jactitant, cum anno 1337. (qui ferme vigeſimus poſt novam Cathedralem encaeniatam numerabatur) ipſi ab Archiepiſcopo, ſuo inſtitutore nupero, non aliter, quam *Sanctae Reſtitutae Hebdomadarii* vocitentur? At ſane, ſi viri ſunt, in ea potius nomenclatura ſibi placeant: per quam ſibi longe majoris antiquitatis decus conciliatur, quam ſi tum primum exorti eſſent, cum nova Cathedralis coepit exiſtere.

Ergo ut ab hiſce Noſtris (qui dum alios impetunt, nihil aliud quam in ſua ſemper commoda peccare fatagunt) hanc tantae, quantam nemo ſuſpicetur, antiquitatis incam gratiam; ii quidem jam anno 1213. ſub Anſelmo exiſtebant (imo & ante jam fuerant) & *Clerici Confratres Congregationis Oratoris* vocabantur, h. e. ejus Confratantiae (*Confra-*

Digitized by Google

fratrum enim Congregatio aliter *Confratantia* dicebatur) quae *Salvatori* ſive Salvatoris Eccleſiae deſerviebat. Hinc ſane antiquitatem mirificam diſcimus; nam ab illo uſq. tempore exorti fuerunt, cum paſſim *Salvatoris Eccleſia* vocabatur: quae appellatio coepit poſtea paullatim deſueſcere, ſimul ac uſitatiore vocabulo ſive *Major* ſive *Neapolitana Eccleſia* vocabatur.

Ea ergo prima eorum nomenclatura fuit. At poſtquam nova Cathedralis eſt dedicata, quamvis ejus miniſterio principio quidem uti *Confratres*, deinde circa ann. 1335. ſub *Hebdomadariorum* nomine admoti fuiſſent; tamen ad eorum originem primam deſignandam *Hebdomadarii S. Reſtitutae* dici interdum geſtiebant: qua in appellatione τὸ *Sanctae Reſtitutae* tantumdem eſt ac *Salvatoris*, quia ea baſilica *Salvatoris* loco dici *S. Reſtituta* nuper coeperat. Ex qua ſimul appellatione licet colligere, tunc temporis Hebdomadarios non minus in nova Cathedrali quam in S. Reſtituta (utrobiq. enim conventus fiebant, ut ad Humberti Conſtitutionem §. ſuperiore obſervatum fuit) Canonicis haud dubie deſerviſſe: cujus adhuc veſtigium in Officio dedicationis S. Mariae de Principio, item S. Reſtitutae Virginis & Mart. (de quo vide (72) alibi) ſupereſt. Ac ſimul ex eadem perhonorifica his Noſtris, ſi ſapiunt, *Hebdomadariorum S. Reſtitutae* appellatione illud etiam arguimus, Hebdomadarios ſub Joanne Urſino fundatore ſuo in S. Reſtitutae tum ad ſe veſtiendos, tum etiam ad deliberandum (ſicuti & ante novae Cathedralis encaenia conſueverant) locum Congregationis habuiſſe.

Itaque hi noſtri principio *Confratres Salvatoris*, deinde *Hebdomadarii S. Reſtitutae* (i. e. Salvatoris) aut conjunctis nominibus, *Eccleſiae Neapolitanae S. Reſtitutae* vocabantur. At ſecuta eſt poſtremo tertia nomenclatio, qua dici coepere *Hebdomadarii & Confratres S. Salvatoris Veteris*. Nam cum, ut alibi dictum fuit, in nova Cathedrali exſtru-

(72) In Canonicorum Archivi autographo authentico Viſitationis S. Reſtitutae Hannibalis de Capua fol. 537. ſic legitur: *In primis Veſperis, Matutinis, & Miſſis quae cantantur in feſtivitatib. S. Reſtitutae .. & Dedicationis Eccleſ. .. in praedicta Eccleſia S. Reſtitutae tenentur intereſſe* (Hebdomadarii magiſtri ſcholae) *& intonare & tracintonate ut ſupra, & nihil eis debetur pro cauſa praedicta. Feria VI. in Pareſceve in officio, quod de mane fit in praedicta Eccleſia S Reſtitutae, tenentur ſimiliter intereſſe, & nihil pro cauſa praedicta eis debetur.*

Hoc ſanctae Paraſceves officium, quod ſub Hannibale de Capua adhuc in S. Reſtitutae fiebat (quod quam pridem fieri deſierit, ignoro) veſtigium erat antiquioris conſuetudinis, qua totum officium Paraſceves in S. Reſtitutae peragebatur. In Urſinianis Ritibus cap. 26. *Item in die Paraſceves Dom. Archiepiſcopus conſuevit* (iſtud *Conſuevit*, in Urſinianis perpetuum ac ſollemne verbum, veram obligationem inferebat: hinc Ritus illi *Conſuetudines* vocabantur) *conſuevit*, inquit, *facere officium in Eccleſia Sanctae Reſtitutae.* Quod & antè ducentos annos adhuc perduraſſe, conſtat ex libro Comiti per id tempus ſcripto, in quo ea Urſini Conſuetudo totidem verbis tranſcribitur fol. 26. a tergo. Sed hoc amplius in Tutinianis excerptis additur totius ejus Officii Paraſceves in S. Reſtituta peracti operoſa deſcriptio. Ergo, uti dicebam, ſub Hannibale ejus antiquitatis veſtigium ſupererat, diuq. poſtea ſuperfuit.

Digitized by Google

ſtructum fuiſſet *S. Salvatori Veteri* (cur porro *Veteri*, alibi (73) explicuimus) ſacellum; viſum fuit ei ſacello Confratantiam ſive Congregationem Hebdomadariorum (qui olim Salvatoris dicebantur) affigere. Ac ſic demum prima eorum nomenclatura revixit. Haec de pulcherrimo Joannis Urſini loco: cui diutius me eſſe immoratum nondum poenitet.

II. *Fundatio Hebdomadarum quatuor, anno* 1372. *a Domino Leonardo Pagano facta, quam in partem ſit accipienda.*

Duplex eodem anno a *Domino Leonardo Pagano* fundatio facta fuit, una Hebdomadarum trium menſe Aprili, altera Hebdomadae unius menſe Decembri. Fundator ipſe quia *Dominus* (74) praenominatur; vir nobilis de Paganorum familia, quae adhuc inter patricias enitet, haud dubie fuit. Quocirca noli putare, hunc Paganum unum ex recentibus Hebdomadariis Salvatoris (quorum miſerias Bernardus ſexennio poſt, deinde Ludovicus aliiq. Archiepiſcopi, uti mox obſervabimus, deplorabant) fuiſſe, ſed omnino ex primitivis (quorum ſaepe mentio incidit, & num. ſeq. recurret multo accuratior) ex primitivis, inquam, unum: quorum Hebdomadae, utpote opimae & miniſterio vacantes, a clericis nobilibus appetebantur. Hic igitur primitivus Hebdomadarius quatuor erexit Hebdomadas hodiernorum Hebdomadariorum: hodiernorum inquam; nam & eorum ſucceſſores in Viſitatione Hannibalis de Capua fol. 504. nominatim deſignantur.

Jam vero cum nos §. ſuperiore Adnot. 67. didicerimus, novos Hebdomadarios non tantum ab Jo: Vrſino inſtitutos, ſed & duorum ſupra viginti numerum ab eodem fuiſſe profectum; cumq. numquam eos ſupra eum numerum creviſſe ſciamus; quo pacto haec ſtabunt cum hebdomadis quatuor a Domino Leonardo Pagano fundatis? Reſpondeo Paganum noſtrum non auxiſſe Hebdomadariorum numerum, ſed tantum quatuor fundaſſe Hebdomadas h.e. *Hebdomadariorum praebendas*. Nam in iſtius aevi beneficiaria loquendi conſuetudine vocabula abſtracta de praebendis intelliguntur. Vide §. ſuperiore Adnot. 65. in charta Philippi Pulchri, in qua *Militiae* ſunt Militum Cathedralis praebendae, eaeq. a diſtributionibus diſtinguuntur. Ac re vera de Pagani hujus fundatione priore, qua tres erexit hebdomadas, legitur in Viſitatione Hannibalis de Capua: *Ultra portiones* (nempe) *in maſſa, diſtributionibus, & emolumentis ut ceteri Hebdomadarii, habent ex donatione & fundatione praedictar. Hebdomadar. facta per quond. Dom. Leon. Paganum regiſtrata...*

(73) Vide Parte I. & hoc eod. §. infra num. IV.

(74) De *Domini* praenomine vide infra Adnot. ſeq. At interim in Viſitatione Hannibalis fol. 504. etiam tres illarum Hebdomadarum ultimi poſſeſſores praenominantur *Domini*. Verum id ex eo factum, quod nota D. (presbyteris jam diu praeponi ſolita) cum quidem legenda eſſet *Domnus* [quod praenomen, monachorum olim peculiare, tandem etiam cum clericis majoribus communicari coepit] abhinc ducentos annos male ab imperitis *Dominus* legebatur & ſcribebatur.

Digitized by Google

ta . . . pro communi & indiviſo in praebendam ſeu praebendas praedictorum Hebdomadariorum (quos ſcil. Viſitator ultimos poſſeſſores nominatim deſignaverat) *infraſcriptos annuos cenſus* . . . . Cetera quae ad hanc priorem fundationem pertinent, legi poſſunt in Hannibalis Viſitatione fol. 504. Sicuti & quae pertinent ad fundationem hebdomadae unius factam menſe Decembri ejuſd. anni 1372. leguntur in ead. Viſitatione fol. 418. ubi & inſtrumentum donationis & erectionis legitur.

Ergo cum Hebdomadariis ab Vrſino inſtitutis perexiguae praebendae eſſent, Canonicorum dotatione primitus erectae, ac praeterea eiſdem tenuiſſimae diſtributiones ex maſſa Confratantiae Salvatoris cum aliquot aliis emolumentis macerrimis obvenirent; Pagani liberalitas fecit, quo quatuor ſaltem Hebdomadarii opimioribus *Hebdomadis* h. e. praebendis (quae hodieq. pinguiores ſunt) fruerentur.

III. *De Bernardi Archiepiſcopi diplomate, quo tres quaſdam primivitivas Majoris Eccleſiae Hebdomadas novis Hebdodariis adnexuit anno* 1378.

In Bulla Bernardi Archiep. ſcripta anno 1378. nodus vindice dignus occurrit, dum is ſcil. antiſtes Hebdomadariis Eccleſiae Neapolitanae inopia laborantibus tres ejuſdem Eccleſiae Hebdomadas tunc vacantes adnectit. Nam quaeſo quale hoc genus liberalitatis erit, ſi quidem Hebdomadarios de ſuo fundo ditarit, & ipſorum Hebdomadas ſuiſmet Hebdomadis opimiores fecerit? Imo, quod mirabilius eſt, nullum ibi reſtrictionis Hebdomadariorum in minorem numerum prorſus veſtigium apparet. Nec aliam prorſus hic nodus ſolutionem admittit, quam ſi pro certo habeamus id, quod jam ante pluries in tranſitu animadvertimus, nempe duplex tunc temporis in Cathedrali genus Hebdomadarum fuiſſe, veterum & primitivarum unum (quae quidem illo tempore beneficia ſimplicia evaſerant; quia ex tribus tunc vacantibus unam quidam Canonicus poſſidebat) alterum novarum, quae poſt initia novae Cathedralis ad perſolvenda pro Canonicis divina officia erectae ab Vrſino & Capitulo fuerant: de quib. vide §. ſuperiore toto. Illas igitur primitivas hebdomadas tamquam inutiles & otioſas Bernardus Hebdomadariis novis Congregationis Salvatoris adnectit. Haec praelocuti, nunc verba Diplomatis ita carptim deſcribemus, ut intra parentheſes Hebdomadas nativas a novis opportune diſtinguamus. Carptim inquam notabiliora quaeq. ejus monumenti recitabimus: nam integrum in Viſitatione Hebdomadarior. Eccleſiae Cathedralis Hannib. de Capua fol. 290. reperies.

Bernardus . . Archiepiſcopus Neap. . . . Hebdomadariis Eccleſiae noſtrae Neap. ſalutem. Infra. *Nuper ſiquidem pro veſtra parte fuit expoſitum . . . quod propter tenuitatem fructuum . . . tam Hebdomadarum* (novarum a Capitulo dotatarum) *Eccleſiae Neap. quam Congregationis Salvatoris* (cujus hi novi Hebdomadarii primitus Confratres fuerant,

& tunc

& tunc quoq. Confratres simulq. Hebdomadarii erant: id quoq. hic perquam notari velim, quod *Hebdomadarum* abstracto vocabulo utitur ad illas quamlibet tenues Hebdomadariorum *praebendas* designandas, ut num. superiore observavimus; at Congregatio Salvatoris eisdem distributiones suppeditabat: de quo infra uberius) *tam Hebdomadarum*, inquit, *quam Congregationis Salvatoris ... pertinentium ad Hebdomadarios* (novos) *non potestis... Matutinas Missas & Horas* (corr. *Matutinos, Missas & Horas*: nam totus diurnus cursus in Matutinos, Missas, & ceteras Horas distinguebatur; ceterum *Matutinos* masculino genere sequior aetas usurpabat: Regula Monachor. S. Caesarii §. 21. *Posthaec dicant Matutinos*) *non potestis*, inquit, *Matutinos, Missas, & Horas, & alia divina celebrare officia; quodq. propter necessitatem... in diversis aliis Ecclesiis Civit. Neap. vos pro stipendiis licet modicis Missas celebrare oportet, propter quod Ecclesia Neapolitana saepius solitis & sollemnib. defraudatur obsequiis; Nobisq. supplicari fecistis, ut aliquas Hebdomadas* (primitivas) *Hebdomadariorum* (primitivorum) *dictae Ecclesiae cedentium vel decedentium Congregationi* (vestrae) *S. Salvatoris adnectere ... dignaremur, ut plus solito ... die noctuque* (adhuc enim nocturnum officium noctu persolvebatur) .. *deservire possetis. Nos igitur.... Hebdomadas tres* (primitivas) *dictae Ecclesiae Neap. quarum unam per privationem Domini Joan. Surrentini, qui per nostram Curiam, suis exigentib. demeritis juste privatus existit, & aliam per liberam resignationem Domini Antonii de Pastena Canonici dictae Ecclesiae in nostris manib. factam, & tertiam per obitum quond. Domini* (75) *Juliani Surrentini, ad praesens vacantes.. dictae vestrae Congregationi S. Salvatoris ... adnectimus.. & incorporamus .... expresse ordinantes, quod fructus dictae Congregationis S. Salvatoris, una cum fructibus dictarum trium Hebdomadarum* (primitivarum) *per nos unitarum* (interim cur fructuum novarum Hebdomadarum recens a Capitulo dotatarum non meminerit, in ima (76) pagellae

(75) Tres istos ex *Domini* praemisso praenomine apparet fuisse nobiles viros, quos ea aetate *Dominos* praenominari mos fuit: qui si laici fuissent, ac nobile feudum possiderent, bis *Domini* praenominabantur. Passim in sepulcris legitur, *Dominus Dominus Miles* &c. Hinc igitur vides, primitivas istas Hebdomadas, ex corruptela temporum ab omni servitutis obsequio liberatas, viris nobilibus atq. Canonicis conferri consueviſse.

(76) *Cur Bernardus Archiep. fructus Confratriae Salvatoris una cum Hebdomadis primitivis recens adnexis, distribui praesentib. jusserit; fructuum autem novarum Hebdomadarum non meminerit. Hebdomadarum & Fratantiarum Neapolitanarum praecipuum discrimen fuit, quod illae in solis praebendis consisterent, hae in solis distributionibus. At hodiernis Hebdomadariis nova natura fuit, ut simul Hebdomadarum praebendis & Confratrum distributionib. fruerentur.*

Ut satis quaestioni fiat, sciendum est, inter matricum Neap. Ecclesiarum Hebdomadas ac Fratantias hoc ferme interesse discriminis, quod Hebdomadarii suas singuli praebendas sibi peculiares haberent, nihil vero de communi massa perciperent: cum contra Confratres de communi massa, quae inter eos distribuebatur, alerentur, praebendis vero

gellae ora ratio reddetur) *non distribuantur ... nisi inter praesentes & inter assistentes in Divinis ... alioquin .. praesentem unionem haberi volumus pro non facta ... Datum & actum ... anno a Nat. Dom.* 1378. *die IX. mens. Febr.*

IV. *De monumentis quatuor, in quibus nomenclatio Congregationis Salvatoris cum additamento VETERIS usurpatur.*

1. Appellatio *Salvatoris cum adjectione Veteris* mense Febr. anni 1378. (quo Bernardus tres Hebdomadas primitivas recentibus Hebdomadariis ante annos XL. institutis adnexuit, uti proxime vidimus) inaudita erat. At anno seq. eadem primum usurpata reperitur. Etenim

ro propriis omnino carerent. Vide sup. in Adnot. 34. ubi ex Hannibaliano Ecclesiae Neapolitanae Statu Hebdomadas & Fratantias Matricum Ecclesiarum exhibuimus: ibi hoc discrimen perpetuum reperies.

Ergo similiter in Majore Ecclesia erant primitivi quidam Hebdomadarii, suis singuli praebendis fruentes, nihil vero de massa percipientes: quae eo facilius beneficia simplicia evaserunt. Erant vero & Clerici Confratres Congregat. S. Salvatoris (ex Anselmi diplomate usq. ab anno 1213. noti) qui etsi inopia laborantes, suam tamen massam (illam scil. ex qua primitus in commune alebantur) habebant, ex qua suas singuli tenues distributiones perciperent; eaq. massa sensim Archiepiscopor. & Capituli liberalitate per quasdam adnexiones aucta paullatim fuerat. His vero eisdem Confratribus nullae prorsus praebendae fuerant.

Jam vero postquam post novam Cathedralem erectam hodiernos Hebdomadarios, qui vice Canonicorum officia divina persolverent, ita creari placuit, ut ii ex numero Confratrum Salvatoris assumerentur; ecce tibi novi prodiere beneficiarii, duplici pollentes natura ac titulo, *Confratrum* simul & *Hebdomadariorum*. Qua Confratres, ex massa Congregationis Salvatoris distributiones percipiebant; qua vero Hebdomadarii recens erecti, praebendas sibi singuli singulas assignatas ex Canonicorum dotatione (cujus in Adnot. 41. meminimus) & credo etiam ex aliquibus adnexionibus habuerunt. Atque iis praebendis hodiedum fruuntur; etsi plures earum amissis fundis deperierunt, aliae vero valde diminutae, aliae auctae, ut in talibus fit, deprehenduntur. Et quidem hos duplices Hebdomadariorum hodiernorum fructus sedulo distinxit Bernardus, dum initio scribit: *Nuper .. fuit expositum ... quod propter tenuitatem fructuum, redituum, proventuum .. aliarumq. obventionum, TAM HEBDOMADARVM* (i. e. praebendarum, si sic loqui licet, Hebdomadarialium, recens a Canonicis fundatarum) *Ecclesiae Neapolitanae* [en fons unus in praebendis, uti mox demonstrabitur, consistens] *QVAM CONGREGATIONIS SALVATORIS*: is vero fons alter est, ex consueta Fratantiis massa proveniens. Duplicem igitur, uti dicebam, in hodiernis quamlibet tunc pauperrimis Hebdomadariis fructuum venam Bernardus reperit, nim. *Hebdomadas* [h. e. praebendas ante annos XL. sub Joan. Ursino fundatas] & massam Congregationis Confratrum Salvatoris, ex qua distributiones erogabantur. Ea est Bullae Bernardinae expositio.

Atqui & ejusdem diplomatis διατύπωσις [*dispositio*] utramq. venam intactam reliquit: excepto quod massam ex Confratantia Salvatoris provenientem, additis Hebdomadis [h. e. Hebdomadariorum primitivorum praebendis] tribus opimiorem effecit. *Expresse*, inquit, *ordinantes quod fructus dictae Congregationis Salvatoris una cum fructibus dictarum trium Hebdomadarum* (primitivarum) *per nos unitarum .. distribuantur ... inter praesentes* &c. Ergo cum ante Bernardum Hebdomadariorum recentium massa ex Confratriae Congregationis Salvatoris fructibus tantum componeretur; Bernardus decrevit, ut etiam fructus trium primitivarum Hebdomadarum, quas eis adnexuit, massae distributionum cederent (*una*, inquit, *cum fructib. dictar. trium Hebdomadar.*) at vero fructus Hebdomadarum recentium, quia ab initio praebendarum naturam induerant; in eadem eas natura intactas reliquit.

Digitized by Google

in Visitatione Hebdomadarior. Hannibalis de Capua fol. 324. producitur instrumentum annó 1379. scriptum, in quo sic legitur: *Item dictus testator legavit ... Fratantiae S. Salvatoris VETERIS de Archiepiscopatu Neapolitano domos ipsius testatoris.* Ex quo manifestum est, aut post Februarium anni 1378. aut ipso anno 1379. quo instrumentum istud celebrabatur, eam VETERIS adjectionem nomini Salvatoris fieri coepisse. Quo vero ea VETERIS additio pertineat, tum demum exponere aggrediar, ubi prius Ludovici Archiepiscopi Neap. diploma cum eodem *Veteris* additamento deprompsero.

2. Exstat igitur Ludovici Buczuti Archiep. Bulla anno 1381. signata (quae in eadem Hannibaliana Hebdomadarior. Visitatione fol. 385. producitur) sic exordiens. *Ludovicus Dei & Apostolicae sedis gratia* (nunc primum istud *Apostolicae sedis gratia* additur; nam ante triennium Bernardus sic fuerat exorsus: *Bernardus Miseratione Divina Archiepiscopus*: nec olim aliter Humbertus, & Joan. Ursinus) *Archiep. Neapolis Hebdomadarius Majoris Ecclesiae Neap. salutem.* Deinde exposita exilitate fructuum Congregationis ipsorum, ex qua vix possent Divinis officiis deservire, subdit: *Propterea .... una cum nostro Capitulo congregati in nostro Archiepiscopali Palatio, ac de consensu ac voluntate dicti Capituli ibidem praesentis & consentientis, Ecclesiam S. Mariae de Mundulis, & Ecclesiam S. Mariae* (77) *Praxedis de Neapoli cum omnibus juribus & pertinentiis earumdem, unimus, adnectimus, & incorporamus dictae Congregationi SALVATORIS VETERIS in dicta Ecclesia Neapolitana &c.* In fine: *Datum Neap... Anno Dom.* 1381. *die VI. mens. Novemb. V. Indictionis.* De *Indictione V.* quae hic notatur, obiter animadvertimus, anno 1381. decurrisse vulgarem sive Pontificiam Indictionem IV. quae passim per Italiam usurpabatur. At Neapoli (uti sup. Adnot. 32. & extrema Adnotatione 33. observavimus) saeculo hoc XIV. & adhuc XVI. toto, Indictio CPolitana in usu erat: qua a Kalendis Septemb. nova Indictio numerabatur. Itaq. mense Novembri anni 1381. alibi passim Indictio IV. continuabatur, at Neapoli quinta jam ab ineunte Septembri inceperat.

Id vero in hoc monumento, ut initio monui, notabile in primis est, quod ea *Salvatoris VETERIS* appellatio (quae postea usitatissima huic Congregationi fuit) nunc primum in Archiepiscopi Neap. diplomate occurrat (etsi jam biennio ante usurpata in instrumento fuerat, quod modo num. 1. retulimus) nam antea Congregatio *Salvatoris*, sine adjectione *Veteris* vocabatur. Et sic quoq. sine *Veteris* in Bulla Bernardi ann.

(77) Corr. *S. Praxedis*, deleto τῷ *Mariae*; non tantum quia inaudita prorsus est nominum *S. Mariae Praxedis* copulatio, verum etiam quia in Hannibalis Visitatione Hebdomadarior. fol. 461. ubi de reditibus Congregationis hujus agitur, refertur inter cetera, *Beneficium* (hoc utiq. a Lud. Buczuto unitum) *S. Praxedis in Platea supra Pistasium* &c. Istud quoq. *Pistasium* corruptum est pro *Pitasium*, ac rursus hoc pro *Epitaphium*,

Digitized by Google

ann. 1373. legitur, quam num. III. exposui. Quo porro illud *Veteris* pertineat, etsi Sectione superiore §. 4. p. 132. & pluribus in locis aliis edisserui; tamen levi brachio ejus rei mentionem refricandam censeo.

Et antea quidem ea Congregatio simpliciter *Salvatoris* sine additione ulla cognominabatur, quia ad veterem Cathedralem (quae tunc *Salvator* vocabatur, nunc vero *Sancta Restituta*) eadem Congregatio pertinebat. Itaq. Confratres Congregationis hujus, a quibus hodierni Hebdomadarii prodiere, indidem erant, unde & Canonici, quippe hi *Canonici Salvatoris* (quo *Canonicorum Salvatoris* nomine passim in hujus aevi monumentis Canonici Neapolitani donantur) illi *Confratres Congregationis Salvatoris* erant. Et quia usq. ad Bernardum Archiep. sive annum 1378. sic vocati comperiuntur; necesse est eos usq. ad id tempus in S. Restituta suam Congregationem habuisse. At anno demum 1379. (quo instrumentum supra num. 1. productum scribebatur) & hoc anno 1381. ac deinceps ea *Congregatio Salvatoris* cum addito *Veteris* nuncupari coepit. Quod quo pertineat, missis (78) hariolationibus, paucis edisseram. Cur ea Capella *Salvatoris VETERIS* vocaretur, Par. I. pag. 22. Adnot. 1. rationem ex monumento anni 1598. (quod inter monumenta dabitur) protuli hujusmodi; nim. quia in ejus Capellae icone Divinus Salvator (ad illius scilicet *Veteris* Salvatoris similitudinem expressus, qui in veteris Cathedralis, h. e. S. Restitutae hodiernae, apside adhuc fidelium venerationi patebat) depictus erat; idcirco Capella *Salvatoris Veteris* vocabatur. Nam & aediculae & simulacra ad similitudinem Aedis Lauretanae facta, & ejusmodi alia, archetypi sui appellatione insigniuntur. Jam vero in hujus Capellae postico Hebdomadariis *Confratribus Salvatoris* (propter nominis scil. ταυτότητα) visum fuit concedi locum, quo convenire possent: quo in loco nunc Rectoris Seminarii diaeta cernitur. Ceterum Hebdomadarios nihil prorsus juris in eam Capellam habuisse, ex cujusdam Instrumenti ann. 1450. inter monumenta producendi continentia & tenore constabit. En igitur causam cur ab eo tempore *Congregatio Salvatoris* cum adjectione *Veteris*, haud secus atq. ipsa Capella, vocata fuerit.

Sane quod dixi, in ejus Capellae postico locum Hebdomadariis Confratribus fuisse datum, id paullo post Bernardi superius diploma, h. e. post Februarium anni 1378. contigisse necesse est. Quod intelligi

(78) Dici enim poterat, illud VETERIS eo pertinere, quod *Salvatore* (sive *Salvatoris Ecclesia*) in *S. Restitutam* transnominato, merito ea Congregatio non absolute *Salvatoris* sibi nomen adsciverit, sed (quia *Salvatoris* appellatio jamdiu exoleverat) *Salvatoris VETERIS*. Potest quidem haec ratio admitti: nisi quod illud obstat, quod nimis sero (nempe prope septuagesimo anno postquam SALVATORI subrogatum S. RESTITVTAE nomen fuit) adhiberi ea praecautio coepisset, ut τὸ VETERIS adderetur, ne aliud quam vetus *Salvatoris* Ecclesia intelligeretur. Etsi ceteroqui hoc etiam scimus, non statim *Salvatoris* nomen ita penitus exoleviisse, ut non interdum de S. Restituta usurpatum cerneretur.

Digitized by Google

ex eo poteſt, quod in ſuperioribus monumentis, etiam in ultimo Bernardi, nulla mentio fiat loci ullius, in quem convenirent. At vero in hoc Ludovici Buczuti diplomate initio ipſo, quod omiſi, qua parte indigentia Congregationis exponitur, ſic legitur: *Noviter intelleximus, quod habetis in dicta Eccleſia Neapolitana quamdam Congregationem vocatam CONGREGATIO SALVATORIS. Noviter* id Buczutus Archiepiſcopus intellexerat, quia vix ante triennium videtur Capella S. Salvatoris hujuſmodi (cujus imago Salvatorem in S. Reſtituta cultum exprimebat) exſtructa fuiſſe; aut in ea certe non ante biennium ei Congregationi locus, in quo convenirent, precario datus. Pergit Buczutus: *Quae Congregatio habet fructus adeo .. exiles, quod vix poteſtis de dictis fructibus in Eccleſia, & Congregatione ipſius* (hinc diſcimus, hic *Congregationis* nomen pro loco conventus eorum accipi; ac praeterea iis praeter publicum in choro Eccleſiae ſervitium, etiam privatim in loco Congregationis ſuae quaedam officia incubuiſſe) *in divinis officiis deſervire*. Hactenus expoſitio procedit, in qua nuſquam illa adjectio VETERIS legitur. At eadem in διατυπώσει (*diſpoſitione*) diſertim occurrit in iis verbis, quae initio hujus Bullae recitavimus. Sic etiam in Nicolai & Gaſparis conceſſionib. (quas mox num. 3. & 4. delibabimus) illa VETERIS adjectio tantum in diſpoſitione adſcribitur.

3. Sequitur Nicolai de Diano diploma ſignatum anno 1416. quo Eccleſiae S. Joannis de Villa Marianellae eidem *Congregationi Salvatoris Veteris* ex voluntate & conſenſu Capituli conceditur. Exſtat in Viſitatione eadem fol. 392.

4. Ac poſtremo anno 1446. Gaſpar de Diano eidem *Congregationi Salvatoris Veteris* ex eadem voluntate & conſenſu Capituli conceſſit domum ſitam in Platea Capuana. Exſtat in ead. Viſitatione fol. 386. Haec duo monumenta Bullae Ludovici tum in expoſitione tum in διατυπώσει (*diſpoſitione*) & in inveſtitura per omnia concinunt, & eiſdem fere verbis utuntur. Et ſicuti de Ludovici conceſſione vidimus, ſic etiam in hiſce Nicolai & Gaſparis chartis, in expoſitione quidem *Congregatio Salvatoris* ſine addito uſurpatur, at in Diſpoſitione (in qua deſignatio nominis accuratius obſervanda erat) vocatur *Congregatio Salvatoris VETERIS*.

V. *De noviſſima* Cappellanorum *appellatione noſtris Hebdomadariis a Paulo III. P. M. tributa.*

In Hannibalis de Capua toties laudata Viſitatione Hebdomadarior. anni 1583. fol. 384. refertur diploma Pauli III. anno 1536. datum, quod ſic incipit: *Conqueſti ſunt Nobis Hebdomadarii, ſeu Congregatio Cappellanorum Eccleſiae Neapolitanae, quod Abbatiſſa* &c. Si quaeris, cur eos ſic Pontifex appellaverit, prompta eſt reſponſio, quod ipſi Hebdomadarii ſic ſe priores in libello ſupplici nuncupaverint; ſic enim paſſim uſuvenit.

Digitized by Google

nit. Quae vero mens Hebdomadariis, aut vero aliis (quicumq. primi ejus nominis auctores fuerint) in ea appellatione Hebdomadariis tribuenda fuerit, & quam pridem id nomen usurpari coeperit, plane ignoro. Nec tamen diu id perduraſſe nomen, ex Viſitationum codicibus, aliiſq. monumentis conſtat.

§. VII. *De octodecim Presbyterorum, qui vulgo* Quadraginta *vocantur origine & natura.*

Hoſce *Quadraginta*, re autem vera octodecim presbyteros, Caeſar (79) de Engenio non niſi a Mario Carafa inſtitutos dum dixit, toto erravit caelo. Etenim non tantum in Alfonſi Carafae Actis Viſitationis occurrunt, ſed & millies in aliis Neapolitanae Eccleſiae monumentis. Eorum fit mentio in funere (80) Beatricis Reginae Hungariae, in Proceſſione (81) ad recipiendum Card. legatum, & in (82) Comite Neapolitanae Eccleſiae pluries. Poſtremo & Joannes Urſinus ceteris omnibus, quos modo laudavi, antiquior in Ritibus (83) Eccleſiae Neap. eorumdem non

(79) Caeſar de Engenio pag. 4. initio: *Appreſſo vi ſono diciotto Sacerdoti detti* li Quaranta, *perciocche adempiono tal numero con gli Eddomadarj; e furono iſtituiti da Mario Carraſa Arciv. di Nap. e dal Card. Acquaviva hebbero poi l'armuccio, che già portavano gli Eddomadarj.*

(80) In pompa funeris Beatricis Reginae Hungariae ann. 1508. prout in Comite Capituli Neap. deſcribitur, proceſſiſſe dicuntur *Li Quaranta*, deinde *li Eddomadarii*, poſtremo *li Signuri Canonice*.

(81) In ordine proceſſionis, quae facta eſt anno 1494. ad excipiendum Card. Montis Regalis Legatum ad coronandum Alfonſum II. [quae prout ex Magiſtri caeremoniarum ſacri Palatii praeſcripto ordinanda erat, deſcribitur in collectaneis Tutinianis] ſic legitur: *Poſtea ſubſequentur duae Cruces, ſive una Venerandi Capituli* [quae verba hoc plane ſignificant, illas duas cruces, quae hoc tempore interdum praeferri ſolebant, ambas Capituli fuiſſe, & ὑλικῶς ſive *materialiter* duas fuiſſe, at εἰδικῶς ſeu *formaliter* unam, uti ſup. Adnot. 63. ad Urſini cap. 9. pag. 160. col. 1. adnotavi: ſic certe duas haſce Cruces Magiſter Sac. Pal. interpretabatur!] *ejuſque* [Capituli] *Presbyteri hoc modo videl. Decem & octo presbyteri qui Quadraginta nuncupantur*. Ac mox *Hebdomadarii*, & *Canonici ſequuntur*.

Jam vero haec verbis totidem repetuntur in eadem proceſſione, quae vernaculo ſermone deſcripta praemittitur libro Comiti. *Sequitano le doe cruce o vero una de lo Venerando Capitolo, & lloro preyte in queſto modo videl. Li decedotto preyte che sò congnomate li quaranta. Li venerande edomagdarii. Li venerande & Signore Canonice.* &c.

[82] In Comite Neap. Eccleſiae pluries memorantur presbyteri Quadraginta; ut in proceſſu Archiepiſcopi cum Capitulo ex Palatio in Eccleſiam: *Primamente andaranno li Preyte, overo li Quaranta, li Ebdomadarii, li Signure Canonici* &c. Item in ordine proceſſionis generalis: *Item Comitus debet ordinare presbyteris duobus de numero Quadraginta, ut aſſiſtant eidem Praelato, & unus ut deferat Crucem vel reliquias, & alteri ut deferat baculum paſtoralem.* Hic tamen locus ad octodecim aeque atq. ad XXII. Hebdomadarios pertinet, ut infra obſervabitur.

(83) In Rituum Vrſinianorum excerptis Tutinianis in Ordine miſſae celebrandae a Praelato quolibet anni tempore: *Inſuper* (Comitus) *praecipiet quatuor presbyteris ex numero Quadraginta, quod venire debeant ad ſungendum officio ceroferarii, Annichini nuncupati.* Paſſim tam in Jo. Vrſino quam in Comite Ceroferarii vocantur vulgo *Annichini*.

Per-

Digitized by Google

non raro meminit. Cumq. ſuos Ritus Urſinus anno 1337. promulgaverit (nim. uno aut duobus poſt inſtitutos Hebdomadarios annis) neceſſe eſt etiam τῶν *Quadraginta* originem coaetaneam omnino fuiſſe Hebdomadariorum fundationi; imo & paullo antiquiorem. Nam & antea pari prorſus gradu cum iis, qui poſtea Hebdomadarii fuere, ſemper inceſſerunt: quod jam declaratum eo.

Non tantum igitur presbyteri octodecim coaevi Hebdomadariorum erectioni, verum etiam ſemper συμφρήτορες h. e. *ſodales*, ſemper eorum Confratres ab initio fuerunt. Nam ut ſuperius diſputata uno ſub aſpectu ponam; utriq. eodem plane loco & uniuſmodi ſub Anſelmo anno 1213. erant, nempe *Clerici Fratres Congregationis Salvatoris*: utriq. tunc mobiles, nec titulares, ſed collectitii. Deinde ſub novae Cathedralis encaenia ex non obſcuris indiciis videtur Humbertus ejus Congregationis Confratres ad presbyterii ordinem promotos, ac forſitan ad XL. redactos (forſitan, inquam; nec enim conſtat, utrum is quadragenarius numerus antiquior in ſua Salvatoris Congregatione fuerit, an ab Humberto prodierit, an poſtremo ab Joan. Urſino) videtur, inquam, Humbertus quotidiano Eccleſiae miniſterio eos admoviſſe. Necdum tamen titulares evaſerant, quippe reditibus carentes, ac modicis tantum quibuſdam tum funerariis tum aliis nonnullis emolumentis fruentes. Hoc ipſum diu ſub Urſino Archiep. fuerunt. Poſtremo hic Urſinus anno (uti demonſtratum fuit) ſive 1335. ſive ſequente, ex eo XL. Presbyterorum numero duos & viginti exemit, quos a Capitulo qualibuſcumq. praebendarum ſtipendiis dotatos, tamquam *Aſſiſtos* ſeu Vicarios Canonicis in onus divinorum officior. quotidianum ſubrogavit, & in *Hebdomadarios*, & quidem titulares erexit: reliquos vero octodecim eodem quo erant loco reliquit.

Ab hoc vero tempore hoc inter utroſq. intererat, quod illi XXII. ſimul Hebdomadarii erant, ſimulq. *Confratres Congregationis Salvatoris*. Novum ſane beneficiariorum genus: nam in ceteris matricibus noſtris Eccleſiis non alii, quam aut meri Hebdomadarii, aut meri Confratres reperiuntur: at hi noſtri jam tum ab ſuarum Hebdomadarum erectione utrumq. gradum atq. nomen tuebantur; imo & nunc quoq. tuentur, quandoquidem in antiquiore Hebdomadariorum ſepulcro, uti ferunt, CONFRATANCIAE Salvatoris mentio ante hos plurimos annos fiebat. Ergo ut dicere occeperam, hoc inter utroſq. diſcrimen fuit, quod οἱ XXII. ſimul Hebdomadarii, ſimulq. Confratres eſſent; & qua Hebdomadarii modicis praebendis ex Capituli aſſignatione conflatis,

qua

Pergit: *Aliis duobus ex dicto numero intimabit; alteri ut deferat Reliquiam ſive Crucem, alteri ut deferat baculum paſtoralem ſive Crocciam*. Adhaec cap. 62. in ultima Dominica menſ. Auguſti in aliquo Virginum coenobio ab ultimo Cardinale praebendato miſſa de SS. Feſto & Deſiderio cantatur, *In qua*, inquit, *duo Presbyteri de numero Quadraginta dicunt Epiſtolam & Evangelium*.

Digitized by Google

qua vero Confratres tenuissimis ex Confratria Salvatoris distributionibus fruerentur: at vero reliqui octodecim essent dumtaxat presbyteri (non titulares tamen; nam adhuc sub Hannibale de Capua mobiles erant) presbyteri, inquam, Confratres Salvatoris, & Hebdomadariorum congeneres.

Et haud dubie congeneres, ac vere *Confratres*, ut qui eodem cum Hebdomadariis ovo (nim. Castoris & Pollucis exemplo) prognati fuissent. Hinc ab ortu ipso XL. vocabantur, ac semper quaerentibus cur, qui essent haud plures octodecim, tamen XL. vocarentur; ea ratio assignata fuit, quia cum suis συναδέλφοις (*Confratribus*) nim. XXII. Hebdomadariis, numerum (84) quadragenarium absolverent. Hoc idem satis ex ea nuncupatione, qua in Comite & in Ritibus Ursinianis designantur, satis intelligitur: in utroq. enim opere passim *Presbyteri DE NVMERO Quadraginta* vocari solent: quibus locis τὸ *De numero* non καταχρηστικὴν (*abusivam*) illam τῶν *Quadraginta* appellationem fuisse significat, sed veram prorsus cum XXII. συναδελφίαν atq. sodalitatem, non eam tantum quae olim inter utrosq. fuisset, sed quae adhuc constaret. Postremo ex eo etiam idem utrorumq. genus percipitur, quod sicuti hodierni Hebdomadarii ab Anselmi pontificatu usq. ad Ursini exordia mobiles erant (nam non nisi anno demum 1335. aut sequente, quando in Hebdomadarios evaserunt, coepere simul ex Capituli dotatione immobiles ac titulares esse) hanc ipsam mobilitatem hi octodecim sub Alfonso, & sub Hannibale (85) de Capua servabant; nec nisi sub Octavio Aquaviva ne-

(84) Haec plane ratio in Hannibalis de Capua Statu Ecclesiae Cathedralis (qui in Archiepiscopali tabulario, ut alibi monuimus, asservatur) fol. 8. his verbis traditur: *Decem & octo alii Presbyteri..qui vulgo dicuntur Li Quaranta, ex eo quia complent numerum quadragenarium cum suprascriptis XXII. Hebdomadariis.*

Sed & eadem ratio in dioecesanae Synodi Alfonsi Carafae anni 1565. actis ab Jul. Sanctorio scriptis assignatur pag. 76. his verbis: *Deinde lecta est petitio octodecim presbyterorum adjunctorum XXII. Hebdomadariis Ecclesiae Metropolitanae (& propterea Quadraginta nuncupatorum, quod illum impleant numerum) asserentium* &c. Nisi quod parum exacte ad veritatem Sanctorius *Adjunctos* fuisse Hebdomadariis ad eum implendum numerum dixit, qui re vera eorum semper coaetanei & confratres fuerunt: quod satis ex Ritibus Vrsinianis constat. Adhaec si adjuncti postea fuissent; cur non potius *octoginta* sunt appellati? quem numerum absolvebant cum XXII. Hebdomadariis, & Canonicis, qui sub Vrsino XL. erant, & totidem adhuc sub Alfonso fuere) quam *Quadraginta*? Deinde qui post factum accedunt, ii nomen numeri sui retinent: quare si hi octodecim post interjectum tempus additi fuissent, non alio nomine quam *Octodecim* vocandi fuerant. At quia ex XL. sodalium numero duo & viginti ita in Hebdomadarios evaserunt, ut tamen suam cum reliquis XVIII. συναδελφίαν (*confratriam*) servarent; idcirco recte hi residui octodecim pristino nomine adhuc vocabantur οἱ *Quadraginta*: quod adhuc audiunt. Verum quid moror? coaevos semper τοῖς XXII. fuisse, ex Vrsinianis Ritibus prorsus est explicatum. Nec tamen Sanctorium ἰδιολογίας (*impropriae locutionis*) accuso: qui cum Octodecim hosce Hebdomadariis *Adjunctos* dixit, non aliud quam *Adhaerentes* illis ab initio (sicuti prorsus fratres adhaerent fratribus) voluit aut debuit intelligere.

(85) Sub Alfonso nihil mercedis ex ministerio suo referebant; ex quo colligitur, eos nondum titulares fuisse. In Actis enim synodalibus Alfonsi Carafae post verba Adnotsupe-

neſcio quam hereditatem nacti, tandem immobilitatē tituli ſunt conſecuti.

Verum quid his levioribus immoror? cum in Urſinianos Ritus acutius intuentibus manifeſtiſſimum ſit, hodiernos Hebdomadarios non tantum pro Confratribus presbyterorum octodecim habitos, ſed haud raro communi cum his nomine *Presbyteros*, aut *Quadraginta* nuncupatos. Quod, ne feſtinantibus morae ſim, ſeorſum (86) oſtendo.

Jam ſuperiore adſcripta, eorum querela ſic exponitur: *Aſſerentium ſe plurima onera ejuſdem Eccleſiae ſuſtinere, & pro illius ſervitio ſaepius laborare, nihil tamen mercedis referre* &c. De mercede nulla ſtabili conqueruntur; nam tantum funerariis emolumentis fruebantur. Et ea quidem petitione lecta, *Per D. Cardinalem* (ut ibid. legitur) *reſponſum eſt, ſuper petitis extra Synodum eſſe providendum, Capitulo & Canonicis, ac aliis, ad quos ſpectat, auditis.*

Verum tantae horum Octodecim indigentiae, nec ab Alfonſo, nec alio fuiſſe poſtea conſultum, ſatis Hannibalianus Eccleſiae Cathedralis Status declarat; ubi ſic legitur. *Decem & octo alii Presbyteri ad NVTVM Dom. Archiepiſcopi DEPVTANTVR qui vulgo dicuntur Li Quaranta.* Hinc vides, ſub Hannibale adhuc fuiſſe mobiles: at eorum indigentiam docent, quae ſequuntur: *Per prius tenebantur deferre cereos & turibulum. Habent tantum quaedam MVNVSCVLA in funeribus, quibus interſunt cum Capitulo* &c.

Jam Vrſini Ritus, in quibus dubitari non poſſit, quin omnes praeter Canonicos atq. inferiores Clericos, communi *Presbyterorum* (ſupple *De Choro*) nomine contineantur. Ac locus in primis illuſtris eſt in Tutinianis excerptis in additionibus ad cap. 31. ubi agitur de proceſſione quae die Paſchatis ad S. Mariae Majoris dirigitur, ubi haec regula generalis traditur: *Et eſt notandum in hac proceſſione & in omnibus aliis proceſſionibus, quod receptores ſeu Capellani Eccleſiarum, ante quarum conſpectum tranſit proceſſio, debent ſtare indutí cotta in medio viae ſive plateae cum turibulo .. & incenſare Dom. Archiepiſcopum, Capitulum, Presbyteros* (horum vero ambitu nominis tum Hebdomadarii, tum alii octodecim continentur) *& Clericos in dicta proceſſione euntes; & dum tranſit dicta proceſſio, campanae dictarum Eccleſiarum debent pulſari.* Certe niſi etiam Hebdomadarios *Presbyterorum* nomine intellexeris, nae eos deteriores clericis, quorum nullus ſuffitu incenſi carebat, effeceris. Et quidem quos hoc loco abſolute *Presbyteros* nuncupavit, eoſdem alibi plena locutione *Presbyteros de Choro* vocat. Paullo ſuperius cap. 29. ubi de eadem proceſſione in die Paſchatis ad S. Mariae Majoris dirigenda ſermo incipit, ait: *Archiepiſcopus ſic* (pontificaliter) *indutus cum Diaconibus, Cardinalibus* (ſaepe monui, ſeptem Canonicos diaconos abſolute vocari *Diaconos*, & ſic diſtingui a *Cardinalibus*, qui ſunt VII. presb. praebendati, & a reliquis, qui vocari ſolent abſolute *Canonici*) *& aliis de Capitulo .. ac etiam Presbyteris & Clericis de Choro dictae Eccleſiae Neap. proceſſionaliter vadit ad Eccleſ. S. Mar. Major.* Et cap. 39. In feſto I. Dominicae Maii: *Quos* (Epiſcopos & Abbates ſuffraganeos) *una cum Capitulo toto, nec non Presbyteris & Clericis de Choro Dom. Archiepiſcopus .. conſuevit invitari facere ad prandium.*

Nec alia quam communi τοῖς XXII. ſimul ac τοῖς XVIII. notione accipienda ſunt loca

(86) DISQVISITIO

De notione Presbyterorum, *aut* Presbyterorum de Choro; *itemque* Presbyterorum Quadraginta, *aut* De numero Quadraginta *in Urſinianis Ritibus.*

Dixi Adnot. 79. contra Caeſ. de Engenio, τὸν *Quadraginta* ab Vrſino ſaepiſſime memoratos. At cave putes, ſive τὸν *Quadraginta*, ſive *Presbyteros* aut *Presbyteros de choro*, ab Vrſino noſtro ad ſolos Octodecim reſtringi; cum contra fere ſemper tam τοῖς XVIII. quam τοῖς XXII. h. e. Hebdomadariis ſint plane communia vocabula: quod productis locis illuſtrabimus.

PARS PRIOR

Qua oſtenditur PRESBYTERORVM, aut Presbyterorum de Choro *appellationem non minus de XXII. Hebdomadariis, quam de reliquis Octodecim ab Vrſino fuiſſe uſurpatam.*

Principio fundamenti loco eos adſcribam

Digitized by Google

loca sequentia. Cap. 18. in die Cinerum: *Archiepiscopus postmodum dat* (cinerem) *omnibus Diaconibus, Cardinalibus, Presbyteris, & populo.. dicendo, Memento homo.* Item post descriptam processionem, quae fit in die Lunae, itemq. Martis in Albis, sic subjicitur: *Post reversionem dictae processionis Capitulum & Presbyteri Eccleſiae Neap. congregantur in Eccleſia S. Reſtitutae; & Cellararii dictae Eccleſiae debent eisdem dare ad comedendum de agno aſſato, pane & caſeo.. Archiepiſcopus vero dare eis conſuevit unum congium vini Graeci.*

Et hactenus ea loca corrasimus, in quibus *Presbyterorum de choro*, aut *Presbyteror. Eccleſ. Neap.* aut absulute *Presbyterorum* (totidem enim modis scribitur) vocabulum ad omnes in commune pertinet, tam ad duos & viginti Hebdomadarios, quam etiam ad reliquos Octodecim. Nunc ea juvabit loca producere, in quibus eadem appellatio, cum sit ipsa per se communis omnibus, tamen de Hebdomadariis peculiariter debet in subjecta materia intelligi.

Is vero locus agmen aget, qui in Tutinianis Vrsinianor. Excerptorum supplementis versus finem legitur: qui certe nulla eludi tergiversatione potest. *Item*, inquit, *primam lectionem cum primo Reſponſorio debent dicere Clerici parvuli: ſecundam vero lectionem cum Reſponſorio Presbyteri vel Hebdomadarii.* Vbi τὸ VEL non disjunctivam vim habet (nec enim Hebdomadarii corpus diversum a *Presbyteris* conficiebant) verum ἐξηγητικὸν, idq. ex usu sequioris aevi, quo VEL modo pro ET, modo SEV (quae ultima notio hic locum habet) accipiebatur. *Presbyteri*, inquit, *VEL* (h. e. seu) *Hebdomadarii*. Nam quia *Presbyterorum* nomen non tantum τὰς XXII. sed etiam τὰς XVIII. complectebatur, idcirco ea διαστικὴ particula utitur, ut ea Lectio restricte ab Hebdomadariis dicenda praescribatur, non item a reliquis octodecim.

Nec aliter ibidem in supplemento ad cap. 19., sive ad Officia Quadragesimae, haec sunt capienda: *Et ſemper in dicto tempore* (Quadragesimae) *quando dicuntur tres lectiones, primam legit unus Presbyterorum de choro* (supple, *Seu Hebdomadarius*: ut in superiore loco declaraverat) *ſecundam unus Canonicorum* (simplicium) *tertiam unus Diaconorum dictae Eccleſiae Neap. Primum autem Reſponſ. eſt Presbyteror. de Choro, ſecundum vero & tertium ſunt Canonicorum* (simplicium).

Eodem & illud refer, quod in generali Vesperarum celebratione in eisd. Excerptis legitur. Ibi post dictum ab Archiep. *Deus in adjut. meum intende* &c. statim hoc additur: *Primicerius cum duobus Magiſtris ſcholarum, vel aliis Presbyteris* (hic etiam *Presbyterorum* nomine Hebdomadarii veniunt; nam aliunde ex his Ritibus intelligitur, haud raro *Magiſtros ſcholarum*, sicuti & *Capichoros* pro se subrogasse alios ex ead. Hebdomadariorum congregatione, ad quam ipsi pertinebant) *veſtitis cum pluvialibus, altero ex una altero ex altera parte, ibit ad annuntiandum antiphonam.. Archiepiſcopo*. Post non multa: *Dicto capitulo, ſupradictus Primicerius adſociatus cum duobus Presbyteris de Choro* (haec enim est plena locutio, ad quam referenda sunt omnia loca, in quibus *Presbyteri* absolute vocantur) *presbyteris*, inquit, *de Choro* (quos sibi Magistri scholarum subrogarunt) *vel Magiſtris* (ipsis) *Scholarum debet.. eidem* (Archiep.) *principium Hymni.. & Antiphonae ad magnif. annunciare*. Hactenus quidem ea loca plane singularia collegimus, in quibus *Presbyteri de Choro* (ceteroqui locutio omnes, tum XXII. tum etiam XVIII. continens) tamen ex subiecta materia solos XXII. Hebdomadarios designat.

PARS ALTERA

Qua loca illa Rituum Vrſinianorum proferuntur & explicantur, in quibus ambitu τῶν Quadraginta *etiam XXII. Hebdomadarii continentur. Cuidam difficultati proceditur obviam.*

Nunc excutere ea loca libet, in quibus Hebdomadarii nomine τῶν *Quadraginta* veniunt: Quo quidem refer loca illa, quae Adnot. 82. & 83. adscripsi. In Comite enim & in Vrsini excerptis in ordine processionis generalis legitur: *Item Comitus debet ordinare presbyteris duobus de numero Quadraginta, ut aſſiſtant eid. Praelato, & uni ut deferat crucem vel reliquias, & alteri ut deferat baculum paſtoralem.* Atqui horum prior unus ex octodecim erat, & hodie dum est (nam deferre crucem ad octodecim pertinet, praesente Archiepiscopo) alter vero, sicuti semper ad nostram aetatem unus ex Hebdomadariis fuit (ad quos perpetuo pertinuit baculum pastoralem gerere) sic etiam proprium eorumdem sub Vrsino erat. Quod dixi, ad nostram

Digitized by Google

uſq. aetatem paſtorale pedum ab Hebdomadariis fuiſſe praelatum, id hoc loco paucis notari operae fuerit, non ad eorum, qui nunc ſunt, ſed ad futurorum documentum. Nam ſemper ante hominum memoriam, Archiepiſcopo celebrante, uni ex Hebdomadariis baculus paſtoralis detinendus tradebatur. Verum ante hos duos tresve annos Eminentiſſimo Card. Spinello juſtiſſimis de cauſis viſum fuit munus pedi paſtoralis detinendi uni ex octodecim presbyteris (ad tempus ſcil. quoad ei placuerit) commendare. At credo ſatis jam perſpectum fuiſſe, plures nunc cauſas graviſſimas incidiſſe, propter quas Hebdomadarii honore praeferendi detinendiq. baculi, quo ante hominum memoriam fruebantur, ex integro gaudeant. Id enim & Hebdomadariis (ſi modo ſapiunt) apprime honorificum, & ad ſervandam ritus antiquitatem videtur e re praeſenti futurum: niſi aliud Eminentiſſimo Archiepiſcopo viſum fuerit.

Porro ei loco, quem proxime adſcripſimus, eſt & ille plane gemellus alter in eisdem Vrſinianis Ritibus in ordine Miſſae a Praelato celebrandae: *Praecipiet* (Comitus) *quatuor presbyteris ex numero Quadraginta, quod venire debeant ad fungendum officio ceroferarii.* Hoc quidem haud dubie ad octodecim pertinet, quorum (teſte Hannibale de Capua in Statu Eccl. Neap.) ſemper fuit Ceroferarios agere: at non item quod ſequitur: *Aliis duobus ex dicto numero intimabit, alteri ut deferat Reliquiam ſive Crucem, alteri ut deferat baculum paſtoralem*: Quorum prius ad unum ex octodecim alterum ad XXII. pertinet: quorum ſcil. utriq. ſicuti re vera ſunt, ita & recte his locis vocantur *de De numero Quadraginta.*

Eodem etiam & locus Vrſinianor. Rituum pertinet cap. 62. ubi Miſſa de SS. Feſto & Deſiderio cantanda a cardinale Canonico dicitur in aliquo Virginum monaſterio: *In qua* (Miſſa) *duo presbyteri de numero Quadraginta dicunt Epiſtolam & Evangelium.* Pro qua Miſſa tenebatur Abbatiſſa *Collationem facere* & certam pecuniae ſummam dare. Quaero hic ad quoſnam iſtud *Dicere Epiſtolam & Evangelium* pertinebit? Ad octodecim non poteſt referri, teſtante Hannibale in laudato *Statu*, ad eos antiquitus tantum pertinuiſſe deferre cereos & turibulum: qui de Epiſtola & Evangelio non tacuiſſet, ſi eorum id munus olim fuiſſet. Ceteroqui aliunde ſcimus, Canonicis Miſſas (ſaltem extra Cathedralem) cantantibus duos ex Hebdomadariis Diaconi & Subdiaconi munus impleviſſe. Nam to. 1. Scripturar. Forenſium Archivi Capitularis fol. 111. & ſeq. ſuggeſtiones quaedam Romam mittendae continentur, inter quas legitur: *Et il dì di S. Marco a S. Maria Maggiore cantando la meſſa in ſua preſentia* (i. e. Archiepiſcopi) *D. Gio. Longo* (hic fuit octavus Canonicus Theologus poſt fundatam ex praeſcripto Trid. Conc. praebendam Theologicam, uti conſtat ex Necrologio Neap. Capituli fol. 35. qui ſub Archiep. Alfonſo Geſualdo fuiſſe Canonicus creditur) *l' Evangelio e l' Epiſtola le cantorno DVI EBDOMADARI* &c. Hoc vero perhonorificum Hebdomadariis eſt; nam hodie num Romae in Patriarchalib. Baſilicis Canonico celebrante Canonici Epiſtolam & Evangelium cantant. Imo in eiſdem Vrſini Ritib. cap. 22. Canonico Cardinale celebrante Canonicus Evangelium, & unus de choro (Hebdomadarius utiq.) Epiſtolam cantat: ſic etiam cap. 34. Mitto quod Papa celebrante, Evangelium a Cardinale diacono, Epiſtola a Praelato cantatur. Ergo ut eo redeam: ne dubita, quin illi *Duo presbyteri de numero Quadraginta*, qui Canonico celebrante Diaconum & Subdiaconum ex Vrſini praeſcripto in illa Miſſa ſeſe gerebant, vere ex Hebdomadariis fuerint; & tamen *De numero Quadraginta* dicuntur.

At quaeret aliquis, quid cauſae fuerit, cur, cum plurimis in locis Vrſinus *Hebdomadariorum* nominatim meminerit, his tamen locis aliis, quae modo adſcripſimus, eorum mentionem importuna caligine obtexerit, dum eos communi τῶν *Quadraginta* appellatione involvit. Quanti enim laboris erat *Hebdomadarios*, id quod jam evaſerant dum Ritus promulgaret ſuos, diſertim vocare, ſicut & alibi vocat?

Verum meminiſſe oportet, illam Vrſinianorum Rituum συναγωγὴν (*collectionem*) fuiſſe Juſtinianeo πανδέκτῃ ſive *Digeſto*, aut potius uſitatis tunc temporis Decretalium compilationibus perſimilem. Itaq. permagna Vrſinianorum capitulorum pars ſuperiorum temporum erat; & eisdem ab Vrſino repetita ſunt verbis, quibus ea concepta reperiebantur. Supra ubi Humberti Conſtitutionem illuſtravimus, jam obſervatum a me fuit, tria Humberti capita Vrſinum totidem verbis in collectionem ſuam ritualem transfudiſſe.

His

Digitized by Google

Jam vero quod huc usq. ac tota praesertim Adnot. 86. demonstravi, τῶν *Quadraginta* nomen fuisse olim Hebdomadariis aeque ac presbyteris octodecim prorsus commune, ac de utrisq. in commune idem nomen fuisse usurpatum atq. intellectum; & quidem ita, ut τῶν *Quadraginta* nomen modo τοῖς XXII. modo τοῖς XVIII. modo universis pro re nata accomodaretur: id, ut sincere agam, ad Joannis Vrsini aetatem & secuta mox tempora esse restringendum ajo. Nam ceteroqui fatendum est, abhinc saltem ducentos annos jam coepisse τῶν *Quadraginta* nomen presbyteris octonis denis proprium & peculiare fieri. Certe in libro Comiti (illo saltem quem nunc ante ducentos aut paullo plus annos descriptum in archivo Capituli habemus) reperitur vox *Quadraginta* interdum de solis octodecim usurpata, & Hebdomadariis ἀντιδιῃρημένως (*discretive*) oppositа, in iis saltem locis, quae non ex Ursinianis ritibus profluxere, sed diu postea Comitis libro accesserunt. Id quidem constare jam potuit ex iis locis, quae Adnot. 80. 81. & 82. produximus: sed nunc ex illustriore alio ejusdem Comiti loco hoc ipsum ostendam: quem sedulo integrum inferne (87) descripsi, ne me forte aliquis celatae ob studia partium veritatis insimulet.

His intellectis, mihi prorsus persuadeo, loca superius adscripta ab alio quovis antiquiore Archiepiscopo fuisse profecta: quando scilicet ii, qui postea sub Vrsino in *Hebdomadarios* provecti fuerunt, non aliud quam de numero XL. presbyterorum essent. Nec vero aegre conjecerim, superiora Rituum loca (in quibus Hebdomadarii cum XL. confunduntur) Humberto auctori tribuenda; a quo suspicabar plenum illum numerum τῶν *Quadraginta* presbyterorum prodiisse. At Vrsinus ea loca totidem verbis intulit in opus suum.

Ergo per tot jam saecula, quibus Vrsinianum opus Rituum tenebatur & observabatur, nomen τῶν *Quadraginta* tum Hebdomadariis tum octodecim presbyteris commune haud dubie fuit; etsi illi XXII. saepius peculiari suo nomine *Hebdomadarii* dicebantur; hi vero octodecim sero tandem communi τῶν *Quadraginta* nomine (tamquam scil. peculiari suo) uti, tamquam suo peculiari, coeperunt: de quo plenius Adnot. seq. dicam.

(87) *Ritus Festi Circumcisionis ex Comiti libro exponitur: in quo τῶν Quadraginta nomen de Octodecim peculiariter usurpatur.*

De festo Circumcisionis in Vrsinianis Ritibus exstat caput XIV. his verbis: *Item in Circumcisione Domini omnes Presbyteri de choro tenentur facere officium in Vesperis, Matutinis & Missa.* Quod & in libro Comiti eisdem verbis Latine ex Vrsiniana Collectione descriptum reperitur fol. 23. Et hactenus haec erant Hebdomadariis juxta atq. octodecim presbyteris communia: ad quos universos in commune ab antiquo tempore eo die facere officium pertinuisse videtur.

At quia in Comiti libro variae secutis temporibus accessiones factae deprehenduntur; haec de festo Circumcisionis addita reperi fol. 38. *Die ultimo mensis Decembris se celebra la Vespera de la festa de la Circumcisione de Jesu Christo per li Quaranta* (quorum nomine tantum Octodecim intellige, quod & ex sequentibus, & ex hodierno more constat) *Et uno de ipsi farà la vespera, & la matina derrà la messa, como per lo Comito serrà ordinato; & dui altre de li ditti Quaranta, uno derrà la Epistola, & laltro derrà lo Evangelio: a la quale vespera & messa li ditti Quaranta se deveno trovar in coro ad dire le antifone, versi & lo Benedicamus. Et la matina deveno venire a lo matutino & dir le lectione & cantar li Responsorii, & direno tutto lo Matutino & Prima. Et nota tu Comito che ditto lo Matutino & Prima, dive fare sonare per la messa, & fare vestire quello che have ad dire la messa, & cosi lo dya-*

Atq. haec (utinam non plura quam destinaveram) tum de XXII. Hebdomadariis, tum de octodecim presbyteris, qui tamen *Quadraginta* vocantur, adumbrasse sufficiat. Atq. exsistet forsitan alius, qui haec eadem resecare ad vivum accuratius aliquando sataget. Mihi nunc interim in tanta, quae circumstabat, caligine, tantaq. monumentorum veterum inopia, praetulisse facem satis superq. fuerit.

SECTIO III.

Vera Neapolitanorum Canonicorum origo aperitur.

Sectione prima §. 1. & 2. accurate demonstratum a me fuit, Canonicorum nostrorum institutionem certumq. numerum ab S. Athanasio Episcopo nostro esse omnino repetenda. Eadem porro illa hîc repetere nunc non est animus, ne revocata crambe miserum lectorem occidam. Quibus tamen id curae erit, ea loca conferat censeo. Licebit hic tantum spicilegium facere; quaeq. ibi omittenda, quippe alieno loco, fuere, ea dumtaxat huc breviter afferre. §. 1.

dyacono & subdyacono: & sonato che sarrà per la messa, tu Comito farrai havisato lo Reverendissimo Monsignore lo Archepiscopo se le piace descendere a la messa, & questo sua segnoria ad questa festa deve essere presente, & fare la offerta, & questo è costomato antiquamente in la Ecclesia Neapolitana. Et nota Comito che ditto lo Offertorio, & dato lo incenso ad Monsignore & ad tutti li altre Signure Canonice, & Edomagdarii &c. lo ditto preyte che canta la messa deve descendere alle ultime grade, & la se fermare una con lo dyacono & subdyacono, tenendo una tovaglia innante a lo preyte per recepire la INFERTA. Hanc supra vocaverat *offerta*: ex quo τὰ *Offerta* & *Inferta* Synonyma esse cognoscis: quorum alterum hodie num Neapoli in usu est, sequitur: *Et tu Comito te troveray havere invitato lo Reverendiss. Monsignore lo Archepiscopo, lo Vicario, e li segnure Canonice, & altre persone faranno la offerta, & finito de offerire, tu Comito pigliaray la tovaglia con la offerta, & portarayla in lo conspecto de lo Reverendiss. Monsig. lo Archepiscopo... che se digne sua Sign. Reverendiss. farende do[illegible]ali Edomagdarii, & ali Quaranta.* Vides hic ut nomine τῶν *Quadraginta* non nisi illi Octodecim veniant, quia per eam nomenclaturam ab *Hebdomadariis* distinguuntur; sicuti etiam paullo inferius. Pergit: *Sua segnoria me le farà gratia, & farance la croce.*

Demum & hoc addit. *Nota tu Comito che faray la lista de tutti tanto Edomagdarii quanto de li Quaranta* (vides iterum τοὺς *Quadraginta* ab Hebdomadariis distingui: quod in Vrsini Ritibus numquam occurrit) *quando sarà ditta la Epistola.* Recte quia ex Humberti Constitutionis (quam §. 5. produximus) cap. 3. qui post Epistolam intraret, nihil lucrabatur. Nunc dicto *Kyrie* nihil lucrifit. Sequitur. *Et ad quelle che se trovaranno in quello tempo, faray la parte. Et nota che faray la parte ad Tesauriere, ad Sacrestano, ad Musicha* [notabis hic Musicae in Cathedrali nostra antiquitatem] *a lo Mastro schola de lo Primicile* [h. e. ex parte Primicerii] *a lo Campanaro, allecturè & alo Comito.* Haec volui integra adscribere ut prima κατάχρησις [*abusionis*] vocabuli *Quadraginta* initia aperiantur, quatenus scil. eorum peculiare evasit, qui cum sint tantum octodecim, tamen cum aliis XXII. suis Confratribus Hebdomadariis numerum quadragenarium absolvunt. Et ab eo tempore perpetuum hoc mansit, ut hi *Hebdomadarii*, illi *Quadraginta* vocentur: ob id scil. quod hi posteriores quadragenarii tantum numeri praerogativam habent, cum contra prioribus praeter hujus numeri communionem & Confratriam, adsit etiam hebdomadae honor.

Digitized by Google

§. I. *Commentitia Canonicorum Neapolitanae Ecclesiae origo a Magno Constantino petita refellitur, ac vera ab Sancto potissimum Athanasio ducta novo argumento adstruitur.*

Hic ille locus est, in quo exsultare Dissertatio haec mea posset, si paullo plus mihi simulationis quam sinceritatis esset; ut qui nullo cum famae meae discrimine existimationem longe maximam Ecclesiae Neapolitanae ejusq. Capitulo conciliare possem. Nam si id agerem, ut primitivos XIV. Neapolitanos canonicatus a Magno ipso Constantino fundatos defenderem, ecquid aliud nisi quingentorum [illegible]tem annorum praescriptione firmatam narrationem defenderem? Hoc S. Chronographus S. Mariae de Principio, qui ante quingentos annos suum chronicon exaravit, disertissimis verbis docuit; si qui postea secuti sunt, ad unum omnes eamdem narrationem passis ulnis amplexi sunt; cur id mihi vitio vertendum esset, si per tam antiquae historiae vestigia ingrederer? Tamen quia veritati uni litare semper animum induxi meum; inani caducaeque gloriae, quae ab Imperiali mille & quadringentorum annorum fundatione profectura esset, multo solidiorem veritatis & fidei laudem anteponendam statui. Idque cum facio; scio me non modo a ceteris Neapolitanis civibus, verum & a Collegis meis ornatissimis (quos gravitatis, doctrinae, pietatis nomine colui semper, & quasi parentes sum veneratus; quosque pari sinceritatis studio teneri, certissimum habeo) initurum esse gratiam non vulgarem. Nunc ab hac ipsa opinione evellenda ordiar.

Vulgatissima persuasio, quae jamdiu insedit animis hominum, de Canónicatibus XIV. a Magno Constantino fundatis nullo antiquiore teste subnititur, quam Chronico S. Mariae de Principio. In quo sic fol. 5. v. 2. legitur. *Et dum persepe audiret Missam* (Imp. Constantinus) *in Episcopali Neapolitana Ecclesia, ipsam Neapolitanam Ecclesiam multis possessionibus locupletavit & prediis; ac statum ipsius Ecclesiae honestavit & plurimum augmentavit, in illa faciendo instituit per Sanctum Cosmum Canonicos Sacerdotes septem, & alios septem dyacones prebendatos. Quibus predia & possessiones imperator ipse donavit. Nec non instituit fecit in Ecclesia Cimiliarcham, seu dignitatem Cimiliarchalem* &c. Nec dubium est, quin de Constantino Magno id intellexerit, de quo scil. proxime sic praedixerat: *Prefatus Constantinus ... venit Neapolim una cum prefato Papa Silvestro*. Deinde *Sanctus Cosmus* Episcopus, cujus hic mentio fit, videtur ille accipiendus, qui ab Joanne Diac[illegible]simus appellatur, & ab eodem temporibus Sylvestri Papae & Constantini ponitur: de quo nonnulla alibi in Dissert. de SS. Episcopis Neapolitanis dicam.

Verum cum nec Magnus Constantinus, nec S. Sylvester unquam Neapolim venerint, & ea tota narratio Constantinianae aetati congrue-

gruere non possit; verisimilius est (ut alibi (88) pluribus edisserui) hanc totam de S. Restitutae oratorio, deq. Canonicatibus a Constantino fundatis narrationem ad posteriorem alium Constantinum esse referendam; ac facile ad Constantinum Constantis filium, quem occasione Siculae expeditionis venisse Neapolim septimo vergente saeculo, verisimillimum est, deq. hac Ecclesia pro sua religione fuisse optime meritum. Ceterum familiare fuit sequioris aevi scriptoribus, quaecunq. in Ecclesias merita de Constantino aliquo memorata reperissent, ea protinus ad primum illum Magnum referre omnia.

Accedit & illud, quod est longe gravissimum, quod ille Constantinus, qui, auctore hoc nostro S. Mariae de Principio Chronographo, Canonicatus XIV. Neapoli fecit institui, ille eidem Chronographo haud alius fuisse dicatur ab eo, qui antiquius illud S. Restitutae oratorium (de quo vide superiorem Adnotationem) exstruxit, ibiq. S. Restitutae Virg. reliquias condidit. Testatur enim id luculent[illegible] id chronicon fol. 5. a tergo v. penult. his verbis: *Quam quidem Cappell[illegible] Sanctae Restitute* (antiquioris scilicet: nam quae hodie *S. Restituta* vocatur, ea basilica est, non Capella: ceterum ex sui saeculi more Ecclesiam sive oratorium adjacens basilicae *Cappellam* vocat) *Quam*, inquit, *Cappellam Sanctae Restitute construi etiam & edificari fecit dictus imperator* (Constantinus: quem inscite S. Sylvestri aequalem proxime fecerat) *qui ex devotione quam habebat ad dictam beatam virginem Restitutam, que proximis diebus claruerat miraculis multis & glorioſis* (haec tamen aevo Constantini Constantis filij, non vero Magni conveniunt, ut locis citatis in Adnot. 88. diximus) *dictam Cappellam donavit Capitulo Ecclesie Neapolitane* (saltem enim diu ante hunc chronographum antiquius illud S. Restitutae oratorium in Capituli dominio erat, uti Par. I. cap. VI. ostendimus).

(88) Vide in Comment. ad Neapol. marmoreum Kalend. in Addendis ad XVI. Maii a pag. 978. ad 982. ubi tota illa pervulgata narratio de Constantino Magno ab insula S. Restitutae reliquias transferente, quas in Oratorio eidem Virgini ab se exstructo condiderit, ea tota, inquam, ad Constantinum alium Constantis fil. saeculi septimi Imperatorem refertur. Eadem quoque breviter hujus opusculi Parte I. cap. 1. pag. 10. 11. cap. 2. pag. 37. & seq. cap. 5. sect. 2. pag. 54. cap. 6. pag. 69. n. II. & p. 72. 73. & seq. & alibi saepe, ac rursus Par. II. pluries expositimus aut leviter tetigimus.

Summa tamen eo redit. Verissimum quidem est, a Magno Constantino basilicam Salvatori fuisse dicatam, illam ipsam scil. quam uterq. postea Stephanus refecerunt, & [illegible]*phaniam* ob id nuncupatam scimus: quae tandem post novae Cathedralis erectionem ob illatas in eam ex quodam antiquiore Oratorio S. Restitutae reliquias, abjecto Stephaniae nomine, novum sibi nomen *Sanctae Restitutae* quaesivit. Hoc totum verum est.

At alius Constantinus (ac verisimillime filius ille Constantis, qui VII. saeculo imperavit) Neapolim veniens, non hodiernam S. Restitutae Ecclesiam (quae vetus Cathedralis, seu Stephania fuit) sed antiquius aliud S. Restitutae Oratorium Stephaniae adjacens aedificavit; in quo & S. Restitutae reliquias ex insula Enaria asportatas collocavit.

Huic ergo posteriori Constantino potius tribuenda est fundatio XIV. Canonicatuum in Chronico S. Mariae de Principio memorata; modo veri aliquid ea narratio contineat.

Digitized by Google

oſtendimus) *& ejus commiſit regimini, & maxime dicto Cimiliarche, & Canonicis Sacerdotibus & Diaconibus praebendatis, qui non numero quatuordecim erant plures, ut plura inſtrumenta teſtantur*. Hoc ultimum idcirco monet, quod ſaeculo XIII. (quo antiquius chronicon S. M. de Princ. fuiſſe ſcriptum, Par. I. cap. VI. demonſtravi) jam numerus Canonicorum ſupra XIV. mirifice creverat. Ergo ex his vides, huic chronographo eumdem prorſus fuiſſe aedificatorem Memoriae ſive Oratorii S. Reſtitutae, & XIV. Canonicatuum inſtitutorem. Cum igitur Martyrii S. Reſtitutae conſtructor non Magnus Conſtantinus eſſe potuerit, ſed Conſtantinus Conſtantis filius (uti locis ſupra Adnot. 88. indicatis demonſtratum fuit) aut certe quivis alius aevi ejuſdem (89) Imperator; ad hunc eumdem etiam Canonicatuum erectio referenda erit: ſi quidem huic Chronographo credimus.

Nam mihi longe fit veriſimilius, poſteriorem hunc Conſtantinum, qui vergente VII. ſaeculo imperavit, nihil quidem de Canonicatibus (quorum nomen ignotum tunc erat, ea ſaltem notione, qua poſtea uſurpatum fuit) nihil, inquam de Canonicatibus cogitaſſe, ſed tamen Eccleſiam dotaſſe praediis, ex quibus poſtea Epiſcopi Canonicatus fundarunt. Idq. ipſe Chronographus innuit, ubi ait in loco illo priore, quem initio hujus §. adſcripſimus: *FACIENDO INSTITVI per Sanctum Coſmum Canonicos* &c. Niſi quod in Epiſcopi nomine aberravit: qui loco *Coſmi* S. Athanaſium ſcribere debuit: a quo poſtea Canonicos Cardinales, ſeu presbyteros praebendatos ſeptem (quos *Sacerdotes Hebdomadarios* auctor Athanaſianae vitae vocat) fuiſſe inſtitutos, ſupra demonſtravimus hoc ipſo cap. Sect. I. §. 1. & 2. Quid ſi aliquid certe ejuſmodi, ſed multo clarius,

(89) Quid ni enim Conſtantinus ille Irenes filius fuerit, qui ſub finem octavi ſaeculi habenas rexit: cujus initia atq. progreſſus ſatis a pietate commendabiles novimus? Sed praeterquam quod hunc Neapolim nuſquam acceſſiſſe narratur; illud etiam, quo minus de hoc cogitemus, obſtat, quod ſi hic Irenes filius Sanctae Reſtitutae Oratorium condidiſſet, hoc Joannes Diaconus (qui centeſimo paullo plus anno poſt hunc Auguſtum ſuum chronicon ſcripſit) non ignoraſſet; nec porro ſcripſiſſet, multos ſua aetate hujus Sanctae Reſtitutae Memoriam ad Magnum Conſtantinum auctorem retuliſſe: *Aſſerentibus*, inquit, *multis quod Sancta Reſtituta fuiſſet* illa baſilica a Magno aedificata. De quo loco vide paſſim alibi dicta, ac praecipue pag. 10. 11.

Quare ſatius erit in Conſtantinum Conſtantis filium & Oratorii S. Reſtitutae & ceteras narrationes conferre: quem poſt Siculam expeditionem Neapoli ſubſtitiſſe, prope certum habeo.

Quamquam & de hujus patre Conſtante non levis poteſt ſuſpicio ſuboriri: quem certo ſcimus diu Neapoli commoratum. Nam quod is parum pius fuerit; reſponderi poſſet, ab his quoq. interdum plura bene ac religioſe facta proficiſci. Illud vero quod huic non *Conſtantino*, ſed *Conſtanti* nomen fuiſſe traditur, id nihil eſt. Nam *Conſtantini*, *Conſtantis*, & *Conſtantii* nomina paſſim ab auctoribus confunduntur & permutantur; Sicuti *Antonii* & *Antonini*, *Pauli* & *Paulini*, & alia in eumdem modum. Hic ipſe Conſtans in Actis S. Barbati Beneventani, & ſcriptoribus ſane multis appellatur *Conſtantius*. Nec puto deerunt, qui *Conſtantinum* vocaverint. Itaq. ſive in filium ſive in patrem hae chronographi S. M. de Princ. narrationes ſunt conferendae.

Digitized by Google

rius, in Athanasiana vita, quo tempore chronicon S. Mariae de Princ. scriptum fuit, legebatur? Nam in fine loci, quem proxime recitavimus, ubi dixisset, Canonicos suae fundationis initio plures quatuordecim non fuisse, id confirmat his verbis: *Ut plura instrumenta testantur, & in LEGENDA BEATI ATHANASII ENARRATVR.* Quantivis pretii locus. Nam cur ad definiendum primitivorum canonicatuum numerum ex *Legenda* S. Athanasii auctoritatem arcessit, nisi quia ubi in hodierna vita S. Athanasius dicitur *Sacerdotes Hebdomadarios* instituisse, id in longiore Legenda (ad quam Chronicon digitum intendit) accuratius narrabatur, & de Canonicis praebendatis ab S. Athanasio institutis luculentissime agebatur? Porro de *Legendae* significatu & natura vide quae imae (90) pagellae adspersimus. Ergo ex iis quae sect. I. §. 2. de *Sacerdotibus Hebdomadariis*, hoc est Canonicis presbyteris ab Athanasio institutis accurate disputavimus, non relinquitur dubitandi locus, quin saltem septem presbyterorum Cardinalium is vere institutor fuerit. At in *Legenda* S. Athanasii longiore, quam deperdidimus, etiam Canonicatus Diaconales septem ab eodem instituti legebantur, ex indicio Chronici S. M. de Principio. Tametsi eidem pontifici Constantinus ille posterior sua largitate praeiverat. Ab eo quidem donata praedia & Ecclesiam fuisse locupletatam Chronographus saepe laudatus testatur. Ex hoc igitur penore Canonicatus illos XIV. beatissimus Antistes dotavit.

§. II.

(90) *Legenda* (Etruscis scriptoribus *Leggenda*) saec. XIII. ac deinceps de vita sancti alicujus usurpabatur. At Neapoli peculiariter de ea vita accipiebatur, quae in novem distributa lectiones (uti tunc moris erat) in cursu Ecclesiastico legebatur in ejus Sancti festo. Joannes Cimeliarcha in prologo ad vitam S. Joannis IV. Episc. Neap. *Cum vita ejus ... in Chronico haberetur antiqua* (Joannis diac. Chronicon intelligit) *nec tamen Legenda* (longior scil. quae novem Lectionibus sufficere posset) *quae ad honorem ejus in festivitate sua legeretur, scripta aliquatenus appareret*; hinc se a Bernardo Archiep. incitatum subdit, uti vitam S. Joannis elucubraret. Vides hinc quid Neapolitana Ecclesia *Legendam* saeculo XIII. (quo & hic Cimeliarcha & Chronographus S. M. de Princ. scribebant) vocaverit.

In antiquiore igitur Athanasii Legenda Canonici XIV. ab eo instituti legebantur, teste Chronico S. Mariae de Principio. Et eam quidem nunc Legendam amisimus: nam quas Legendas in Sanctorum Neapol. Officiis Neapoli anno 1525. editis nunc habemus, eae contractiores sunt, quam ut minutiora isthaec in iis reperias. Itaq. in S. Athanasii Lectione IV. hoc tantum nunc legitur: *Neapolitanam Ecclesiam* (h. e. Cathedralem, quae κατ' ἐξοχὴν sic tunc dicebatur) *quae Stephania vocatur, Sacerdotibus & ministris ornavit: quibus necessarios rerum sumptus distribuit abundanter*. Mox quid in *Ecclesia sanctae Restitutae* (non ea quae hodie sic vocatur, quae olim Stephania erat; sed altera, ut toties exposuimus, antiquiore a quodam Constantino posteriore fundata) fecerit, vulgatae Athanasianae vitae semper inhaerens, explanat. At in illa longiore Legenda, quae in antiquiore S. Athanasii officio facile per totam octavam lectiones quotidie suppeditabat, illud de Stephaniae ministris accuratius exponebatur, & de XIV. canonicatibus ab eo fundatis mentio fiebat. Scio quidem in Casinensi tabulario quoddam Neapolitanum breviarium reperiri. An ibi ea longior Legenda contineatur, curiosi viderint.

Digitized by Google

§. II. *Tentatur via, qua origo Canonicorum a Constantino (non quidem Magno, sed posteriore alio) defendi aliquatenus possit.*

Hactenus Canonicorum institutionem Constantino Imp. abjudicavimus, ac S. Athanasio asseruimus. Sed tamen tentanda via est, qua utrumq. haberi pro vero possit. Ac primum (uti §. superiore, & copiosius alibi demonstravimus) pro certo haberi volo, Constantinum I, cui tot in Ecclesiam Neap. benefacta in Chronico S. Mariae de Principio tribuuntur, alium posteriorem fuisse, ac verisimillime sive Constantem, sive Constantinum Constantis filium saeculi VII. Caesares, aut, siquis ita malit, Constantinum Irenes filium, qui versus finem octavi imperavit. Haec ad Kalendarium in Addendis ad XVI. Maii copiose expositimus, ut & proxime in Adnot. 89. Confer & loca modo Adnot. 88. indicata.

Sane vero saeculo VII. etsi in Italia *Canonicorum* nomen, quemadmodum post millesimum Christi annum accipiebatur, nondum in usu erat; at erant tamen presbyteri ac Diaconi Cathedrali Ecclesiae peculiariter affixi, veluti cum Aegypius in Translat. S. Severini exeunte V. saec. de quodam Primicerio Ecclesiae Neap. h.e. Cathedralis narrat; & passim alibi Subdiaconi, Diaconi, presbyteri Ecclesiae Neap. reperiuntur. Hi vero Ecclesiae Cathedrali peculiariter incardinati vocantur interdum a M. Gregorio *Cardinales*, qui & Cardinalium Ecclesiae Neap. alicubi meminit. Hinc saeculo VIII. noster Stephanus II. (a quo *Stephania* sibi nomen quaesivit) *Leonem cognomento Maurunta Cardinalem ordinavit presbyterum*, ut in ejus vita scribit Joannes Diaconus. Et horum quidem Cardinalium (qui circ. millesimum Christi annum ubique terrarum usitatiore vocabulo *Canonici* vocabantur: etsi Neapoli *Cardinalium presbyterorum* vocabulum usq. ad citimam nobis aetatem permansit) horum inquam Cardinalium ante Athanasium numerus incertus erat, sed tamen artissimus. At Athanasius, ut Missam publicam quotidianam in Stephania institueret, auxit eorum numerum, & ad septem reduxit, & idem credo parem diaconorum numerum stabilivit.

Ergo ubi chronicon S. Mariae de Princ. de *Canonicis* a Constantino per Episcopum Cosmum (qui forsitan fuerit Cosmus ille, qui octavo medio saeculo sedit, & Constantino cuidam aequalis ab Joanne Diac. creditur) institutis loquitur; vera dicit, modo pro *Canonicorum* nomine alterum in Ecclesia Neap. tunc usitatius, nim. *Cardinalium* subroges. Itaque ex Constantini istius liberalitate hoc habemus, quod latifundia Ecclesiae Neap. donaverit ad ejus Ecclesiae Cardinales alendos. At postremo Athanasius eorum, antea pauciorum, numerum amplificavit, cavens ne quaternis denis pauciores essent. Eamq. ob causam recte chronicon S. Mariae de Princ. Canonicorum quantulocumq. constantium numero fundationem a Constantino, at fixum quaternorum demum numerum

rum ab Athanasio arcessit: *Ut*, inquit, *in legenda Beati Athenasii* (sic enim tunc temporis id vocabulum per vocalem secundam efferebant Neapoli) *enarratur*, illa scil. quam nunc amisimus.

§. III. *De eo quod Canonici Neapolitani Graeci olim fuerint, commentum exploditur.*

Hodiernos Canonicos olim Graecae Cathedralis Neapolitanae ministros exstitisse, se vero alterius Latinae fuisse Capitulum, vulgo Hebdomadarii in allegationibus ante hos decem aut XV. annos Romae editis in vulgus sparserunt. Pudet his dedita opera ac serio respondere. Quamquam his ipsis jam antea obviam itum fuit, cum Par. II. cap. 2. Sectione I. de Neapolitana Graecitate accurate differuimus: quam primo ipso saeculo dilabi coeptam, altero prope extinctam, tertio ad umbratile tantum declamatorum studium (quo loco apud nos hodie lingua Latina est) redactam, quarto deniq. prorsus abolitam ostendimus. Verum age ad argumenta, per quae ab nostro Capitulo Graecanicam prosapiam amoliamur, nostro saeculo & propioribus temporibus convenientiora veniamus.

Est fuitq. semper in Capitulo Neap. tabularium: cujus etsi antiquissima quaeq. cimelia hinc atq. inde distracta ac dilapidata dolemus, tamen scio istud ipsum patrum nostrorum memoria fuisse satis opimum. In eo non tantum antiquissima Latina tum missalia tum breviaria, & Rituales libros, sed & eodem sermone scriptos codices plurimos a se visos passim laudant Chioccarellus, Tutinus, & alii his duobus antiquiores. Tamen quaero, ecquisnam codex Graecus sive liturgicus (puta Synaxariorum, Menaeorum, Euchologiorum & similium) sive Psalterii, Evangeliorum, ac Divinarum scripturarum, sive sacrarum historiarum, Patrumve Graecorum, aut alterius cujuslibet generis in eo reperiatur, aut unquam ab aliis repertus memoretur? Ecquod praetera diploma Graecum, ecqua ejusmodi charta in eo est aut unquam delituit? Atqui scimus tamen in Apulia, in Calabria vetere, & in extremo Brutiorum angulo etiam nunc plurima hujusmodi in iis reperiri Ecclesiis, quas Graeci sibi aliquando arrogarunt: cujus generis membranas plurimas inde Neapolim avectas egomet aliquando vidi.

Dixerint fortasse Cimeliarchatum, qui in Neap. Capitulo reperitur, esse Graecanicam dignitatem. Si ita sit; jam etiam Mediolanense Capitulum (in quo eadem dignitas deprehenditur) una nobiscum ad Graecorum castra transfugiet. Tametsi cur non & Hebdomadarii Cimeliarchen ducem suum antiquissimum atq. perpetuum sequentur? Licebit sane nostris Canonicis commilitonem unum habuisse Graecum, modo ipsi hunc eumdem signiferum, & imperatorem habuerint habeantque.

Nec illud solidius est, quod Romanos causidicos olim jactasse in Canonicos audio: qui quod in Neapolitano Capitulo Diaconos potiorem presby-

Digitized by Google

presbyteris honorem aliquando sibi arrogasse comperiant, ex eo Graecos origine fuisse Canonicos arguunt. Nam ab usque diaconorum arrogantia illa id arcessunt, quae a Nicenis Patribus olim compressa fuit. Verum ea corruptela haud facile diu ante Ursiniana tempora (ut ex Ritibus Ursini constat) nec nisi saeculo XIV. & sequentibus huc irrepsit, quando nihil jam Neapolitanis cum CPolitano imperio commune prorsus erat: nam antea sub Neapolitanis Ducibus Presbyteros priores Diaconis subscripsisse sua nomina diplomatibus reperio. Deinde cur non Salernitanum Capitulum Graecitatis accusabimus? in quo per eadem sequiora tempora Diaconi priorem presbyteris dignitatis locum sibi vindicasse comperio. Sed pudet pigetque de tam levibus vanisque tricari diutius.

§. IV. *Ornamenta quaedam Neapolitani Capituli peculiaria recensentur.*

Quandoquidem autem supra §. 1. de vetere fundationis imperialis vulgo receptissimae possessione in gratiam & obsequium veritatis ultro decessimus; non committam, ut veris ac solidis ornamentis fraudem Collegas meos. Nec ea commemorabo, quae omnium Capitulorum Cathedralium sunt plane communia, veluti sunt illa Canonicorum elogia in jure Pontificio decantata, quod sint *Columnae Ecclesiae*, *Fratres Episcopi*, *Coadjutores*, *Consiliarii*, *Senatus*, *Membra Episcopi*; quod simul cum Episcopo regant Ecclesiam, quod res plurimas majoris momenti Episcopi sine consensu Capituli non jure faciant; quodq. sede Episcopali vacante Capitulum in jura ac sollicitudinem Episcopalis administrationis pleno jure succedit. Haec inquam missa facio; atq. ea tantum enumerabo, quae sunt Neapolitani Capituli propria.

I. Ac primum Capitulum Neapolitanum S. Athanasii Episcopi fundatione abhinc nongentos annos facta gloriatur: qui praesul assignatis imperialibus fundis, Augustorum scil. liberalitate donatis, Canonicos Cardinales primitivos erexit: quo Cardinalium titulo adhuc illi primitivi canonicatus nitent. Vide dicta Par. 2. cap. 3. Sect. 1. & quae de Neapolitanis Cardinalibus in Appendice dicentur.

II. Idem Capitulum Hebdomadarios hodiernos simul cum Archiepiscopo erexit, & veluti suos (91) *Assisios* sibi suffecit; & assignato censu dotavit. Vide a pag. 168. ad 170. ubi de dotatione diximus. Eosdem beneficiis (92) innumeris omni tempore cumulavit, uti majores erga

(91) Tamquam *Assisios* h. e. Vicarios post novae Cathedralis dedicationem sibi in onus chori quotidianum substituit: quod copiose supra cap. 3. sect. 2. ostendimus. Ceteroqui Canonici praesente Praelato numquam a choro aberant; imo & sollemnibus diebus semper choro praeerant, officia ac Missas celebrabant, & in omnibus Hebdomadarios sibi obsequentes habebant: quae omnia ex Ursini Ritibus & ex libro Comiti passim cap. 3. demonstravimus.

(92) Ex hujusmodi benefactis (quae fuere illu-

Digitized by Google

inferiores decet. Quos omni tempore Capituli (93) obsequiis mancipatos jure meritoque habuit.

III. Eisdem Hebdomadariis Canonicum Cimeliarchain optimo maximoq. jure praefectum dat de sinu suo Neapolitanum Capitulum. De Cimeliarchae praerogativis dixi pag. 126. Adnot. 23.

IV. Ante novae Cathedralis erectionem Capitulum potiebatur Imperialis Ecclesiae S.Restitutae antiquioris dominio (vide pag.72.& 84.85.) post novae vero Cathedralis encaenia dominium veteris Cathedralis (in quam ab illo tempore *Sanctae Restitutae* appellatio cum S. Virginis reliquiis transfusa fuit) pleno jure affecutum fuit (vide Par.I. c.6. sect. 5.) cujus basilicae canitiem venerandam fovet, & ibidem divini cultus majestatem & sarta tecta ex aerario suo tuetur; nullis interim parcens sumptibus, quo vetus illa a Constantino Magno primum Divino Salvatori consecrata basilica, deinde a Stephanis duobus Episcopis amplificatoribus nomen *Stephaniae* adepta, senectutem suam inviolatam, imo & honorabilem gerat ac diu proroget.

V. Nihilo vero secius in novam hodiernam Cathedralem ingenita sibi jura exercet, nihilo inferiora iis, quibus cetera capitula jure pontificio in suis fruuntur Cathedralibus, quin imo, si quidem de jurium exercitio agitur, etiam ampliora.

VI. Fratantias quasdam & beneficia Canonici Neapolitani conferunt.

VII. Imo iis mensibus, qui non sunt Sedi Apostolicae reservati, sexdecim simplices Canonicatus Cathedralis una cum Archiepiscopo conferunt, & bullae collationis post Archiepiscopum subscribunt.

VIII. In sacris caeremoniis ex speciali privilegio ad ritus Capellae Pontificiae se conformant.

IX. A Paulo III. Cappas ad instar basilicae S. Petri anno 1317. adepti

illustria, innumerabilia & quotidiana) paucissima aliquot ad specimen magis, quam ut eorum gratiam exprobrando corrumpere sit animus, supra pag. 119. 120. & Adnot. 20. 21. 22. protulimus.

(93) Ecclesiasticam servitutem, quam omni tempore Hebdomadarii non minus ac ceteri inferiores ministri, Canonicis impenderunt, praeter Ursinianos Ritus, & Comiti librum, testantur etiam hodiernae Chori Neapolitani Consuetudines atq. mores ab antiquis temporibus introductae. Et, ut cetera taceam, ille idem S.Pontifex Pius V. qui Canonicos adegit, ut per statas hebdomadarum vices in novae hujus Cathedralis chorum quotidie convenirent, idem inquam in Bulla unionis sic loquitur: *Nec non ut Hebdomadarii hujus Ecclesiae omnes.... eisdem CANONICIS in omnibus, in quibus in Choro debent, OBSEQVENTES ESSE ET DEFERRE... teneantur.*

Ac scio equidem non defuturos, qui me ineptire criminabuntur, ut qui ea moneam, quae vel iis, qui juris Canonici elementa ne a primo quidem limine salutaverint, sunt vulgo notissima. Quis enim ignorat, istiusmodi beneficiariorum Canonicis inferiorum, quocumque vocentur nomine, beneficia vulgo a canonistis mere *servitorialia* (sic enim loqui amant) vocari? Fateor igitur, me jure visum iri ineptissimum. At hoc ipsum de istius saeculi moribus conqueror, nempe eo ventum esse, ut quaenam Canonicorum, quae vero inferiorum beneficiariorum in Cathedralibus partes sint, serio nunc demum monere oporteat.

Digitized by Google

(94) adepti fuere: ab S. Pio V. baculo, mitra, ceteriſq. pontificalibus indumentis ſunt (95) decorati, una cum facultate benedictionis impertiendae ſacris indumentis, pallis, corporalibus &c.

X. Horum omnium privilegiorum confirmationem & amplificationem a Benedicto XIII. impetrarunt. Praeterea opimam S. Antonii Abbatis Neapolitanam Abbatiam ab eodem munificentiſſimo Pontifice nacti, eâ tamen raro moderationis exemplo laudabilibus de cauſis ultro abſtinuerunt.

XI. Idem Capitulum ſemper Epiſcoporum (96) ſeminarium fuit. Multi ex eodem S. R. E. Cardinales, tres vero Romani (97) Pontifices prodierunt.

XII. Poſtremo viris gravitate, doctrina, pietate, & genere conſpicuis omni tempore claruit: quorum eximia ſemper in S. Sedem, Regeſq. Sereniſsimos fides atq. obſervantia, in ſuos vero pro tempore Archiepiſcopos amor, obedientia, & mira animorum (98) conſenſio ſemper eluxit.

Haec inquam atq. his plura ſunt vera ac ſolida Capituli Neapolitani decora: quae non captandae laudis, aut aſſentandi collegis meis ſtudio a me

(94) Quamquam jam diu antea abhinc plus quadringentos annos Diaconi & presbyteri Cardinales cappis utebantur; uti conſtat ex Vrſinianis Ritibus, ubi de Dominicis Adventus, quibus cappas clauſas deferebant: quippe aliis temporibus utebantur apertis.

(95) De S. Pii V. conceſſione vide plura apud Chioccarellum pag. 317. Quae porro pontificalia indumenta S. Pontifex conceſſit, illa Canonicos noſtros prius *ab immemorabili tempore* habuiſſe Pontifex idem ſignificat. Vide Chioccarellum ibid.

(96) Siquis Vghelli Italiam Sacram percurrerit integram, ſat ſcio non centenos tantum, ſed prope millenos reperturum, quos Neapolitanum Capitulum ad ſedes pontificales extulit. Dum haec ſcribimus, adhuc ex Neapolitano Capitulo Archiepiſcopi quinque, Epiſcopi ſeptem in vivis agunt: nempe inter Archiepiſcopos, Agnellus Anaſtaſius, Surrentinus: Mutius Cajeta, Barienſis: Caſimirus Ruſſus Salernitanus: Stanislaus Poliaſtrus, Roſſanenſis: Antoninus Serſalius, Tarentinus: inter Epiſcopos ſedi Apoſtolicae tantum ſubjectos, Januarius Fortunatus, Caſſanenſis: Nicolaus Borgia, Cavenſis: inter ſedium ſuffraganearum antiſtites, Nicolaus Roſa, Puteolanus: Franciſcus Jorius, Monopolitanus: Bernardus Cangianus, Bojanenſis: poſtremo titulares duo, iidemq. Tribunalis Mixti Neapolitani, judices, Carminus Cioffus, Antinopolitanus: Nicolaus Tornus, Arcadiopolitanus. Ex iis qui oblatam ſibi eamdem dignitatem recuſarunt, duo ſaltem in vivis agunt. Ac tamen ajunt, anteactis temporibus frequentiores Praelatos ex Capitulo prodiiſſe.

(97) Vrbanus VI. Prignanus, Bonifacius IX. Tomacellus, Paulus IV. Caraſa, Canonici Neapolitani antea fuerant.

(98) Hoc ideo monemus, quod raras Cathedrales reperias, quae inteſtinis diſcordiis & implacabilibus Epiſcopum inter atq. Capitulum litigiis non lacerentur, idque non ſine fidelium offenſione. At Neapoli abhinc ducentos annos (quo nim. tempore quaedam de chori ſervitio exarſerunt honeſtiſſimae controverſiae) haud ullum tempus fuit, quo Canonici cum ſuo Archiepiſcopo litigaverint. Quod quidem B. Januarii, totque aliorum tutelarium patrocinio, Deiq. Opt. Max. miſerationi refertur acceptum, qui hanc mentem Romanis Pontificibus dedit, ut non niſi ſelectiſſimum quemq. ex Purpuratis Patribus Neapolitanae ſedi praeficerent; inter quos enitet in primis Joſephi Card. Spinelli (quem Deus diu multumq. fortunet) doctrina, moderatio, ſapientia & ferventiſſimum cultus divini & Eccleſiaſticae diſciplinae ſtudium.

Digitized by Google

a me proferuntur; verum ea tantum, ita me Deus amet, de causa, quae aliquando impulit Divinum Apostolum Paulum, ut bona eximia ab auctore Deo in se profecta prolixe ac simul modeste alicubi (2. ad Cor. cap. XI. XII.) commemoraret.

Atq. hic finis huic Historicae dissertationi sit: in qua sicubi lector me studio partium longius a veritate abreptum (quod sane factum nollem: & sicubi id forsan accidit, me certe imprudente & invito factum, fateor) si quando inquam a veritate, quam rebus in omnibus unice colendam atque honorandam censeo, deflexisse deprehenderit; rogo ut amice moneat, paratum *sive flamma*, ut ille ait, *sive mari libet Hadriano* delere illa, ac protinus recantare.

Digitized by Google

APPENDIX

DIATRIBAS ALIQVOT SPARSIM IN SVPERIORE DISSERTATIONE PROMISSAS CONTINENS

Quibus Dissertationis loca philologica quaedam nunc fusius per otium edisseruntur.

DIATRIBA (*) I.

De Insula & Castro a Constantino Magno Ecclesiae Neap. dono datis,

Sive de Insula Salvatoris deque Castro Lucullano.

Ad Part. I. cap. 2. pag. 5. 6.

PArte I. cap. 2. sect. 1. pag. 5. dixi, INSVLAM, quam Constantinus basilicae Neapolitanae a se factae donavit, haud fuisse aliam ab *Insula* Salvatoris, quam in S. Athanasio Joannes diac. memorat; hanc vero Salvatoris insulam illam ipsam fuisse, quam antiqui *Nesidem* [h. e. *parvam insulam*] nostri vero homines paullum detorto vocabulo *Nisitam* hodie num vocant: deque ea re me peculiari in opusculo copiose acturum spopondi. En igitur fidem liberaturus prodeo.

At enim quid Insulae Salvatoris cum Castro Lucullano commune fuit, ut ea duo loca scriptione una conjungerem? Quia, inquam, utrumque locum mihi videtur Constantinus Ecclesiae Neapoli a se factae donasse. In vita Sylvestri sic scribitur: *Eodem tempore fecit basilicam beatiss. Constantinus Aug. in urbe Neapolitana, cui obtulit & dona haec.* Deinde subjectis donationibus plurimis, tum vasorum, tum opimarum possessionum, hanc affert ultimam: *Insulam cum Castro pensantem solidos octoginta.* Quo loco utrumque nomen non genericum sive appellativum, sed proprium fuisse, persuasum habeo. Nam *Insula* est *Nesis* (quae quidem semper generis nomen habuit; quippe νησὶς *parvam insulam* Graece significat) *Castrum* vero non aliud quam Castrum Lucullanum mihi fuisse videtur, in proxima continente positum. Hinc mihi de utroque junctim agendum fuit. Accedebat & illa ratio multo potior, quod scriptores nostri omnes utrumque locum in parvula illa *Ovi insula* (sic enim vulgo vocant) posuerunt: quam simul & Lucullanum castrum, & Insulam Salvatoris fuisse errore magno voluerunt. Hinc mihi merito utriusque loci una scriptione jungendi imposita necessitas fuit. Sed tamen a Castello Lucullano, utpote nobiliore, ordiar, mox de Insula Salvatoris acturus.

PARS PRIOR

De Castri Lucullani originibus posituque.

Si pervulgatam apud scriptores nostros opinionem sequi libeat; Lucullanum *castellum*, sive *oppidum* (nam utroque nomine vocari ab antiquis solet) in insula Megaride, quae nunc *Arx ovi* vocatur, ponendum erit.

(*) Parte II. cap. 3. sect. 2. §. 3. pag. 144. 145. promisi me ex inedito opusculo effigiem Neapolitanarum confratriarum monasticae institutioni simillimam lectori initio Appendicis hujus exhibiturum. At nunc eam, nondum prelo paratam, in finem Appendicis rejicere cogor.

Digitized by Google

erit. Quam vulgarem opinionem in Comm. ad Kalend. Marmor. Ncap. ad XXIX. Martii [cum de Aegypio Abb. Lucullanensi ageretur] secutus, in Adnot. 62. verbum unum alterumve de Lucullani situ ita adspersi, ut communem opinionem sequerer; ac rursus eamdem Ovi insulam, in qua Lucullanum statui, etiam *Salvatoris insulam* ab Joanne diac. dictam fuisse, cum Chioccarello & aliis putarem. Quid mirum, cum minime id agerem, sed alio prorsus tunc animum intentum haberem? Sed enim ubi postea ante hos quatuor annos peringeniosus (1) adolescens suam de Lucullano dissertationem Italico sermone conscriptam [qua, quantum quidem nunc meminisse possum, Lucullanum in perexigua Ovi insula explicari nequivisse, sed omnino in continente, situ tamen incerto, positum fuisse ostenderat] mihi legendam amice commodasset; eo stimulo incitatus, excussi me [nam antea fateor de Castri positu addubitaveram quidem, sed inquirendi labore supersederam] excussi me, inquam, ac de eo me etiam atque etiam aliquando cogitaturum decrevi; idque etiam in Additamentis ad XXIX. Martii me praestiturum recepi. Et jam scriptorum aevi medii loca omnia, quae potui, congesseram (quorum postea partem a Cluverio diu antea comportatam animadverti) quibus Lucullani nostri mentio exstitit; atq. hanc raptim scriptionem adumbraveram, ad calcem tertii voluminis Kalendarii subjecturus, nisi illius moles nimium excrevisset.

At postea incidit, ut primus ei locus in hujus Dissertationis Appendice jure ac merito obtigerit. Nam cum in hac Dissertat. Par. I. cap. 2. pag. 5. dixissem, *Insulam* illam, quã Constantinus basilicae Neapolitanae a se factae dono dedit, videri Nesidem [vulgo nunc *Nisitam*, at medio tempore *Salvatoris insulam* ejus donationis causa vocatam] haud dubie fuisse, idque peculiari opusculo me ostensurum promisissem; coepi postea dubitare an non etiam *Castrum* [quod etiam donatum eid. ecclesiae vita S. Sylvestri docet] haud profecto aliud a Castro Lucullano fuerit. Quae causa fuit, cur eam scriptiunculam, quam de Castro Lucullano festinatim olim adumbraveram, ad incudem nunc revocarem, atque tractationi de Insula Salvatoris [olim Neapolitanae Salvatoris basilicae a Constantino donata] praeponerem. Hinc opusculum istud bipertitum prodit: haud inutile profecto futurum hoc maxime tempore, ne quos perversum nostrorum scriptorum de utroque loco judicium transversos agat. Nunc, uti dixi, a Lucullani Castri, utpote nobilioris, originibus ac situ monstrando incipiam.

CAPVT I.

Scriptorum sequioris aevi loca, in quibus Lucullani castri mentio exstitit.

1. Quandonam primum prope Neapolim Lucullanum ad Castri, sive, ut alii appellarunt, ad Oppidi formam atque modulum coaluerit, incertum est. At IV. ineunte saeculo jam exstitisse id castrum necesse est; si quidem de eo Castro intelligendus sit libri Pontificalis in Vita S. Sylvestri locus, in quo Constantinus Magnus ecclesiae a se Neapoli aedificatae inter cetera donasse dicitur *Insulam cum Castro pendentem solidos octoginta*. Quem locum de insula Neside & Castro Lucullano esse capiendum, passim infra ostendemus, Vide prae ceteris mox Par. I. cap. 4. & Par. II. cap. 1. Itaque haec prima memoria Lucullani meo judicio fuerit.

2. Sequitur altera mentio, qua Augustulus, Imperatorum occidentis ultimus, anno 476. relegatus in id castellum narratur. Auctor ejus rei Marcellinus comes, qui sub Basilisco & Armato coss. h. e. anno 476. sic scripsit: *Augustulum filium Oreſtis Odoacer in Lucullano Campaniae castello exsilii poena damnavit. Hesperium Romanae gentis imperium ... cum hoc Augustulo periit.* Quae mox Jornandes in De Regnor. successione totidem fere verbis intexuit. *Odovacer ... Italiam invasit, Augustulumque imperato-*

(1) Is est Ferdinandus Galianus, Illustriss. Coelestini Archiep. Thessalonic. Regio sacello & Gymnasio Neapolitano praefecti, viri eruditissimi ac sapientissimi, fratris filius, ipse quoque ingenio & eruditione supra aetatem clarissimus.

Digitized by Google

ratorem de regno evulsum, in Lucullano Campaniae castello exsilii poena damnavit. Sic quoque Hesperium regnum ... cum hoc Augustulo periit.

3. Pone sequitur tertium Lucullani vestigium in eo, quod Athalarici regis Gothorum Italiae (2) avus domum quamdam in Castro Lucullano positam Joanni cuidam *Viro illustri*, *Referendario* donare voluerit. Testatur hoc ipsemet Athalaricus rex in epistola ad eumdem Joannem [apud Cassiodor. VIII. variar. 25.] his verbis: *Avum Nostrae Clementiae domum in castro Lucullano positam, obsequiorum tuorum sedulitate provocatum, constat voluisse largiri.* Sed nondum plane donaverat. Pergit. *Cujus* (avi nostri) *dispositionem secutus patricius Tulum* [al. *Tholuit*: de quo ejusd. lib. ep. 9. & 10. agitur] *posteaquam est illi* (Tulum patricio) *nostra liberalitate concessa, praefatam domum actu legitimo in tua optime jura transmisit. Quapropter Serenitas nostra vel inchoatae voluntatis desiderium* (avi nostri) *vel Tulum plenissimae donationis effectum praesenti auctoritate corroboramus; ut saepe dicta domus patriciae recordationis Agnelli* (cujus videtur initio fuisse) *in Lucullano cajiro posita, cum omnibus ad se pertinentibus in tua vel heredum tuorum possessione permaneat.* &c.

4. Id vero multo est memorabilius, quod eisdem ferme temporibus (h.e. uti creditur, nec ante annum 492. nec post 496.) corpus S. Severini Noricorum Apostoli in idem castrum Lucullanum translatum fuit: de qua translatione nos pauca ad VIII. Januar. tetigimus, sed pleniorem rei totius narrationem Egipius (3) Abb. Lucullanensis in vita S. Severini contexuit [apud Bolland. ad VIII. Januar. num. 57.] his verbis: *Tunc S. Gelasii sedis Rom. Pontificis auctoritate, & Neapolitano populo exsequiis reverendis occurrente, in castello Lucullano per manus sancti Victoris episcopi* [Neapolitani: qui in Fastis marmoreis die VIII. Febr. colitur] *Mausoleo, quod praedicta femina* (Barbaria) *condidit, ex* (4) *parte collocatum est.* Mox num. 60. *Monasterium igitur eodem loco constructum ad memoriam B. Viri hactenus perseverat.* Scribebat autem haec Egipius adulto jam forsitan VI. saeculo, ut ad 28. Martii §. 2. disputavimus. Quae porro ex Egipio recitavimus, ea postea noster Joannes diac. in chronico episcopor. in Victore epiſcopo totidem fere (5) verbis exscripsit.

5. Et

(2) Is facile non alius, quam rex Italiae Theodericus fuit: quem constat avum maternum Athalarici extitisse.

(3) In Bollando & aliis scribitur *Eugipius*. At castigatius *Egipium* vocat Perrus Notarius in sua codicis Egipiani subscriptione, quam ad 29. Martii illustravimus. Sed quia aevo sequiore E pro AE, & I pro Y substitui solebat; orthographia nominis hujus videtur fuisse Aegypius, Αἰγύπιος h.e. Vulturius.

(4) Hinc collige, non integrum Severini corpus in Lucullanensi monasterio fuisse collocatum. Imo etiam intellige, quando Severini reliquiae ad oratoria aedificanda concessae a S. Gregorio fuerunt, eas non e Lucullanensi mausoleo, sed ex iis sacri corporis partibus, quae alicubi asservabantur, fuisse decerptas. Ejus rei crebra est in Gregorii epistolis mentio; ut III. 19. ubi Pontifex Ecclesiam Romae in honorem S. Severini consecraturus, petit sibi a Petro subdiac. Campaniae ejus confessoris reliquias mitti. Eodem pertinent libri IX. epistolae 84. & 85. in quarum praefertim altera *Sanctuaria* (h. e. reliquias: vide Cangium) ejusd. S. Severini, & S. Julianae Mart. (quae in Kal. marmoreo Neap. die XVI. Febr. colitur) quae S. Pontifex cuidam Januariae ad consecrandum oratorium concesserat, a Fortunato episc. Neap. eidem protinus tradi praecipit. Postremo etiam XI. 31. Venantio Siculo ad consecrandum Oratorium ejusd. S. Severini *Sanctuaria* tradi a Paschasio Neap. episc. jubentur. Ex his vides, in translatione S. Severini olim in Lucullanum facta particulas sacri corporis fuisse ab Episcopo Victore reservatas, ex quibus *Sanctuaria* ad consecranda oratoria sumebantur.

(5) Jo: Diac. in Victore: *Atque ex rogatu illustris feminae Barbariae, cum S. Gelasii sedis Romanae Pontificis auctoritate, & Neap. populo exsequiis reverentibus occurrente, in castello Lucullano per manus S. Victoris episcopi, in Mausoleo, quod praedicta femina condidit, collocatum est, residente* (male in Muratorii editione τὸ *Residente* a praecedentibus per πλείων σιγμὴν divel-

litur,

5. Et quidem laudati Egipii ita meminit S. Isidorus Hispal. ut simul honorificam Lucullani mentionem faciat. *Egipius*, inquit, *Abbas Lucullanensis, oppidi Neapolis Campaniae .. libellum de vita S. Monachi Severini. . composuit* &c. Cujus loci interpunctionem correximus ad 29. Martii Adnot. 62. Nam tollenda est post *Lucullanensis* distinctio, eaque post *Oppidi* reponenda. Ergo Isidorus, non nescius eorum quae de *Oppidi* notione ipse in Originibus scripserat, Lucullanum non dubitavit *Oppidum* dicere; sicuti & ab auctoribus IX. & X. saeculi passim *Oppidum* nuncupatur.

6. S. Isidoro Gregorius M. est adnectendus, in cujus epistolis crebra Lucullani mentio occurrit. Et quidem binae sunt Gregorii epistolae ad Anthemium subdiaconum: quarum in ea quae X. 19. (al. 18.) exstat, scribitur, Surrentinos *Amandum presbyterum oratorii S. Severini, quod in castro Lucullano situm est*, (sibi Episcopum) *elegisse*: proinde ab Anthemio dandam esse operam, ut sine mora Amandus ad se transmittatur consecrandus. In ea vero quae II. 24. (al. 23.) legitur, Gregorius *duobus monachis in oratorio S. Archangeli servientibus, quod in Lucullano castro juxta S. Petri basilicam esse dignoscitur, binos in praesenti solidos dare praecipit, ejus rationibus imputandos*. Ex his vides in Lucullano praeter celebre S. Severini monasterium, fuisse & alias Ecclesias. Postremo prima epistola libri tertii ad Petrum Campaniae subdiac. tota de seditione *in Castello Lucullano* in Paulum [episcopum interventorem Neapolitanis a Gregorio datum] commota agit: ad cujus epistolae finem quid agendum sit de mancipiis, *siqua de cetero in Monasterium S. Severini, vel in alia Ecclesia ejusd. castelli* (Lucullani) *de civitate* (Neapolitana) *refugerint*, provide Petrum monet. Ex eadem porro, & ex X. 19. haud obscure perspicitur, eo tempore in Castro Lucullano habitasse, aut saltem praepolluisse Clementinam quamdam *nobilem feminam*, cujus arbitrio & auctoritate omnia & in Lucullano & in Monasterio S. Severini gererentur; idq. forsitan jure patronatus hereditarii a Barbaria ad se transmissi. Nam S. Severini oratorium, ut alibi ex Egipio didicimus, a Barbaria quadam nobili matrona exstructum fuerat.

7. Et hactenus Lucullani castri testes usq. ad initia VII. saeculi produximus. Jam vero de octavo testis procedat Hodoeporicon S. Willibaldi Regio Anglorum genere orti Eistexensis episcopi, quod Henr. Canisius to. 4. Antiq. Lect. edidit. in quo is post initia VIII. saeculi Neapolim appellens, in Lucullanum visendi S. Severini studio divertit. In eo igitur itinerario sic legitur. *Inde navigantes venerunt ad urbem quae vocatur Neapolis. Ibi erant* [Willibaldus ejusque socii] *multos dies. Ibi est sedes* (6) *Archiepiscopi; & magna dignitas* (7) *ejus illic habetur. Et ibi est prope castellum* (Lucullanum scil.) *ubi requiescit sanctus Severinus. Et inde* (ex Lucullano & S. Severini Mausoleo) *venit* (prorsus *vià consulari* venit, quae Puteolis Capuam ducebat: quae prope Puteolos strata silice antiquo visitur, & adhuc ob id *Campana* vocatur) *venit*, inquit, *ad urbem Capuam; & ille Archiepiscopus misit eum ad aliam urbem, ad alium Episcopum* &c.

Sequitur, & cum dispari narratione sequenti jungitur hoc modo: *colloc. est. Residente ..) ibidem Marciano venerabili presbytero cum sancta ejus congregatione*: h.e. monachis S. Severini discipulis.

(6) Ex Archiepiscopi Neapolitani necnon & Capuani (quem alterum anno 968. ab Joanne XIII. ad Archiepiscopalem apicem evectum fuisse constat) mentione aligui posset, hoc itinerarium diu postea scriptum fuisse. Sed satius est credere, aliquem semidoctum librarium utrobiq. pro *Episcopi* nomine, *Archiepiscopi* vocem substituisse, ex sua scil. aetate tempora S. Willibaldi metientem.

(7) Si τὸ *Ejus* ad Archiepiscopum Neap. referas, non video quo ejus dignitas supra ceteros eminuerit. Itaque dubito an non praestet illud *Ejus* ad VVillibaldum referre; cujus VVillibaldi, ut qui S. Richardi regis filius esset, *magnam habitam* fuisse *dignitatem* h.e. rationem, scriptor hic narrat. Porro quam opima ab Neapolitanis lautia praebita VVillibaldo fuerint, vel id ostendit, quod is Neapoli *multos dies* fecerit: quod de sequentibus locis non dicitur.

Digitized by Google

Sequitur duorum fere ſaeculorum hiatus: quo tempore nihil de Lucullano ſcriptum reperio; nempe uſque ad IX. ſaeculi finem, quo Lucullanum metu Saracenorum ab ipſis Neapolitanis ſolo aequatum fuit. De quo illuſtri facto jam eſt dicendum.

CAP. II.

Lucullanenſis oppidi excidium, & S. Severini ultima translatio ex Joannis diaconi opuſculo refertur. Quid de duplici ejus opuſculi editione ſentiendum. De Athanaſii III. Praecepto.

Joannes diaconus Neap. praeter noſtratium epiſcopor. chronicon, aliaque opuſcula, etiam S. Severini Translationem (quam anno 893. contigiſſe, ad XV. Maii pag. 340. Adnot. 114. demonſtravi) e Lucullano Neapolim deſcripſit. Ejus opuſculi paucula quaedam, quae ad Lucullani everſionem pertinent, dederat olim Caeſar de Engenio in Neap. ſac. (ubi de Eccleſ. S. Severini) his verbis. *Gregorius itaq. conſul multa ſuper caſtro Lucullano cogitans, ſuper incolis ejus iniit conſilium cum Stephano epiſcopo & ceteris habitatoribus ſuis* (in Boll. *potentibus*) *ut habitatoribus ejus Neapolim transmigratis, oppidum illud everteretur. Cumq. decreviſſent diem quo ad id perficiendum univerſus proficiſceretur populus; Joannes Ven. Abbas monaſterii S. Severini Parthenope conſtructi, vir per omnia ſtrenuus, ſuis efflagitabat precibus, ut corpuſculum ejuſdem confeſſoris non alibi, niſi in ſuo collocaretur monaſterio, quatenus congruenter appellatione* (8) *& ejuſdem corpore decoraretur, ampliſſima eſſet pietatis honorificentia, & ſalutifera fratrum occurſio. Ad haec Praeſul & Conſul reſpondentes dixerunt: Si tibi reverendiſſime Pater, talis tantuſq. theſaurus caelitus praeſtitus fuerit, quo pacto reniti audemus? Sin autem; procul dubio tenemus, ut non ſit ei gratum quoquam transferri, & levari ex Mauſoleo, quod illius amore Barbaria illuſtris femina condidit.*

Haec quidem Caeſar de Eng. dederat, quae eisdem prope verbis in Bollando reperiuntur, qui ad to. 1. finem in Addendis ad VIII. Januar. illam Translationem S. Severini ab Jo: diacono ſcriptam edidit integram: ex qua proderit alia pauca huc pertinentia adjungere. Sic ergo in ea hiſtoriola num. 11. legitur. *Venit dies ruinoſi decreti, in quo Conſul & optimates, nec non & populoſae phalanges ad memorati oppidi* (Lucullani) *deſtructionem accincti ſunt. Quibus dictam* (fort. *indictam*) *jam atque praecipitem exigentibus operam, IV. Id. Septembris Praeſul & Clerus ad inquirendum ſaepe dicti Sancti corpus ierunt.* Deinde quo pacto inventa fuerint ſacra pignora, exponitur, & quomodo ad illud tota nocte cum pſalmodia vigilatum. Ac demum num. 13. *Poſtero autem die Pontifex & Clerus, Dux & optimates, paſſimque populus univerſae conditionis & aetatis matutino tempore properantes, ſe in occurſum cum Dominicae Crucis vexillis, odoriferiſq. incenſis in praemiſſi oppidi CAMPO ſanctis exſequiis obviarunt... & alternantibus choris Latinis & Graecis, ad monaſterium ſaepe fati Abbatis deducunt.* Atque haec ſatis ad rem praeſentem ex Bollandiano Jo: Diaconi opuſculo: quod fatendum eſt prae ceteris ab eo diacono elucubratis eſſe multo quam pro captu ſaeculi illius elegantius.

At vero diu ante Bollandum eamdem hiſtoriolam ſibi a noſtro Chioccarello ſubmiſſam ediderat to. 2. Sanctor. Sicil. Oct. Cajetanus cum hoc indice, *Martyrium S. Procopii*: quod martyrium per occaſionem in ea exponitur. Ea autem, quae edita a Cajetano fuit, adeo nihil prorſus de ſaeculi X. (quo ſua ferme omnia Joannes chronographus ſcripſit) ſtribligine contractum praeſefert, ut potius ſaeculo paene dixerim Auguſteo ſcriptam diceres. Quorſum haec? Mihi, ut fatear, nemo hoc eripiet, quin poſt renatas humaniores litteras aliquis Diaconi opuſculum, ceteroqui ipſum per ſe minime inelegans, refinxerit, iisque tantum demptis,

(8) Videtur legendum: *Quatenus ſi congruente appellatione*, aut *Si congruenter appellationi* &c. Res eo redit. Monachi Lucullanenſes in caſtro Lucullano parum tuti, in monaſterium Neapolitanum ſub id tempus ſub ejuſdem *S. Severini* nomine factū immigrarant. Cujus Neap. coenobii Abbas Joannes corpus S. Severini ſibi concedi petit eo obtentu, ut *S. Severini* appellatio magis ei coenobio congruat, ſi quidem ejus corpus ibi tumuletur.

Digitized by Google

quae rus ac ſtivam olerent, eorum loco *pagus* magis idoneas ſubrogaverit, eodem tamen narrationis filo a capite ad calcem retento. Nam uterq. ab illatis per Saracenos cladibus orſus, deſcriptaque per occaſionem S. Procopii paſſione, poſtremo in Lucullanum a noſtris metu hoſtium everſum, & in S. Severini translationem, & prodigioſum cruentiſſimi hoſtis interitum deſinit. Sane cum id Ms. cujus exemplum a Chioccarello Cajetanus accepit, in monaſterio S. Severini repertum fuerit; non ab alio crediderim, quam ab erudito aliquo Benedictino S. Severini monacho hoc Jo: diaconi opuſculum, cujuſmodi a Cajetano eſt editum, fuiſſe ad ſpeciem venuſtiorem interpolatum. Ceterum etſi eamdem plane narrationum ſeriem utrobique deprehendi dixerim; adhuc tamen in hac ipſa ſubruti Lucullani, & S. Severini translationis narratione quaedam ſunt, quae utrinque (9) diſcrepant. Atque haec de duplici hiſtoriolae Jo: diaconi editione ſufficiant. Interim ſi quid alibi aliter (10) conjecimus, id ne credas cenſeo.

Jam vero idem Joannes diac. in S. Soſii Mart. translatione, quam Surius menſe Octobri dedit, plura quoq. de Lucullano habet, quae ad ejus caſtri ſitum inveſtigandum opportunius cap. ſeq. afferam.

Poſtremo exſtat apud Chioccarellum in Epiſcopis Neap. pag. 108. quoddam Athanaſii III. epiſcopi & Gregorii Ducis Praeceptum pro S. Severini monaſterio: a quo nos ad XVI. Maii pag. 341. in Adnot. 115. chronologicarum notarum mendas amoliti, illud in Decembrem anni 899. contulimus. Atque hoc ultimum (ſi quidem rerum geſtar. ordo attendatur: nam ceteroqui illa Joannis diac. opuſcula poſt Athanaſii Praeceptum ſcripta videntur) hoc inquam ultimum, quod equidem ſciam, monumentorum eſt, in quo de Lucullano recens exciſo & de corpore S. Severini Neapolim translato mentio & quidem luculenta fiat. Is vero, cujus ſtylo hoc praeceptum ſcriptum fuit, aut idem fuerit Joannes diaconus, cujus elocutionem ſpirat; aut certe quaſi Joan. diaconum in Translat. S. Severini imitatus, a Tauromenitana clade incipit, ut in Lucullani excidium & S. Severini translationem deſinat. *Rex*, inquit, *impiiſſimus Africanorum .. Tauromenum advenit, & .. capiens urbem eamdem.. etiam alia Siciliae oppida gladio igniq. conſumpſit. Deinde transvadato mare, deſtructoq. caſtro Rhegio, reliquas Calabritanas urbes expugnare fortiter coepit. Hujuſcemodi ergo pavore perculſi nos Gregorius conſul & cunctus populus noſter una cum dompno Stephano Sanctiſſ. epiſcopo patruo noſtro decrevimus, ut caſtrum LVCVLEVM, quod valde HABITATORIBVS DIMINVTVM erat ET ACCEPTV (11) APTUM, ut deſtrueretur, metu arrepti, ne fortaſſe, ſicut idem cru-*

(9) Nolo totum opuſculum percurrere, & utriuſq. editionis diſcrimina hic enotare. Illa interim in hac ipſa, de qua agimus, narratione inſignis eſt diſcrepantia, quod in Cajetani editione *Oppidum* (Lucullanum) *ſpatio quinque dierum ſolo aequatum* dicitur: quae circumſtantia in Bollandiana editione, cujus verba recitavimus, tacetur. Deinde in Cajetano *IV. Idus Octobris* Epiſcopus cum clero ad inquirendum corpus incubuiſſe memoratur, at in Bollando *IV. Idus Septembris*.

(10) Memini alicubi (nam loci non memini) verbo uno hoc a me dictum, opuſculum a Cajetano editum videri ab auctore Siculo ſcriptum, a quo Jo: diaconus illas de clade Rhegii & Tauromenii & paſſione S. Procopii narrationes hauſerit. At id falſum eſt. Nam Cajetani hiſtoriae auctor, ubi ad Lucullani everſionem venit, ſic incipit: *Tum agitatum a Gregorio conſule, Stephanoq. epiſcopo.* Vbi quia urbis (cujus ille conſul, hic epiſcopus eſſet) nomen reticuit, hoc ipſo ſe Neapolitanum Neapolitanos ſuos alloqui comprobat.

(11) Horum verborum ea eſt ſententia, id oppidum ideo *accepto facile* tunc fuiſſe, non quod moenibus, ſed quod defenſoribus careret, quia *caſtrum Lucullanum valde habitatoribus deminutum erat*. Cur ita deminutum fuerit, ea cauſa afferri poteſt, quod quando ſub Juſtiniano Belisarius Neapolim expugnavit, mox ad urbem prope vacuam habitatoribus replendam, ex tota vicina regione collectam multitudinem Neapolim compulerit. Rem copioſe narrat Hiſtoria Miſcella (10. l. Hiſt.

Digitized by Google

crudeliſſ. rex minabatur, ſuper nos adveniens, oppidum ipſum facillime caperetur. Deinde eiſdem ferme verbis atq. in praecedentib. opuſculis, agitur de translatione S. Severini in monaſterii Neapolitani eccleſiam (*quae*, inquit, *erat vocabulo ipſius Sancti dedicata*, paullo ante ſcil. quando imminui monaſterium Lucullanenſe coeperat: vide ſup. in Adnot. 8.) eodemque praecepto monaſterium Lucullanenſe illud cum omnibus juribus monaſterio Neapolitano conceditur. Porro quamdiu Lucullanenſis monaſterii reliquias ſibi eo Praecepto cum juribus conceſſas monachi Neapolitani coenobii S. Severini poſſederint, utinam nobis oſtendere, ac ſimul ejuſdem Lucullanenſis coenobii ex veteribus monumentis ſitum docere queant. Nunc quia ejus rei memoriam longa aetas oblitteravit; videamus an aliunde Lucullani ſedem queamus extundere.

CAP. III.

Ubinam caſtrum Lucullanum ſtatui oporteat. Vbivis, quam ulla in inſula fuit. De Lucullani magnitudine, eccleſiis, Campo Martio. Villam L. Luculli celebratiſſimam in Balneolana regione fuiſſe: ad eamdem etiam Caſtrum Lucullanum coaluiſſe.

Caſtrum Lucullanum nulla in inſula, ſed prorſus in continente fuiſſe poſitum, id omnino ſuadet, quod in iis omnibus ſcriptorum locis, quae cap. 1. & 2. undecumq. corraſimus, nec ulla prorſus ſit inſulae mentio, nec ſaltem obſcura aliqua ejus rei ſignificatio. Quod ſi re vera id caſtrum fuiſſet mari circumfluum; id certe ſubindicari a tot illis ſcriptoribus, quos protulimus, debuiſſet, maxime in SS. Severini & Martyris Soſii translationibus.

De Megaride vero ſive eo(12) *ſcopulo* potius quam inſula, quae nunc *arcem ovi* ſuſtinet, ridiculum eſt cogitare. Nam quamvis ea olim inſula potuerit multo explicatior eſſe,

Hiſt. Ital. Murat. pag. 107. *A*) his verbis: *Colligens per diverſas villas Neapolitanae civitatis viros ac mulieres, domibus* (Neapolis) *habitaturos immiſit, ideſt Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos Liguria* (quae altero nomine *Liburia* vocabatur) *degentes*, & *Playa* (hodie *Chiaja*: *w Playa* reſpondet vocibus aevi medii *Plagia* & *Plaga*, quas vide in Cangio, & Italicae *Piaggia*: ac forſitan *Playa* tunc latius patebat, ut etiam Lucullanenſem planitiem complecteretur) & *Sola*, & *Piſcinula* (quae adhuc nomen retinet) & *Leucotroccla* (hodie *Trocchia*) & *Summa* (adhuc celebri) *aliisq. villis: nec non Melanos, & Surrentinos, & de villa quae Stabii dicitur ... ſimulq. & de populis Cymiterii* (hodie *Cimitino*) *adjunxit*. Ex quibus obiter animadvertis, quae tunc temporis hujus univerſae regionis facies fuerit. Fatendum eſt tamen, haec quae ex Hiſtoria Miſcella produximus, ea diverſo charactere in Muratoriana Miſcellae editione exhiberi: certe quia in aliis Mss. & editis deſunt. Ac ſane ea mihi videntur ex aliquo noſtro ſcriptore deſumpta & in Miſcellam inſerta fuiſſe. At narrationem hanc, quemcumque demum auctorem habuerit, in totum falſi damnare non auſim; quam praeſertim tot chorographica nomina probabilem reddunt. Ac ſi minus id contigit Juſtiniani & Beliſarii aetate (cui quaedam ſunt, quae repugnent: nunc autem id non agimus) at aliqua certe poſtea ingens Neapolitanae urbis vaſtatio fuiſſe videtur, cujus farciendae gratia ex tota circumjecta regione, & ex ipſo etiam Caſtro Lucullano novorum colonorum ſupplementa Neapolim adſcita fuerunt. Ex ipſo inquam Lucullano: quod *Playae* ambitu fuiſſe comprehenſum, ut innuebam, non dubito. Scio veteres balnearum Puteolanar. deſcriptores *Balneoli* lavacrum, alio nomine *balneum Plagae*, aut *fontem Plagae* nuncupaſſe [vide Bartolum Thermol. tom. 2. p. 134. initio, & p. 139. in Baccii verbis] haud dubie quia trans Cryptam Puteolanam in littore [quod aevo medio *Plaga* & *Plagia* vocabatur] id occurreret. Et in ea tota planitie nihil vocibus *Plagae* & *Plagiolae* (vulgo *Chiaja* & *Chiajolella*) tritius eſt.

Tandem cuicui modi iſta Miſcellae inſuta narratio habenda fuerit; at toto octavo nonoque ſaeculo cum univerſa haec regio Langobardorum, ac poſtea etiam Saracenorum pateret incurſionibus; multas interim Lucullano incidiſſe calamitates neceſſe eſt. His de cauſis exeunte IX. ſaeculo Lucullanum, quamvis muro ſeptum, ob civium inopiam expugnatu facile viſum fuit.

(12) Jov. Pontanus lib. 2. de Bello Neap. Arcem ovi poſitam *exeſo in ſcopulo* dixit. Ejus locum infra proferam, ubi de ejus ab Neapoli diſtantia.

Digitized by Google

ſe, ac poſtea ſuperante pelago contractior evadere (uti olim in Martii Commentario Adnot.62.conjiciebam) tamen vix umquam efficies, ut capax oppidi, & quidem ἀξιολόγου fuerit. Nam (praeterquam quod Lucullanum Iſidorus *Oppidum* nuncupavit,cujus locum ſup.cap.1.n.5.recitavimus: nec ſecus Jo: Diaconus pluribus locis) in eo praeter celebre S.Severini monaſterium, S.Gregorius in II.ep.24.(al. 23.) tum S.Archangeli oratorium, tum etiam S. Petri baſilicam memorat. Ad haec Capacius plures alias eccleſias & monaſteria ex antiquis diplomatibus (13) eruta in eodem caſtro recenſet.

Jam vero ſive in Megaride ſive in Neſide, (nec porro alia praeter has duas Neapoli propior eſt inſula) quemnam mihi *Campum* oſtendere potes ? At ejuſmodi *Campi* Jo: diaconus in Translat. S. Severini mentionem diſertam facit his verbis: *Epiſcopus una cum Clero, Dux optimatesque & populus cum vexillis Dominicae crucis. . obviam ad OPPIDI* (Lucullani) *CAMPVM proceſſere, atq. ibi loculum venerati ſunt.* Item in ead. hiſtoria, prout ea paullulum interpolata ab Oct. Cajetano prodiit, nihilo minus legitur: *Obviam ad oppidi campum proceſſere.*

Atq. hunc *Oppidi Campum* perquam notari velim: ex quo Lucullani magnitudinem licebit arguere. Nec enim niſi majoribus oppidis *Campus* (qui cognominari *Martius* conſuevit) adjacebat: de quo vide ſis ſubjectam (14) Adnotationem. Deinde idem *Campus* quaſi intento digito ſedem Lucullani deſignabit, modo cum Jo: diaconi locis, quae inferne (15) producimus conjungatur.

(13) Capacius (in Hiſt. Neap. ubi de Lucullano,pag.406.)in Lucullano monaſterium S. Salvatoris agnoſcit ex Jo: diaconi teſtimonio. Verum id monaſterium Jo: diaconus in ea inſula ponit, quam Par. II. oſtendam. Idem Capacius ibid. ex antiquis monaſterii virginum S. Sebaſtiani membranis *Eccleſiam S. Pauli intus deſtructum Caſtrum Lucullanum; Eccleſiam S. Barbarae; Eccleſiam SS. Sergii et Bacchi* memorat. Et tamen quia hoc animo praeceperat (nim.Lucullanum non alibi quam in *Ovi* inſula, quae olim Megaris dicebatur, eſſe quaerendum) poſt eas eccleſias recenſitas acclamat, ex hac templorum frequentia argui inſulae magnitudinem, nunc magna (inquit) ex parte deſtructae. Vtinam docere potuiſſet, quando, quave terrae commotione amplitudo inſulae ſit imminuta.Cui ſi mens non laeva fuiſſet, vel hinc intelligere poterat, Lucullanum & veterem inſulam Salvatoris alibi prorſus quam in illo ſcopulo quaeri debuiſſe.

(14) *Campi* nomine hoc loco noli arabiles aut paſcuos agros accipere; ſed eam planitiem longe lateque patentem intellige, quae ante Oppida(non quaevis, ſed ἀξιόλογα & majora) explicabatur, in qua tyrones exercerentur: quorum inſtitutor ob id in veteribus titulis paſſim CAMPIDOCTOR vocatur. Juxta Romam octo hujuſmodi *Campos* P. Victor numerat: de quibus vide Marlianum & alios. Romae inſtar,oppida quaeque ſuum Campum habebant: qui aut *oppidi campus*, ut hic, nuncupabatur, aut *Campus Martius*, ſive *Martis*. Gloſcherus Mon. l. I. de Geſt.Treviror. 4. *Campus autem longitudine et latitudine ſpatioſus Martis vocabatur, ubi tyrones inſtruebantur.*Plures alios citat Freſnius in Gloſſario. Etiam juxta CPolim Κάμπος (*Campus*) vaſtiſſimus fuit: de quo idem Freſnius Diſſert. de Hebdomo CPolitano. Poſtremo in eod. Campo in noxios animadvertebatur. S. Auguſtinus l. 1. contra epiſt. Parmen. *Audet conqueri Parmenianus, quod vos Conſtantinus ad Campum, ideſt ad ſupplicium duci juſſit.*Idem Campus & cogendis populi comitiis ſerviebat.

(15) Eſt & alia celebris S.Soſii Mart.Translatio ab eod.Jo: diacono ſcripta, quam Surius ad XXIII. Septembr. edidit. Ibi poſt ablatas Miſeno S.Soſii reliquias, *Nos* (inquit Diaconus noſter,qui interfuit) *ratem aſcendimus .. cum littus Averni tuto curſu praeteriſſemus, et oris jam Puteolanis ſucceſſiſſemus; ſubito nimboſus turbo aſſurgens, toto in nos ſtridore .. fremere videbatur.* Mox ſecuta tranquillitas non ſine praeſenti Numinis ope narratur. Ac ſtatim appulsâ *littori ſcapha* (littus haud ambigue illud intelligit, quod citra Puteolos eſt; nam mox in terreſtri itinere deſcribendo de tranſitu Puteolanae urbis ne verbum quidem injicitur) poſt appulſam igitur littori eis Puteolos ſcapham, ſic ſubjicit. *Ire* (terreſtri itinere) *perreximus. Sed quia propter innumerabilem diverſae conditionis & aetatis occurſum, eodem die Neapolim attin-*

gatur. Nam cum ea Joannis diaconi loca attentius conſideranti ad oculum pateat, Lucullanum medio quodam itineris inter Puteolos & Neapolim ſpatio jacuiſſe; nec porro cis cryptam Puteolanam ſtatui idem oppidum queat, quia nullus a crypta ad Regium hodiernum Palatium(a quo tunc Neapolis prope aberat) campi planities vel exigua ſeſe offerat; his intellectis omnino neceſſe eſt, Lucullani campum trans cryptam fuiſſe, & omnino in ea planitie, quae ab ulteriore cryptae oſtio Puteolos uſq. diffunditur, quatuor ferme quaqua verſum paſſuum millibus patens. En tandem veriſſimus Lucullani ſitus: niſi quod adhuc paullo laxior; ac proinde, ſiqua fieri poſſit, injectis habenis coercendus.

Nunc ergo qua potiſſimū campeſtris univerſae regionis ejus parte id caſtrū metabimur? Haud alibi arbitror, quam ubi veſtigium aliquod Luculli deliciarum fuit: quem facis conſtat his beatiſſimis oris incredibiliter delectatum. Et habuit is quidem celebrem ad Miſenum villam, in qua Tiberium Aug. expleſſe mortalitatem, Suetonius ac Tacitus memorant: cui tamen nihil prorſus cum Caſtro Lucullano, quod quaerimus, eſſe commune potuit. Sed & villam & piſcinas ſumptnoſiſſimas in ea trans cryptam Puteolanam ora, quae Neſidi opponitur, habuit, cujus Varro III. R.R. 17. Plinius IX. 54. Plutarchus in Lucullo meminerunt.

Illud vero in hac altera L. Luculli villa prae ceteris miraculo habitum, quod ibi aedificator Pauſilypi collem perforaverit, quo undae per ſpecum reciprocae fluerent, teſtibus eisdem Varrone, Velleio, Plinio, Plutarcho. Ejus ſciſſurae veſtigia adhuc ſuo tempore fuiſſe conſpicua Flav. Blondus tradidit, & ex eo Cluverius: qui alter in ortivo collis latere circa Mergellinam ea adhuc obſervari veſtigia in IV. Italiae antiq. cap. 3. p. 1151. docet. Ea credo immiſſi per cryptam maris veſtigia deſignare voluit, quae trans Mergellinam prope *Dognannae* praetorium adhuc obſervantur. Sed ante utrumque noſter Jov. Pontanus vir acerrimi & elegantiſſimi ingenii in de Magnificentia cap. XI. eadem perfoſſi montis indicia in ulteriore Pauſilypi latere in Crypta (16) Sejani (ſic enim etiam nunc vocant) monſtravit: quocum Benedictum Falcum prope ab initio, & Capacium in Antiq. Puteol. conſenſiſſe reperio, dum eadem, quae Pontanus, indicia agnovere. Verum quid remotiores ab hoc tempore refero, cum id Sejani oſtium adhuc ſe recognoſcendum praebeat? Verum ut fatear, quam hodie *Sejani cryptam* vocant, ea haud paullo ſuperior mari eſt; inutilis proinde fuit, ut pelagus ultro citroque tranſmitteret. Alia ergo prorſus in occiduo montis Pauſilypi latere ſpecus mari pervia fuerit, neceſſe eſt: quam nunc, utpote ruinis obſtructam, indicare non poſſumus; etſi fuiſſe tamen, antiquorum loca mox producenda fateri cogunt.

Ergo qua parte Pauſilypus latere ortivo prope Mergellinam perfoſſus, in alterum latus ad locum incertum, ſed Sejani cryptae vicinum, evadebat, ibi proprie Luculli piſcinas atque decantatiſſimam villam fuiſſe neceſſe eſt: in qua ille domitor Aſiae, pertuſo monte, *Maritima* (uti loquitur Varro) *flumina immiſit in piſcinas, quae reciprocae fluerent.* Integra Varronis, Plinii, Velleii, Plutarchi loca non ſine voluptate leges inſerne

ſingere nequivimus; *LVCVLLANVM ſumus ingreſſi caſtellum* (atqui ſi id oppidum in hodierna *Ovi* inſula haeſiſſet, quanti laboris erat, illinc Neapolim advolare: ut quae inſula, teſte Pontano, Neapoli quingentos paſſus aberat?) *quamquam* (nuper) *everſum. Et poſito locello in Eccleſia* (quam Lucullani everſores intactam reliquerant) *ubi prius ſanctus requieverat Severinus, copioſas Aſciariarum*(fort. *Aſcetriarum*) *et inſignium feminarum catervas obviam habuimus.* Deinde de Joannis Abb. S. Severini cum monachis, & Stephani epiſcopi, nec non Gregorii ducis ac populi poſtridiuano adventu narratur, deque ſacri corporis deductione in Neapolitanum S. Severini coenobium. Ex cujus narrationis contextu manifeſto animadvertitur, Lucullanum inter Puteolos cryptamque Puteolanam eſſe debuiſſe.

(16) Jovian. Pontanus de Magnif. c. 11. ſic ſcripſit: *Exſtat alia etiam crypta* (praeter celebrem Puteolanam) *quae Sejani dicitur, qua parte Pauſilypus mons in mare protenditur: cujus tranſitus ob ruinas impeditus eſt:*

Digitized by Google

ferne (17) producta. Ibi ut Luculli villa fuerit, etiam objacens in proximo Neſis perſuadet: quam ab eodem Lucullo fuiſſe poſſeſſam infra Adn. 19. ex Cicerone demonſtrabitur. Quocirca non abſurde Villam Lucullanam Flav. Blondus, Ortelius, Cluverius, unaque ſcriptores noſtri aliquot in *Balneo Agnani* poſuerunt, modo eo nomine *Balneoli* (18) regionem, quae hodie nunc *Bagnuoli* vulgo vocatur, intellexerint. Nec ſecus Neapolitani aliquot naris emunctioris ſcriptores (ſi memini) eam villam, de qua hactenus locuti ſumus, in eadem Balneolana regione ſtatuerunt. Poteſt hoc jam igitur pro certo poni, villam Lucullanam in Balneolana regione, qua parte Neſidi objicitur, olim ſtetiſſe. De qua villa reſtant adhuc quaedam haud vulgo nota: quae quidem malui in ſubjectam (19) Adnot. ſeorſum curioſis reſervare, quam lectorem properantem morari.

Et tamen cur iidem non & Lucullanum

(17) Varronis extremo lib. 3. de R.R. locus ut recte intelligatur; a *vitio* quo M. Luculli (ejus credo, qui frater fuit celeberrimi L. Luculli illius, qui Mithridatem vicit, & cujus in ora Neſidi oppoſita nobiliſſima villa fuit) piſcinae laborabant, incipiendum eſt; inde enim uſque filum orationis nectitur. *Hac incuria laborare ajebat* (Hortenſius) *M. Lucullum, et piſcinas ejus deſpiciebat, quod aeſtivaria* (ad refrigerandos piſces) *idonea non haberet, ac in reſidem aquam et locis peſtilentibus habitarent piſces ejus: contra, ad Neapolim L. Lucullus poſteaquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quae reciprocae fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu: factum eſſe enim, ut amatos piſces ſuos videatur propter aeſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Appuli ſolent pecuarii facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt.* Plinius IX. 54. *Lucullus exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam villam exaedificaverat, euripum et maria admiſit: qua de cauſa Magnus Pompeius Xerxen togatum eum appellabat.* Velleius II. 33. *Quem* (Lucullum) *ob injectas moles mari, et receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare adſueverat.* Et tamen hoc dictum Q. Aelio Tuberoni tribuit Plutarchus in Lucullo: cujus praeſtabit verba, quae huc ſpectant, afferre. *Opera ejus maritima et ad Neapolim, juxta quam* (λόφους ἀναχεμαννύντως αὐτῷ μεγάλοις ὀρύγμασι, καὶ τρόχους θαλάσσης, καὶ διαδρομὰς ἰχθυοτρόφους τοῖς οἰκτηρίοις περιελίσσοντως, καὶ διαίτας ἐναλίους κατέχοντως) *colles ſuſpendit ingentibus ſuffoſſionibus, niloſque et euripos marinos, in quibus piſces alerentur, ſuis aedificationibus circumjecit, marique medio habitationes exſtruxit, haec inquam Stoicus Tubero contemplatus, eum Xerxen togatum nuncupavit.*

(18) Vbi cryptae Puteolanae oſtium occidentale Puteolos verſus evaſeris, campeſtris ſeſe offert planities, quatuor fere paſſuum millibus quaqua verſum pertinens, a meridie mari, ab reliquis partibus cincta montibus. *Ager iſte* (ait Sebaſt. Bartolus tom. 2. Thermologiae pag. 100.) *apud incolas triplici nomenclatura diſtinguitur. Etenim pars quae mare attingit, dicitur* li Bagnuoli: *quae vero Antiniano ſubjacet, ob lapidum fodinas dicitur* Soccavo; *tertia inter has media, in quam Cryptae .. aperiuntur fauces,* Fuori Grotta, *appellatur.* His tribus addere quartam regionem potuiſſet, quae *Pianura* vocitatur: quae tamen *Succavi* ambitu contineri aptiſſime poteſt.

Interim Balneolanam regionem illam totam intelligo, quae ad meridiem mari terminatur, & objectam ſibi Neſidem habet, ad occidentem & Septentrionem montibus Puteolanis clauditur, ab ortu vero regionem *dir Fuori grotta* conterminam habet.

(19) *Poſt Luculli mortem ad filium ejus impuberem villae pervenerunt, quarum piſces Cato tutor ejus venundedit. Neſidem Villae hujus Puteolanae partem idem adoleſcens poſſidebat. Luculli villas poſtea principis aerario fuiſſe attributas; has vero villas omnes quae in hac vicinia erant, a Procuratore Caeſaris in Paufilypi villa reſidente fuiſſe adminiſtratas.*

Poſt Luculli imperatoris mortem villae ejus (ac nominatim haec eximia Puteolana, de qua tamdiu loquimur) cum tota hereditate ad filium impuberem pervenerunt: quantum quidem ex Varrone, Columella aliiſque colligitur. Plinius IX. 54. de Lucullana piſcina ſermonem (quem Adn. 17. recitavi) his verbis abſolvit: *Quadragies HS.* (ita hanc ſummam

Digitized by Google

mam exhibuit Harduinus: alii aliter) *piscinae a defuncto illo* (hoc est post defunctum illum) *venire pisces*. Adi Pintianum ad hunc locum: a quo Macrobius refellitur, Catonem Vticensem narrans a Lucullo scriptum heredem, pisces vendidisse. Nam Cato quidem, Luculli luxum detestans, pisces distraxit, verum non uti heres L. Luculli imperatoris (quippe cui heres suus esset, nim. filius impubes Lucullus) sed uti tutor a patre relictus: de qua tutela Plutarchus in Lucullo extremo. Sed & Varro ipse, quem auctorem citat Macrobius, itemque Columella, Catonem permutasse magno pretio pisces memorant; sed heredem relictum non scribunt.

Porro hujus Puteolanae villae Nesis haud dubie pars erat; eoque ab adolescente Lucullo post Caesaris necem possidebatur. Cicero or. X. in M. Antonium cap. 4. scripsit: *At hunc* (M. Brutum) *his ipsis ludorum* (Apollinarium) *diebus videbam in INSVLA clarissimi adolescentis LVCVLLI propinqui sui nihil nisi de pace & concordia civium cogitantem*. Porro hanc insulam, in qua Cicero Brutum vidit, haud aliam ab Nesida fuisse, testatur idem Tullius lib. XVI. epist. 2. ad Attic. his verbis, quibus superior orationis locus mirifice illustratur. *Bruto*, inquit, *tuae litterae gratae erant. Fui enim apud illum multas horas in Nesida, cum paullo ante tuas litteras accepissem. Delectari mihi Tereo* (L. Accii tragoedia, quam L. Antonius ludis Apollinaribus, Nonis Juliis, absentis Bruti nomine exhibuerat) *videbatur, & habere majorem Accio, quam Antonio gratiam*. Eod. lib. ep. 3. *Brutus erat in Nesida etiam nunc, Neapoli Cassius*. Et epist. 4. *In Nesida VIII. Idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de Nonis Juliis* (quibus ludi Apollinares dati) *mirifice est conturbatus*. Ex his vides, Luculli adolescentis insulam, in qua Cicero Brutum convenit, haud aliam fuisse ab Nesida. Quem adolescentem Lucullū ejus tunc insulae dominum, haud alterius Luculli fuisse filium, quam qui Mithridatem atque Tigranem devicit, quique tot villas in hac ora amoenissima sibi paravit, ex eo facile intelligitur, quod eum adolescentem Bruti propinquum Cicero dixerit. Plane enim Brutum contingebat propinquitate, ut qui natus ex Catonis Vticensis filia fuisset, cujus Catonis filiam alteram Brutus in matrimonio habebat.

Postremo converso reip. Romanae statu, Lucullanas villas, & hanc in primis, ad principis patrimonium perveniisse, sic colligo: Plutarchus in Lucullo proxime ante ea verba, quae Adnot. 17. adscripsimus, de luxu Luculli immodico in sumptuosissimis aedificiis, balneis, ambulationibus, tabulis, statuisque & id genus aliis, in quae gazam Asiaticam omnem profuderat, graviter conquestus, haec statim addit: ὅπου καὶ νῦν, ἐπιδόσιν πλούτου τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λευκόλλειοι κῆποι τῶν ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ΕΝ τοῖς ΠΟΛΥΤΕΛΕΣΤΑΤΟΙΣ ἀριθμοῦνται. *Quando quidem hac ipsa aetate* (qua nempe hic auctor sub Trajano & Hadriano floruit) *qua tantum luxuria incrementi cepit, Horti Lucullani inter Principis sumptuosissimos numerantur*. Κῆπος autem h. e. *hortos* vocavit, quas Romani usitatius *Villas* nuncupabant; at non raro etiam *Hortos* numero multitudinis (non vero *Hortum*) vocabant. Sic in Tranquilli vitis memorantur. *Horti Maecenatiani, Lamiani, Serviliani*: quae villae haud dubie fuerunt. Sicuti & Galbae *privati horti Aureliae viae*, in quibus sepultus fuit, villa Galbae erat, quam privato nomine possidebat, praeter Caesareas innumerabiles: quae & ipsae antea privatorum fuerant, sed postea sive proscriptionibus, sive donatione aut testamento in Caesaris fiscum pervenerant. Idem Suetonius cum Tacito Tiberium in Misenensi Luculli villa fato cessisse dixerunt: quae tamen tunc Caesaris erat. Ita quidquid in hoc deliciarum genere eximium fuerat, id processu temporis Principum fuit. Sed Plutarchi aevo adhuc supra omnes principales villas Lucullanae eminebant.

Porro cum innumerabiles in ora Campaniae villas possideret Caesar; ab eo mitti solebat aliquis, a quo procurarentur. Talis ille fuit Trajani libertus Euphrates, qui *Pausilypo procurasse* dicitur in Romano epigrammate apud Fabrettum pag. 199. num. 486. quod tale est.

D. M.
M. VLPIVS. AVG. LIB.
EVPHRATES
QVI. PROCVRAVIT. PAVSILIPO
FECIT. SIBI. ET. SVIS. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM

Et *Pausilypum* quidem nomen villae Vedianae fuit (vide Adnot. seq.) quam unam ab Euphrate procuratam, cave putes; nam villae tantum unius administratores VILICI, aut *actores*, vocabantur, non vero *Procuratores*

Digitized by Google

num caſtellum Lucullanae villae admoverint, imo perverſe prorſus id oppidum in Megaride h. e. perexiguo in ſcopulo impoſuerint, haud ſatis video. Quid enim tam rationi conſentaneum, quam id oppidum, quod ſecutis temporibus ſub Lucullani nomine coaluit, a Lucullana villa, ſive ab vetere illo L. Luculli *Lucullano* (nam villae neutro (20) genere plerumque efferebantur) ſibi nomen quaeſiviſſe; nec tam ſibi novum conciliaſſe nomen, quam vetus retinuiſſe? Et tamen ſcriptores noſtri omnes pleno in lumine caecutierunt, ducesq. caecorum facti, exteros quoq. in ſuam ſententiam abripuerunt: quos gregatim videas Lucullanum in *inf. Ovi* ponere, exceptis tantum Ortelio Cluverioq. viris doctiſſimis, qui Caſtrum Lucullanum circa Luculli villam conſtituerant, ae nomi-

Auguſti: quorum honeſtiſſima conditio fuit. Non ergo Vedianam tantum villam Euphrates adminiſtrabat, ſed omnes circa villas Caeſareas, Miſenenſes, Cumanas, Bajanas, Puteolanas, Herculanenſes, in primis autem Lucullanas ceteris praeſtantiores. Huiuſmodi porro villis ſobrii ſtrenuique principes (inter quos Trajanus in primis eminuit) non tam ad luxuriam abutebantur, quam ad tuendam principis magnificentiam: qui ex eis interim non parvos etiam reditus in ſuum aerarium inferebant. Nam & Conſtantinum ineunte IV. ſaeculo ſcimus ex Neſide & Caſtro Lucullano ſolidos octoginta quotannis exegiſſe: quam poſſeſſionem, ut toties diximus, poſtea Eccleſiae Neap. cum aliis opimioribus dono dedit. Hinc neceſſitas Procuratorum orta fuit: quorum peculiare erat reditus principales exigere, & in Caeſaris aerarium inferre.

(20) *Villarum nomina neutro genere uſurpari conſueviſſe, undecumque earum nomen arceſſeretur: PAVSILYPVM non montis, ſed villae Vedii Pollionis antiquitus nomen fuiſſe: monti vero proprium nullum fuiſſe nomen, ſed verborum circuitu deſignari conſueviſſe: eumdem aevo ſequiore montem Falernum fuiſſe dictum, nec niſi abhinc trecentos annos. Pauſilypi ſibi nomen in peculium arrogaſſe.*

Villas ferme omnes neutro genere efferri ſolitas, quaſi ſi in omnibus vox *Praedium* ſubaudiatur, primum ex eo intelligitur, quod ſi villa urbi propior eſſet, communi vocabulo *Suburbanum* dicebatur. Deinde quae propria urbium nomina, in quarum territorio exſtruebantur, ſibi arceſſebant, ea ejuſdem erant generis. Cujuſmodi ſunt *Tuſculanum* (quo nomine complurium Romanorum villae fuere celebres) *Formianum*, *Tiburtinum*, *Pompejanum*, *Puteolanum*, & aliae ejuſdem modi plurimae. Nec ſecius ubi ab ſuo domino nomen derivarent, id neutrius opinor erat generis.

Interdum autem villis exquiſitius nomen aliquod domini ſui imponebant: quod ſi adjectivum eſſet, haud ſecius neutro genere efferebatur, ita ut Latine *Praedium* ſubaudiretur, aut Graece χωρίον. Talis illa celeberrima Vedii Pollionis villa fuit, *Pauſilypum* vocata (eam nunc nobilis Mazzae Salernitani familia poſſidet) de qua Plinius IX. 53. *Pauſilypum villa eſt Campaniae, haud procul Neapoli: in ea in Caeſaris piſcinis a Pollione Vedio* (quo tempore dominus villae fuit: qui poſtea eam villam Auguſto reliquit) *conjectum piſcem, ſexageſimum poſt annum exſpiraſſe ſcribit Annaeus Seneca, duobus aliis aequalibus ejus ex eodem genere tunc viventibus.* De eadem villa ex Dione Xiphilinus extremo lib. 54. *Moriens vero Pollio domum ſuam* (καὶ τὸ Παυσίλυπον τὸ χωρίον) *& villam, quae Pauſilypum vocatur, quae inter Neapolim atque Puteolos eſt, reliquit.* Eadem ſub Trajano villas Caeſareas tractus hujus procurantium ſedes fuit, ut Adnot. 19. extrema ex epigrammate docui. Ceterum quod mons ille, qui inter Neapolim Puteoloſque in mare procurrit, nunc paſſim ab omnibus *Pauſilypus* ἀφοσιώσει nuncupetur, id nullam ſibi auctoritatem ab antiquis arceſſit; nec ante Sannazarii ac Pontani tempora ea vox ad collem ſignificandum uſurpari coepit. Nam antiqui, cum nullum ejus montis proprium reperiſſent nomen, circumloqui coacti fuere. Varro extremo lib. 3. de R.R. *Ad Neapolim L. Lucullus poſteaquam perfodiſſet montem*, h. e. *Montem ad Neapolim*. Nam hanc montis ejus, qui nunc ab omnibus *Pauſilypus* dicitur, tunc fuiſſe περίφρασιν (*circumlocutionem*) teſtatur etiam Plinius IX. 54. in fine: *Lucullus exciſo etiam monte juxta Neapolim*. Ergo antiquis nomen ejus montis proprium nullum fuit. At aevo ſequiore quidam apud Cam. Peregrinium de balneis ſcriptor anonymus *Falernum montem* vocavit. Nec aliter Franc. Petrarca in epiſt. quadam. Poſtremo poeta Sincerus, quique alii ſub rege Ferdinando Neapoli floruerunt, eum collem *Pauſilypum* ſuo veluti jure appellarunt.

Digitized by Google

nominatim in neſcio quo *Agnani balneo*: quo nomine eos *Thermas Angulanas* S. Gregorio dictas (de quibus cap. ſeq. §. 2.) deſignare voluiſſe crediderim. At equidem in Balneolana regione Lucullanum aevi ſequioris caſtellum ſeſe explicuiſſe, pluribus aliis praeter allatas rationibus ſuadere, &, ſiqua dabitur, etiam peculiarem ejus caſtri ſitum in ejus regionis vaga latitudine intento digito demonſtrare conabor.

CAPVT IV.

De oppidi Lucullani ſitu amplius.

§. I.

Caſtri Lucullani ſitus ad eam Luculli villam, quae in agri Puteolani regione Balneolana fuit, novis rationibus aſſeritur.

Ex iis rationibus, quas ex Translatione S. Severini ſupra cap. 2. & ex Translatione S. Soſii Adnot. 15. collegimus, ſatis quidem quod propoſui demonſtrandum, poterat intelligi. Nempe caſtrum Lucullanum in ea ora, quae inter Puteolos & cryptam eſt, olim exſtitiſſe, ex toto terreſtri itinere in S. Soſii Translatione deſcripto conſtat; ac praeſertim ex CAMPI ante oppidum mentione in S. Severini translatione. Nam ejuſmodi campeſtris planities, quae ad *Oppidi Campum* longe lateque ſpatioſum explicandum neceſſaria erat, quae rogo alia inter Neapolim & Puteolos oſtendi poteſt, quam quae Puteolos eunti trans cryptam occurrit? Id ſatis ex ante dictis perſpectum arbitror.

Ceterum in ea proprie ora id oppidum fuiſſe poſitum, quae Neſidi obiacet, quaeque hodie *Balneoli* regio nuncupatur, id jam hiſce rationibus confirmabimus. Nam quia in ea regione decantatam illam Luculli villam cum nobiliſſimis piſcinis fuiſſe, cap. ſuperiore demonſtravimus; proxime eam coaluerit initio vicus aliquis ſive συνοικία, cujusmodi juxta villas ferme omnes creſcere conſuevere, prorſus neceſſe eſt. Ei vero vico a domino villae nomen inditum non tantum veriſimile eſt, ac res ipſa loquitur, ſed etiam plurima id marmorum monumenta declarant. Ac ne in elogiis veteribus producendis tempus teram; ſit inſtar omnium VICVS SPVRIANVS, qui nuper in pulcherrimo epigrammate in Averſana Cathedrali effoſſo ſe prodidit, ab alicujus certe Spurii villa ſic olim dictus; qui poſtea vicus ad quamdam Plautiorum familiam pervenit. Eam inſcriptionem adhuc ineditam avidis harum cupediarum inferne(21) proponimus. Porro etiam nunc in hac vicinia hujusmodi vicorum nomina a villarum poſſeſſoribus derivata ſuperſunt. Vicus *Camillianus* nunc quoque in agro Capuano ſatis amplus eſt, qui vulgo *Camigliano* vocatur: cui ab alicujus certe Camilli villa nomen quaeſitum fuit. Sic prope Neapolim qui nunc vicus *Secondigliano* dicitur, eum primitus *Secundinianum* a quodam poſſeſſore villae *Secundino* dictum oportuit. Averſae & Capuae celebre *Sabiniani* (vulgo *Savignano*) vocabulum eſt; nam utrobique villae *Sabini* alicujus initio fuerant, in quibus qui ſtatim vici creverunt, ii ſibi a domino vocabulum derivarunt. Non eſt ergo dubitandum, quin in celebratiſſima omnium Luculli villa vicus aliquis ex ſervilibus Luculli familiis, ex libertis ejuſdem, & ex convenis undecumque locandae operae aut alterius compendii gratia eo confluentibus, conflari coeperit. Hunc vero non aliter quam vicum *Lucullanum* fuiſſe nuncupatum neceſſe eſt. Atque is poſtea vicus in tantum crevit, ut in caſtri ſive oppidi amplitudinem & dignitatem aſſurrexerit: quod etiam tum vetus *Lucullani* nomen, uti fit, retinuit.

Quando vero primum in Caſtri formam id concreverit, non habeo dicere. Sed tamen ſub Conſtantino, ut ſaepe diximus, jam id Caſtrum erat, quod ſimul cum Neſide ſibi oppoſita Magnus noſter Eccleſiae

(21) *Lapis Averſanus illuſtratur. MERITORIVM neutrius generis. De* Diaeta. *Alia pluſcula.*

Ea inſcriptio ante hos duos treſve menſes Averſae in Cathedrali eruta fuit, quae nunc in Seminario aſſervatur: cujus exemplum humanitate Canonicorum Archangeli Patricelli, ejus Seminarii rectoris, & Hieronymi Serai, virorum eruditiſſimorum atque amiciſſimorum ſum aſſecutus. Quae talis eſt.

(*Cap. I.*)

Digitized by Google

(*Cap. I.*) 1. A. PLAVTIVS. EVHODVS. SIBI. ET. LIBERIS. SVIS
2. A. PLAVTIO. DAPHNO. ET. PLAVTIAE. PRIMIGENIAE. ET
3. PLAVTIAE. LAVRILLAE. ET. PLAVTIAE. FESTAE. ET. PLAVTIAE. SVCCESSAE. ET
4. A. PLAVTIO. ASBESTO. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. SVIS. POSTERISQVE. EORVM. IS. QVI
5. PLAVTI. VOCITABVNTVR. (*Cap. II.*) VICVS. SPVRIANVS. CVM. SVIS. MERITORIS. ET. DIAETA
6. QVAE. EST. IVNCTA. HVIC. MONVMENTO. CVM. SVIS. pariETIBVS. ET. FVNDAMENTIS. HVIC. MONVMENT. CEDET
(*Cap. III.*) 7. SI. QVI. EX. IS. QVI. SVPRA. SCRIPTI. SVNT. Hoc. mONVMENTVM. AVT. VICVM. SPVRIANVM
8. AVT. DIAETA. QVAE. EST. IVNCTA. HVIC. MONVMENTO. VENDERE. VOLENT
9. TVNC. AD. REMPVBLICAM. COLONIAE. PVTEOLANAE. PERTINEBIT.

Quod egregium epigramma tria, uti distinxi, capita complectitur. Capite I. liberos omnes (qui sex numero recensentur: nec enim illud *libertis libertabusque* quod statim sequitur, ad superiores nominatim scriptos refertur) adhaec libertos libertasque posterosque eorum jus monumenti sequi jubetur, modo Plautii vocentur: qua adjectione excluduntur cognati; agnati vero ita includuntur, dum ne adoptione aut arrogatione in alienam familiam transeant.

V. 1. EVHODVS. Latini olim compositis vocabulis sive Latialibus sive Graecanicis spiritum asperum suae originis inferebant. Ita quia εὔοδος & αὔοδος ex ὁδὸς componebatur; utrumq. in veteribus titulis EVHODVS & SYNHODVS reperitur scriptum. Εὔοδος fuit rhetoris cujusdam proprium nomen apud Suidam: sicuti Εὐοδία *Evodia* feminae apud D. Paulum. Libertini ejusdem nominis in marmoribus milleni occurrunt; sicuti & hic noster libertinae originis ex nomine proditur.

V. 5. VICVS SPVRIANVS. Hinc caput alterum incipit, quod toto versu sequente absolvitur. Duum generum fuere vici, urbani (qui quidem Romae ad 424. ab Victore numerantur) & extra urbes: cujusmodi hic *Spurianus* haud dubie fuit; quia intra urbes monumenta non erant. Vici extramurani pagis multo minores erant, ac plerumque juxta villas a villae domino aedificabantur, unde & in ejus dominio erant. Hinc in Glossis tam *Villula* est χωρίον, quam & *Vicus* redditur κώμη. Porro quia ab villae domino possidebantur; hinc plerumque nomen possessoris ad eos derivabatur (ut hic VICVS SPVRIANVS, qui certe ab aliquo Spurio auctore ac domino nomen invenerat) iidemq. ob eamdem causam a domino interdum seorsum a villa distrahebantur. Vnde Plautius hic Evodus vicum (utpote seorsum emptum) fine villa possidebat. De vici venditione praeter hunc titulum, meminit Cicero XIV. famil. 1. *Quod scribis, te vicum venditurum: quid, obsecro te, quid futurum est?* Cur id Plautius vetuerit, ex cap. 2. ratio affulget.

Pergit: CVM SVIS MERITORIS. *Meritorium* neutrius generis ex lexicis ejectum fuerat. Sed injuria: nam in Cyrilli Glossis Ξενοδοχεῖον redditur *Meritorium*. Hoc si satis non erat; at Juvenale certe auctore ac vindice *Meritorium* nostrum recuperare civitatem debuisset: in cujus Sat. 3. scribitur: *Nam quae meritoria somnum admittunt?* Et tamen ma-

Digitized by Google

Neapolitanae ab se factae dono (22) dedit. Ac verisimiliter haud diu ante Constantinum συνοικίαν sive vicum [qui ab Luculli usque aetate juxta ejus villam adoleviſſe sub *Lucullani* nomine videtur] ad Castri sive oppidi dignitatem assurrexisse, ex nulla ejus antiquiore mentione possumus arguere. Ac ne Constantiniano quidem tempore id castellum satis fuisse frequens (cujusmodi certe aetate Magni Gregorii floruisse, ex ejus epistolis supra ostendimus) ex eo potest intelligi, quod id cum vicina Insula haud plus octoginta solidis in Caesaris fiscum inferret: quos reditus Imperator Neapolitanae Ecclesiae ab se fundatae donavit.

§. II.

Lucullani situs circa Thermas S. Germani ex antiqui operis ruderibus, sicuti & in Agnani lacu, ostenditur. Cur eae thermae Angulanae S. Gregorio dicantur.

Ex hactenus hoc & superiore capite expositis jam quidem hoc pro explorato ponendum est, Lucullanum castrum cis Puteolos in ora Balneolana, quâ Nesidi objacet, olim stetisse. Quid si in ea regione, mediocriter ceteroqui longe lateque diffusa, certum ac definitum oppidi Lucullani situm docemus? Circa *Thermas S. Germani* vocatas, plurima etiam nunc veterum aedificiorum rudera, parietinae multae visuntur, pleraeque operis reticulati aut omnino tales, quae Luculli tempora, aut pone subsecutam aetatem haudquaquam dedeceant. Ibi prorsus oppidum Lucullanum stetisse verisimillimum

maluerunt in Aquinate subaudiri *Cenacula*, tamquam si sit adjectivum, quam ut *Meritorium* in jura civitatis per injuriam ablata revocarent. At postremo vel hoc epigrammate auctore locupletissimo id vocabulum postliminio revocetur, censeo.

Sequitur: ET DIAETA. In Commentario ad XXIII. Martii ad S. Castuli Acta in Excursu de *Dieta* sive *Zeta*, dixi hoc interesse inter Graecam Latinamque ejus vocabuli notionem, quod a Graecis cum diphthongo scribatur, & pro integro habitaculo cum suis membris accipiatur: apud Latinos autem cum vocali simplici DIETA scriptitetur, & non pro integro aedificio usurpetur, sed pro secretiore cubiculo, per quod ultro citroque commeare non liceat. At haec inscriptio (vel ex eo tantum aestimabilior) DIAETAM & cum diphthongo perscribit, & pro integro habitaculo (utrumque plane juxta cum Graecis) usurpat. Pro integro inquam hospitio *Diaeta* hic accipitur (ac facile pro iis habitaculis, quae juxta monumenta exstruebantur, in quibus servi custodes consisterent,) non pro uno mero secretiore cubiculo: nam illud *cum suis parietibus & fundamentis* majus aliquid, quam pro solitario cubiculo designat. Cetera tituli hujus sunt in aliis similibus inscriptionibus passim obvia. Quare manum de tabula.

(22) *Castrum* cum Insula a Constantino donatum non aliud a Lucullano Castro fuisse, etsi initio & alibi ostendimus; tamen proderit ejus rei rationes breviter refricare. Nam *Insulam* quidem fuisse *Nesidem* ipsam, certissimum est: de quo rursus dicam Par. II. cap. 1. Quo posito *Castri* nomine (quod certe in Neside nullum fuisse proditur) non nisi illud quod in objecta continente *Lucullanum* vocabatur, venire debuit. Nam quia Insula & Castrum Lucullanum tam sub conditore Lucullo, quam secutis temporibus unica semper possessio fuerat (ex qua utraque junctim 80. solidi aerario principis pendebantur) idcirco non necesse fuit nomen castelli proprium memorare, sed satis in subjecta materia fuit *Insulam cum Castro* dixisse. Nec desunt exempla, quibus *Castrum* sine adjectione proprii nominis usurpatum, ex subjecta materia intelligi oporteat. Verbi causa *Castrum Novum* tum in Etruria, tum in Praetutiis erat: in Latio *Castrum Inui*. At in his interdum vox discriminans omittebatur. Hinc illud Castrum Praetutianum Velleius, Livii epitomae, Strabo & Ptolemaeus absolute *Castrum* dixere. Item Inui Castrum Silio absolute *Castrum* vocatur, ejusque incolae Martiali dicuntur *Castrani*. Id vero maxime fit, ubi ex aliorum locorum conjunctione perspicitur, de quonam Castro mentio fiat. Itaque in Vita Sylvestri quia *Castrum* cum *Insula* (h. e. Neside) copulatur; dubitari non poterat, quin de Castro Lucullano Augusti donatio intelligenda esset.

Vnde vero, inquis, haec auctor vitae S. Sylvestri hausit? haud dubie ex antiquis ecclesiarum tabularijs, in quibus Constantini donationes descriptae legebantur. Cumque hic idem auctor in *Insula* h. e. Neside haudquaquam fefellerit (uti mox Par. II. cap. 1. ostendam) ne in *Castro* quidem fefelliſſe putandus.

Digitized by Google

mum reor. Quod quidem quo dixi loco positum, veteri Luculli villae ita proxime assidebat, ut ab ortus hiberni latere villam ipsam habuerit; ab austro vero orae immineret illi, quae Nesidi objiciebatur. Ita Lucullanum in campestris regionis meditullio constitutum, aequali ferme intervallo ab Puteolis, & ab ostio cryptae aberat.

Quandoquidem autem Thermarum S. Germani memini; jam omnes quidem sciunt, cur ita dictae fuerint; quippe cum jam pridem Gregorius M. in IV. Dial. 40. sic narraverit: *Germano Capuano episcopo* (hic die 30. Oct. colitur: saeculi VI. praesul) .. *medici pro corporis salute dictaverant, ut in Angulanis thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, praedictum Paschasium diaconum .. in caloribus invenit.* Nota est historia. At illud non aeque notum, cur eae thermae *Angulanae* vocarentur. Mihi id commune thermarum hujus loci olim fuisse nomen videtur, ab eo forsitan factum, quod aquae in locum unum percolatae fluerent. Ac videtur potuisse id nomen ab *Ango* fieri, quod est *stringere*, & [quia stringendo percolantur liquores] interdum *Colare*. Confer mox dicenda de *Lacu angulario* Rutiliae Pollae.

Commune porro his thermis id fuisse nomen, indicat Zacharias Papa, qui VIII. saeculo Gregorianos Dialogos Graece est interpretatus. Is enim Thermas illas Angulanas sic Graece expressit: *εἰς τὰ θερμὰ τὰ ὀνομαζόμενα Αγκλανῶν*: quod totidem verbis sonat: *In thermis quae Anglanorum cognominantur*, aut potius, *Quae vocantur Anglanon*, ita ut sit rectum singulare & quidem collectivum (23) nomen. Ex quo fit, commune id calidis Puteolanis fuisse vocabulum, eo quod ex proximae Sulfuratariae venis percolarentur. Nec alia porro est ratio nominis balnei *Colaturae*: de quo vide Bartolum to. 2. Thermol. p. 156. & seq. Nisi quod hic in eo se obfirmavit, ut *Calaturam* debere scribi pugnet, eo quod, inquit, a vicino monte descendat; nam Italis *Calare* est descendere. Sed tamen antiquiores. Vgolinus, Mengus, & Taurienſis (quorum verba pag. 160. refert Bartolus) cum O scripserunt: recte prorsus uti jam dixi; praesertim cum *Colatura* vox sit ex Coelio Aureliano nota. Postremo cū Zachariae illud *Αγκλανῶν Anglanon* proxime ad *Agnani* lacus appellationem accedat; eadem quoque vocis *Agnani* prorsus origo erit; sic nempe dicti, quod internum *colatorium* (uti vocabant aevo medio) vicinorum montium fuerit. Et is quidem lacus [si Camillo Peregrinio in Campania pag. 268. credimus] a Nortmannis scriptoribus nostris *Anglanis* vocatur: sicuti & apud Erchempertum Langobardum num. 61. quaedam aquarum conceptio rivusque prope Capuam *Anglena* dicitur, hodie *Anghiena*. Verum nihil est, quod magis lacum nostrum *Anglanum* illustret, & ex eo vicissim fiat illustrior, quam Proculi JCti *Lacus angularius*: cui communis tum naturae origo, tum etiam nominis etymologia cum nostro *Angulano* sive *Anglano* lacu prorsus fuit. Ad quem inferne (24) digre-

(23) Haud temere suspicor, istud Αγκλανῶν a Pont. Zacharia non plurativo casu patrio, sed recto singulari fuisse usurpatum, ut sit *ἀγκλανῶν, ἀγκλανῶνος* ejusdem formae ac *πλατανῶν, παρθενῶν*, & millena id genus collectiva nomina. Quia ergo thermae Puteolanae vocari *Anglana* solebant; hinc locus is (cui hodie *Bagnuoli* nomen est) *ἀγκλανῶν* aptissime dictus Zachariae fuit, quasi *Anglanorum* sive *Anglanarum collectio*. Certe si in Graeco interpretamento illud Αγκλανῶν casus secundus esset, articulus *τῶν* praeponendus fuerat: nunc quia articulus abest; id quod sequitur absolute ponitur: *In Thermis*, inquit, *nuncupatis Anglanōn*.

(24) *Proculi LACVS ANGVLARIVS cum nostro Angulano comparatur.*

L. 69. D. *de contrah empt.* ex Proculo lib. XI. epistolar. haec recitantur. *Rutilia Polla emit agrum Sabatenem Angularium, ET CIRCA EVM LACVM PEDES DECEM. Quaero, numquid & pedes decem qui tunc* (emptioni lacus) *accesserunt, sub aqua sint, quia LACVS CREVIT, an* (vero) *proximi pedes decem ab aqua* (numerati) *Rutiliae Pollae juris sint?* Respondetur, pedes alios decem extra lacum (qui crescens illos priores occupaverat) non deberi.

Porro illud SABATENEM (quod aliqui solli-

Digitized by Google

gredimur. Nam de Apiciano (25) *Angulari* quid decernam nondum certum habeo.

Hactenus οὐδὲ πάρεργον. Nunc eo festinat animus, ut Agnanum ipsum lacum ad situm Lucullani praecipue pertinuisse, doceam. Compertissimum est, quotidie ab urinatoribus ingentes continentium aedificiorum, interdum integrorum, compages in toto stagni fundo deprehendi ac pertentari, ita ut iidem non dubitent, eas oppidi alicujus ruinas fuisse. Eccujus vero, nisi Lucullani? Nec enim oppidi in eo tractu alterius memoria exstat. Lucullanum igitur (quod partim in toto Agnani situ, partim in thermarum S. Germani vicinia stabat) postquam exeunte IX. saeculo ita eversum fuisset, ut tamen quaedam adhuc aedificia starent (ut ex Translat. S. Sosii constat) demum secutis temporibus ob quotidiana vicinae Sulfuratariae interna dispendia in chasma desedit: mox aquis per venas internas in eum hiatum, tamquam in commune colum, confluentibus, ortus est lacus [ac simile huic exemplum Plinius (26) dabit] cui a percolatis illuc torrentibus factum est *Agnani* nomen, cum antea *Lucullanum* vocaretur. Atque ea ipsa novi pro re nata nominis impositio effecit, ut veteris *Lucullani* nominis nullum prorsus nunc eo loci vestigium superaverit. Sicuti quia Lucullanum jam inde ab exeunte IX. saeculo aequatum solo fuerat; nemo pensi duxit tempus ruderum (quae curaret tunc nemo) desidentium, ortaeque paludis posteris transmittere.

Tandem ad superiores rationes ea quoq. opportunitas accedit, quod id castrum (si quo dixi loco ponatur) juxta veterem viā occurrerit, quae Puteolis ducebat in collem Antinianum, & inde Neapolim: quam viam Cam. Peregrinius non uno loco sic describit, ut inter Leucogaeos colles, interque Thermas S. Germani & vicinum lacum Agnanum decurrerit: quae vetus via hodie dum a nonnullis cryptae vitandae compendiique faciundi studio teritur. Itaque in S. Sosii translatione non divertendum a via fuit, ut in Lucullanum succederent, sed propter viam id nacti castellum, in eo pernoctarunt.

PARS ALTERA

Qua INSULAM ecclesiae Neapolitanae a Constantino donatam, seu Salvatoris insulam, Nesidem fuisse ostenditur.

CA-

sollicitant) rectissimum est. Nam obliquum est a recto SABATE (nim. celebri in Etruria lacu: qui nunc *Lago di Bracciano* vocatur) cujus obliqui eo modo crescunt, sicuti in mulierum nominibus a CALLISTE fiebat *Callistenis*, & millena in hunc modum alia. Multo minus lacus hujus cognomen *Angularius* vexandum arbitror; cū certe proximi nunc oppidi *Anguillara* vocabulum ex illo vetusto *Angularius* detortum fuerit. Cur porro *Angularius* vocaretur, eadem prorsus videtur causa fuisse, quam de *Angulano* nostro assignavimus. In utroque enim ea vox internas scatebras atque meatus notat, ex quibus & principio hi lacus percolati fuerunt, & continenter aluntur, & modo crescunt, modo decrescunt.

Fons quatuor angulatilis incerti auctoris de Limit. (p. 303. script. Agrar. edit. Goes.) alio prorsus pertinet.

(25) *Angularis* Apicianus redditur in Cangiano Glossario *Colatorium*: quam interpretationem, etsi mihi percommodam, non probo. Semel ea vox VII. 4. ter vero V. 3. in Apicio legitur; numquam vero ut *colum* accipias, sed potius pro vase, in quo componuntur opsonia, atque ita mittuntur in furnum. Itaque quod nostris *Tiella* dicitur, id, puto, *Angulari* illi respondet: qui videtur ab *Angendo* i.e. constringendo sic dictus, quod in eo confertim constiparentur opsonia.

(26) Plinius II. cap 88. *Sic & Pithecusas in Campano sinu ferunt ortas: mox in his montem Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri aequatum planitie. In eadem* (planitie) *& OPPIDVM HAVSTVM profundo, alioque motu terrae STAGNVM emersisse* (danda est Harduino venia, de *stagno Agnano* haec interpretanti; cum in eadem Aenariae planitie & oppidum haustum, & mox loco oppidi stagnum emersisse narretur: nec postremo credibile sit *Anglanum* lacum ante saeculum XI. prorupisse) *& alio provolutis* (in *Provolutis* continet vocis *Prochytae* etymon) *montibus insulam exstitisse Prochytam*. Profecto si Plinio mens adfuisset fatidica, haud clarioribus verbis de Lucullano absorpto, & lacu Anglano in Lucullani ruinis emergente vaticinari potuisset.

Digitized by Google

CAPUT I.

Quod & Insula & Castrum Ecclesiae Neapolitanae a Constantino donata duae unius possessionis partes haberentur. Quaenam ea Constantiniana insula fuerit.

Vita Sylvestri Papae narrat, Magnum Constantinum Ecclesiae Neapoli ab se aedificatae inter cetera dono dedisse *Insulam cum Castro pendentem solidos octoginta*. Dixi Castrum non insedisse ipsi insulae, sed in proxima continente stetisse, nec aliud fuisse quam Lucullanum Castrum. Verum quia ea *Insulam cum Castro* enuntiatione unica continetur; id permagno est indicio, non tantum ea vicina fuisse, verum etiam ad possessionem pertinuisse unicam, cujus videlicet Insula & Castrum partes duae fuerint. Ac si non aliud, illud certe quod ex utroque solidi octoginta redibant, id plane ostendit, ea duo ad unam pertinuisse possessionem. In hoc vero antiquiora etiam monumenta conspirant. Etenim ab ultimis usque Reip. liberae temporibus utraque pars in dominio Luculli fuit: qui in ea ora, quae Nesidi objacebat, villam habuit [juxta quam primo vicus, mox *Castrum Lucullanum* coaluit] idemque Nesidis erat dominus, ut in Adnot. 19. ostendimus. Ex his vides quam non immerito etiam sub Constantino Insula & Castrum pro unius possessionis duabus partibus haberentur.

Etenim Luculli filium adolescentem post mortem Caesaris dictatoris adhuc paternas hasce villas, & nominatim *Insulam* h.e. Nesidem possedisse ex Philippicae X. cap. 4. [ut Adn. 19. dixi] constat. Mox eas villas turbulentissimis reip. temporibus hastae triumvirali subjacuisse crediderim, ac tandem ad Caesaris patrimonium transiviſſe. Sane vero quidquid hujus rei fuerit; illud est certissimum sub Trajano & Hadriano Lucullanas omnes delicias in patrimonio Caesaris fuisse numeratas, ut ead. Adnot. 19. demonstravi. Sed & aevo Constantini nominatim *Insula* [h.e. Nesis] *cum Castro*, supple Lucullano *pendebat* quotannis fisco Caesaris *solidos octoginta*, ut in vita Sylvestri dicitur.

Et Castrum quidem, quod Caesar ecclesiae Neapolitanae largitus est, non aliud a Lucullano fuisse, proxime in fine Partis prioris confirmavimus: cujus etiam situm in objecta Nesidi continente ostendimus. Nunc vicissim de *Insula*, hoc est de Constantinianae donationis parte altera videamus: quam profecto non aliam ab ea, cui Nesidi nomen erat [quaeque nunc *Nisita* dicitur] fuisse hisce peculiaribus rei propositae argumentis conficiemus.

I. Ex eo quod INSVLA respondet Graeco *Nesidis* vocabulo. Vtrumque enim cum generis nomen esset, tamen peculiariter ab accolis Neapolitanis de hodierna *Nisita* intelligebatur. Ac similis prorsus in Vita S. Patriciae locus est, in quo etiam eadem hodierna *Nisita* generali *Insulae* vocabulo donatur: ut cap. seq. exponemus.

II. Quae insula hodie *Nisita* vocatur, ea omni tempore in Archiepiscopalis Camerae dominio fuit, idque usque ad anteacti saeculi initia; quibus Civitas Neapolitana ejus utile dominium assecuta, eamdem anno 1623. Joanni Vincentio Macedonio vendidit, cum onere tamen annui canonis Archiepiscopo persolvendi. Vide Chioccarellum in Archiep. Francisco Carrafa a pag. 321. ad 324. Nam Franciscus hic ille fuit, qui octogesimo ante anno [h. e. 1544.] Nesidem prorsus improvido consilio in emphyteusim concesserat. Porro quaenam alia ejus Archiepiscopalis dominii origo assignari potest, quam donatio illa a Constantino Magno ecclesiae Neapolitanae facta?

III. Si insula ab Augusto donata Nesis non fuit; ostendant mihi rogo, ecqua alia fuerit. Nam de Megaride quis id credat? Poterantne ex aridissimo saxo tot solidi redire? *De area, vel de torculari?* 4. Reg. VI. 27.

IV. Quae olim Nesis dicebatur, ea VII. saeculo *Salvator* fuisse vocata in vita S. Patriciae traditur; ac rursus eadem tempore S. Athanasii *Insula Salvatoris* nuncupabatur. At porro qua de causa id factum dicemus, nisi quia eadem insula in dominio *Ecclesiae Salvatoris* (quam Constantinus, teste chronographo Vulturnensi, Salvatori consecravit) ex ejusdem Augusti donatione, quam vita Sylvestri memorat, semper fuisset?

Verum

Digitized by Google

Verum hoc ultimum argumentum longiorem tractationem requirit, cap. seq. instituendam: qua simul loca Athanasianae & Patricianae vitae explanabimus.

Antequam hinc abeo; iis quae modo num. II. de Nesidis dominio penes Archiepiscopum Neap. dixi, addendum est, hodie dum annuum ducatorum XIV. canonem mensae Archiepiscopali persolvi a nobili familia Petronia [cujus hodie ea insula feudum est] sicuti me proxime docuit vir pereruditus Aloys. Petronius, in maleficiorum quaestionibus Fisci patronus, Marchionis insulae Nesidos frater.

CAPUT II.

Quaenam Insula Salvatoris fuerit.

In meo ad mens. Martium Commentario, media Adnotatione 63. visus sum Lucullanense S. Severini monasterium cum *S. Salvatoris* monasterio [h. e. Lucullanum cum Insula Salvatoris] confudisse: quod cave credas. Res autem sic se habet. Nono vergente saeculo sub S. Athanasio episc. Neapolitano monasterium quoddam in *Insula Salvatoris* erat: cujus meminit Jo: diaconus in Athanasii vita his verbis: *Commeatum petivit* [Athanasius a Sergio duce sibi infensissimo] *quasi convivium monachis INSVLAE SALVATORIS exhibiturus. Quo accepto nihil moratus, cum omnibus clericis in eamdem ASCENDIT insulam.* Quamnam hanc *insulam Salvatoris* fuisse dicemus? Sane videbatur istud ipsum *Ascendendi* verbum non aliam nisi Nesidem indicare, quae mire celsa eminus visitur; nisi eod. verbo Falco Benev. uteretur de Rogerio Megaridem ascendente. Vide locum infra Par. 3. c. 1.

Jam vero Nesidem ut credam, hoc in primis facit, quod id νησίδιον ad occulta Athanasii consilia celanda opportunum erat. Is cupiebat ab Sergii ducis insidiis cum suis germanis evadere. Ad id perficiendum Megaris, ut quae sub oculis Sergii esset, importuna erat: at contra Nesis opportunissima, quippe quae totâ quanta est, Pausilypi in mare procursione, ab aspectu Neapolis atque Sergii subducebatur. Itaque hoc modo prospere Athanasii cecidere consilia; nam sequitur in Jo: diacono: *Marinus autem .. Surrentum illum* [Athanasium] *cum omnibus salvum perduxit*. His vero consonat longioris Athanasianae vitae auctor: de quo cap. seq. Habes, cur Insula Salvatoris non alia quam Nesis [*Nisita*] fuerit.

Accedit, quod Graecus vitae prioris S. Patriciae auctor [cujus Latina tantum interpretatio capite mutilata a Bollandistis ad XXV. Augusti ex Ms. Parthenonis S. Patriciae eruta, exstat] proprium vetus nomen ejusdem insulae Salvatoris prodiderat, si Graecum locum vetus interpres intellexisset. Neminem nostrorum hominum fugit, S. Patriciam in insula S. Salvatoris ad superos evolasse: quam tamen prave Neapolitani ἀρχαιολόγοι *Arcem ovi* interpretantur, ibique Virginem demortuam praedicant. At id videamus, quo pacto Latinus interpres vitae prioris apud Boll. num. 7. narret. *Fertur itaque* [navis Patriciam portans] *in PARVAM QVAMDAM INSVLAM, in qua venerabile corpus Domini nostri Jesu Christi Salvatoris colebatur & colitur*; (quare) *sumens ipse locus denominationem ab ecclesia, SALVATOR nomine proprio appellatur.* Pulcherrimus sane locus, sed nondum intellectus, quia male jam olim translatus. Graecus auctor scripserat: *Fertur itaque* (εἰς Νησίδα) *in Nesidem, in qua* &c. At interpres (cujus aevo proprium *Nesidis* nomen exoleverat; cujus loco *Insula Salvatoris dicebatur*) putavit eo loco νησίδα appellativum esse vocabulum; quod utpote diminutivum, *Parvam Insulam* reddidit, interjecta voce *Quamdam* ut concinnius loqueretur. Aut si forte demus, illud *Quamdam* ab ipso Graeco biographo fuisse profectum (scribente forsitan, εἰς νησίδα τινά) tum *in Nesidem quamdam* debuisset interpres vertere, si sciviset, id proprium non appellativum fuisse nomen. Nam locorum obscuriorum vocabulis Graece τις, Latine *Quidam* aut *Nescio quis* additur. Hinc intelligimus, medio VII. saeculo (si quidem Patricia sub Constante Imp. monothelita fuerit) hanc insulam & vetus *Nesidis* servasse nomen, & coepisse novum *Salvatoris* adipisci.

Quando autem hunc biographi locum illustrare coepimus, ejus cetera in transitu vi-

Digitized by Google

deamus. *In qua*, inquit, *venerabile corpus .. Salvatoris colebatur.* In ſuo Graeco exemplari σῶμα certe i.e. *corpus* interpres legit, aut legiſſe ſibi viſus fuit. Quid ſi vero ibi σῆμα (h. e. *ſepulcrum*) eſſe debuit? Id certe magis conſentaneum, ut Chriſti ſepulcrum (Hieroſolymitanae ſcil. Anaſtaſi a Conſtantino aedificatae ſimile) in ea inſula honoratum fuiſſe credamus. Cui correctioni alter vitae (27) locus favet. Quod ſi Σῶμα [*corpus*] rectum eſſe malumus, tum Servatoris corpus nō qualecumque ſed in ſepulcro jacentis accipiendum erit. *In qua* insula, inquit, *venerabile corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris* (ſupple: In ſepulcro jacentis, ut Hieroſolymis) *colebatur & colitur*. Ex ultimis hiſce verbis licebit deprehendere, Graecum ſcriptorem diutule poſt Patriciae obitum iſta ſcripſiſſe: & olim, inquit, tunc colebatur, & uſque in hodiernum diem colitur. Qui extrema narratione addit, ex eo factum, ut quo tempore haec vita prior ſcribebatur, tota inſula SALVATOR diceretur: quod hinc tantum diſcimus, & pulchre cum vitis Athanaſii duabus congruit, in quibus *Inſula Salvatoris* nominatur. Ac de vita Graeca & antiquiore ſatis. De vita poſteriore, quae cuidam Leoni presbytero inſcribitur, hoc addam, quod is quoque S. Patriciam in *Inſula Salvatoris* mortuam tradit, ibique monaſterium fuiſſe ſcribit.

Nunc quandoquidem tum Leo presbyter, tum uterq. vitae Athanaſianae ſcriptor, monaſterium in ea inſula memorarunt; de ejus antiquitate videamus. Exſtabat id monaſterium quo tempore S. Patricia ad Neſidem, ſive Inſ. Salvatoris appulit, h.e. ſaeculo VII. ſub Conſtante Aug. Mox ſub idem tempus Neſidani [I] monaſterii Beda meminit. Sed & Joannes diac. in Athanaſii vita pluries monachorum inſulae Salvatoris commeminit. Verum vitae Athanaſianae longioris ſcriptori (quem XI. facile ſaeculo eam vitam elucubraſſe, alibi [II] copioſe oſtendimus) eſt habenda gratia, quod collapſam ejus monaſterii diſciplinam [quae VII. ſaeculo floruerat, uti vidimus] ab Athanaſio inſtauratam tradiderit. Adi ſis eam vitam

apud

(27) In ead. Graecae vitae interpretatione num. 6. S. Patricia antequam CPoli diſcederet, magnàm facultatum partem *egenis diſtribuit; reliquam vero ſecum aſportavit, volens ad viſitandum SEPVLCRVM* (& quidem Hieroſolymitanum, ut num. 16. exponitur) *Domini noſtri ire.* Sed divino nutu in Neſidem appulit, ubi, credo, & σῆμα [*Sepulcrum*] Domini invenit, ibique mortalitatis ſpolium exuit. Ergo & num. 7. [quem locum ſupra recitavi] ab auctoris manu σῆμα, non σῶμα fuerit.

Non diſſimulabo in hoc quoque Graeco ſcriptore *Inſulam Salvatoris* nuncupari: *In inſula, quam vocatis Salvatoris.*

(I) Sebaſt. Bartolus in Neap. Gymnaſio profeſſor anatomes, vir ut illis temporibus ſatis eruditus, tom. 2. pag. 93. Thermologiae (quam Neap. ann. 1679. edidit) in Beda legi haec verba prodidit: *Neſidanum monaſterium haud procul Neapoli Campaniae.* Eum locum in Beda reperire non licuit; nec enim Bartolus librum Bedae indicavit, contentus tantum ſic conqueri: *De quo monaſterio nihil aliunde conſtat.* Verum haud aliud ab eo monaſterio fuit, quod in *inſula Salvatoris* (quae eadem ac Neſis eſt) S. Patricia reperit, cujuſq. collapſam diſciplinam Athanaſius reſtituit. Id *Monaſterium Salvatoris* vocabatur, uti mox ex longiore S. Athanaſii vita docebimus.

Quem Bedae locum ſi cui obſervare licuerit; is viderit, num qua ibi *Salvatoris* mentio: quae ſi infit, cauſa finita erit. Interim quod id monaſterium non *Neſidenſe* (nam a *Neſis* fiebat derivativum *Neſidenſis*) Beda vocat, ſed *Neſidanum* (quod non niſi a recto *Neſida* deſcendit) id argumento eſt, VII. ſaeculo jam id nomen primae declinationis evaſiſſe. Porro ex *Neſida* (*Eta* ut I pronuntiato) factum eſt *Niſida*; tandem (media in tenuem commutata) ortum eſt hodiernum *Niſita*.

(II) Vita S. Athanaſii longior ſolet a noſtris ſcriptoribus Petro ſubdiacono tribui; non quidem illi Caſinenſi monacho, qui de viris illuſtrib. Caſin. ſcripſit, ſed antiquiori, ſi vera eſt Mari (in ſuo de Caſinenſ. ſcriptorib. ſupplemento) ſententia. Mihi prologum (in quo inlaudibus Neapolis multus eſt) legenti fuiſſe Neapolitanus videtur: quem quidem non antiquiorem ſaeculo XI. fuiſſe, in ſuperiore Diſſert. hiſtor. Par. I. cap. 4. Adnot. 29. p. 36. & ſeq. oſtendi. In rebus Athanaſii interdum diverſus a Chronographo Joanne abire videtur: ſed ita ut inter eos coire amicitia queat.

Digitized by Google

apud Boll. ad XV. Jul. num. 14. ubi haec verba reperies. *In insula Salvatoris vocabulo cognominata, quae a NEAPOLI VIX DVODECIM DISTAT STADIIS* [hic locus de modo distantiae difficillimus in subjecta *Procursione* enodabitur] *quamquam multis retro annis a Monachis in cellis consistentibus in propria a singulis voluntate incoleretur; illuc frequenter properans, crebra exhortatione illos admonens, unum super illis vice pastoris in coenobio degentibus Abbatem* (III) *constituit, qui eos regulari sub districtione foveret: ad quorum quotidianos sumptus ecclesiam B. Luciae Mart. in perpetuum cessit habendam cum omnibus rebus suis*. Deinde num. 21. *de sancti* [IV] *Salvatoris Abbate* memorat.

Et id quidem monasterium insulae summum verticem infedisse, tum ex S. Athanasii ascensu (*ASCENDIT insulam*, inquit, Jo: diac. cujus vide locum initio hujus cap.) suadetur, tum ex eo maxime, quod id cacumen prae ceteris insulae locis priscarum fabricarum ruderibus & parietinis sit refertissimum.

Hactenus de Monasterio S. Salvatoris in Neside sito dicta sufficerent, nisi ex Capacio didicissem id monasterium ineunte XIII. saeculo adhuc sub Federico II. fuisse. Verum id quod causam nostram tot jam ceteroqui confirmatam rationum praesidiis, magis ac magis firmat, illud est quod in eopte monumento quod citat Capacius, locus monasterii Salvatoris INSVLA MAJOR dicitur. Nam ex eo monumento haec Noster affert: Truda, inquit, filia Domini Gregorii Domini Gaudiosi *Vendit Abbati monasterii S. Salvatoris INSVLAE MAJORIS de Neapoli* &c. Porro haec quae hic *Insula Major* vocabatur, certe comparate ad MINOREM alteram sic dicta fuit. Cumque duae non amplius insulae prope Neapolim fuerint; nulla prorsus *minor* altera praeter Megarin assignari poterat, nec MAIOR altera praeter Nesidem. Haec vero etsi Graece *Parvam Insulam* significat; tamen cum minore Megaride ἡμιπεριόδιος circuitûs comparata, *Major* vocata fuit, ut quae passibus MD. ambitur. Et tamen quae mens Capacio fuit, ut dum ista affert, hanc *Majorem insulam* in Megaride h. e. in parvo scopulo agnosceret? Tantum antecepta opinio in animis nostris valet.

Mitto jam quod siquod in Megaride satis antiquum monasterium fuerit, id non tã *Salvatoris* nomen, quam *S. Mich.* (V) *Archangeli* gessisse videatur. Mitto etiam quod

(III) Quem Athanasius monachis Salvatoris praefecit (si modo Mabillonio in Annal. Bened. ad ann. 866. n. 63. credimus) ille ipse Antonius videtur fuisse, de quo vita Athanasii longior num. 20. loquitur. Nam Athanasio custodiae tradito, cum turbae Latinorum Graecorumque eum dimitti flagitarent; *Praecipue* (ait auctor) *Antonius, vir satis idoneus, & provectae aetatis, MONACHORVM ABBAS jejuniis & aegritudine corpore jam defecto, alienis erectus manibus, cum universo Clero ad praetorium advenit*. Verum an *Salvatoris* Abbas fuerit, ἐωσχω.

(IV) Hinc vides, cur *Insula Salvatoris* diceretur: non tantum scil. quia in dominio Neapolitanae ecclesiae Salvatoris esset; verum etiam quia *Monasterium Salvatoris* gerebat: cujus nomenclaturae meminit Leo presb. vitae Patricianae posterioris scriptor his verbis num. 7. *Inter haec pervenerunt in insulam, ubi situm est monasterium in honorem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi . . . & sancta anima ejus* (Patriciae) *caelo recepta est*. Legitur eadem appellatio in charta, quam mox ex Capacio afferam.

(V) S. Gregorius in X. ep. 14. *Fustus Abbas* (certe Neapolitanus, ut patet ex alia epist.) *monasterior.* (in editis est *Monasterii* : at in Mss. probatioribb. recte num. plur.) *S. Archangeli, quod MACHARIS dicitur, atque SS. Maximi, Erasmi & Julianae, asseruit* . . . Hic equidem praestare non possum MACHARIS ipsissimum vetus insulae *Megaridos* nomen fuisse. Verum id tamen verisimillimum judico. Nam adhuc tunc vetusta nomina hae duae circa Neapolin insulae retinebant: quarum sicuti grandior atque remotior aevo S. Patriciae & Bedae adhuc *Nesis* aut *Nesida* vocabatur, sic altera vicinior sub S. Gregorio adhuc *Megaris*, sive (G in aspiratam converso) *Macharis* appellabatur. Quod si sub Gregorio Megaris *S. Archangeli* monasterium gesserit: quis credat paullo post sub S. Patricia, insulam & coenobium, abjecto priore nomine, alterum *Salvatoris* sibi arrogasse?

Digitized by Google

eadem perexigua Megaris ante Nortmannorum tempora arcem (VI) sustinere coeperit, quae etiam nunc exstat; nec proinde praeter arcem (quae quidem hodie incubat totum *Ovum*: nam sic Megaris a figura dicitur) capax frequentis monasterii scopulus is tantulus fuerit. Verum diutule ante Capacium hoc nostri imbiberant, *Salvatoris insulam* haud aliam ab ea fuisse, quae ab Ovo sibi nomen quaesivit. Cujus persuasionis originem, qua poterimus, Par. seq. expiscabimur. Nunc ad difficilem, illum Athanasianae vitae locum ita procurremus, ut id totum seorsum (28) a scaena agatur.

PARS

(VI) Arcem a rege Guilemo circ. ann. 1170. Megaridi impositam (quod falsum est; quia Rogerius arcem in insula repererat an. 1140. teste Falcone in extrema historia) adhaec eamdem a Carolo I. Andegav. ann. 1262. amplificatam, ac tandem a Roberto & Alfonso I. refectam, Capacius refert in Hist. Neap. pag. 405. ubi de Lucullano agit: quod prave semper cum Ovi insula cum aliis confundit.

(28) PROCVRSIO

In Athanasianae vitae difficillimum locum, quo Insula Salvatoris XII. tantum stadiis ab Neapoli removetur.

§. I.

An ea distantia scopulo Megaridi conveniat. Obiter de Megaridis Punica etymologia, per quam antiquissimis temporibus insulam habitatam colligitur. Duodecim stadiorum ab Neapoli distantia Megaridi non convenit, quae vix quatuor abest. Nesis autem duplo plus distat. Cum tamen aliunde constet, Insulam Salvatoris fuisse Nesidem; hinc loci difficillimi hujus explicandi necessitas oritur.

Auctor vitae longioris S. Athanasii Episc. Neap. apud Boll. ad XV. Jul. num. 14. sic memorat: *In insula Salvatoris vocabulo cognominata, quae a Neapoli VIX DVODECIM DISTAT STADIIS.* Porro cum duae tantum prope Neapolim insulae exsistant, Megaris [vulgo *Arx ovi*] & Nesis [hodie *Nisita*] utram earum scriptor iste designare voluit? De Megaride vix est quod cogitemus. Neque id exiguitatis gratia dico: quae nunc tanta est, ut eam jure Pontanus *scopulum* nuncupaverit. Etsi quae nunc [superante, uti alibi passim accidit, pelago] angustissima cernitur, eamdem antiquissimis temporibus fuisse latiorem & habitationibus frequentatam, nomen ipsum declarat. MEGARA enim Punicum nomen esse, antiqui docent; & Carthaginis pars tota habitabilis *Megara* vocabatur. Et quia Punica nomina sunt mere Hebraica; ex Heb. *Magar* [quod *Habitationem* significat] ea vox descendit. Videatur Bochartus de ejus Punici vocabuli veriloquio. Sicuti autem Carthaginis *Megara*, non raro ab aliis corrupte *Magalia* vocata videmus; idem plane & insulae Megaridi accidit, quam Plinius quidem & Martianus Capella *Megarin*, at Statius *Megaliam* nuncupavit. Haec igitur vera origo nominis hujus ὑποθέσις fuit. Aut si hoc parum arriserit, facile id fuerit ex Hesychii μεγάροις deducere. Μέγαρα Hesychius docet ab aliis definiri τὰς καταγείους οἰκήσεις [*subterraneas habitationes*] ab aliis βάραθρα h.e. *hiatus* atque *concavitates*. Atqui Megarin insulam totam specubus & cavitatibus esse perfossam, nostrorum locorum descriptores testantur. Haec obiter de Megaridis etymologia.

At inquam *Insulam Salvatoris* Megarin interpretari stultissimum esse arbitror. Quid enim? Megaris [sive *Arx ovi*] quingentis passibus ab veteris Neapolis moenibus aberat. Testis ejus distantiae Jov. Pontanus lib. II. de Bell. Neap. his verbis: *Ea arx circiter quingentos passus ab Neapoli exeso in scopulo posita, jacta mole continenti jungitur.* Nec XI. saeculo [quo vitae Athanasii auctor scribebat] alius Neapoleos situs quam sub Pontano erat. Et tamen vitae auctor tua aetate Insulam Salvatoris duodecim stadiis [h. e. milliario uno & quingentis passibus] ab Neapoli disjungebat, idest triplo distantiae ejus, quae inter Megaridem ac Neapolim a Pontano traditur.

Fortasse dixeris, ne Nesidi quidem id intervallum convenire posse: quam recto per altum itinere tribus saltem milliariis a porta Neapolitano abfuisse, non est dubium. Sane fateor. Et tamen quidquid loci hujus difficillimi fuerit; ex dictis tota hac Parte II. liquidissimum est, *Insulam Salvatoris*, cujus disciplinam Athanasius instauravit, haud plane aliam ab Nesida fuisse. Cum hoc inquam sit luce meridiana clarius; id nunc porro dabimus operam, ecquid de hoc difficillimo vitae Athanasianae loco sit decernendum.

§. II.

Utrum stadii modulus apud Neapolitanos aevo medio major fuerit. Ad loci vitae hujus

Digitized by Google

PARS III.

De SALVATORIS & LVCVLLANI nomine cum Megaride postea communicato.

CAPVT I.

SALVATORIS nomen saec. XII. coepisse cum Megaride commune fieri. Cujus rei quatuor documenta proferuntur: inter quae Ebulensis poetae elegi illustrantur. Qua adjectione Salvator unus ab altero discriminari consueverit.

Hactenus *Insulam Salvatoris* ab S. Patricia & S. Athanasio aditam haud aliam fuisse quam Nesidem, hauri infeliciter suasisse videor. Sed tamen ingenue fateor, labente XII. saeculo *Salvatoris* nomen etiam Megaridi tributum reperiri. Et hujus quidem appellationis documentum non aliud antiquius reperi, quam Falconis Benev. ad ann. 1140. Quod antequam refero, ab elegis Poetae Ebulensis ordiar, propterea quia in hujus Carmine primum ejus appellationis exemplum se mihi obtulerit. Exstat enim Petri de Ebulo *Carmen de motibus Siculis* inter

Hujus castigationem ultimum tamquam ad sacram anchoram confugium.

Duplex via patet, qua vitae Athanasianae locus sibi constare queat. Ac primum fieri potest, ut sub Neapolitanis Ducibus stadii modus amplior quam antiquitus fuerit. Quid si enim tunc stadium duplo prolixius fuerit? Nec enim stadium unius semper fuisse moduli, satis constat. Nam observatum ab viris eruditiss. Casinio, Islaeo & aliis fuit, stadium quod a Graecis Romanisque sub Caesaribus in usu fuit, duplo ferme majus, quam quo Herodotus Graecique antiquiores utebantur, fuisse. Itaque in uno gradu telluris milliaria Romana LXXV. [quae hodiernis milliariis LX. respondent] stadia vero Herodotea MC. stadia tandem Graeco-Romanorum temporum DC. numerant. Vide de his Joh. Matthiam Hasium in *Magnitudine urbium maximar.* &c. [pag. 2. & seq.] quam *Regno Davidico* adnexuit. Vtrumque Norimbergae ann. 1739. prodiit. Quae cum ita sint; quid mirum si circ. millesimum Christi annum apud Neapolitanos stadium multo forsan majoris moduli, quam sub Caesaribus fuerit? Id si est; ubi Joannes diaconus noster in S. Fortunato hujus primum sepulturae locum, [de quo nos in S. Fortunato egimus] quatuor stadiis ab Neapoli removet; quis scit an non ea quatuor stadia amplioris moduli fuerint: nec secus ista duodecim stadia, quae ex Athanasiano biographo inter insulam Salvatoris interq. Neapolim intercant, longe majus intervallum quam pro usitato stadii modo dederint? Id quidem si admittimus; tum stadia XII. non sesquimilliarium, sed tria circiter absolverint: quae [modo rectum iter per altum teneas,] satis erunt ad veram Nesidis ab Neapoli distantiam designandam & pulchre omnia procedent. Verum donec is stadii modus, duplo ferme prae antiquo prolixior, certis documentis confirmetur, alio interim cogitationem vertamus licebit.

Nec enim nisi in tentanda vitae Athanasianae emendatione spei reliquum video. Et in numero certe vitium residet. Qui numerus olim more antiquo per notas Romanas scriptus fuerat: quarum loco posteriores librarii litteras integras substituerunt. Ac laudarem equidem, si cum judicio id fecissent. Nunc vero mutilis plerumque numerorum notis ab se repertis explicationes integris elementis at fallacissimas subrogantes, quid aliud dedere operam, nisi ut errores aeternarent; quodque deterius est, quamlibet mendae suspicionem praeciderent? Ergo vitae Athanasii descriptor forsitan hasce notas reperierat, nempe XXII. Quarum quia prior denarius deperierat; is integris litteris *Duodecim* audacter scripsit. Forsitan & antiqua confertim scribendi ratio fraudi novo descriptori fuit. Nam is quidem totum ꝟ XXII. in suo exemplari reperit: sed prior denarius cum ultima vocis *Neapoli* littera coaluerat; cum interim litterae praecedentes duae [nim. OL] evanuissent. Hinc argutus sane librarius nimirum suae sagacitati indulgens, dum denarii notam priorem pro duplici littera X accipit, sibi legere visus fuit, *A Neap. vix XII. distat stadiis*: cum re vera auctor olim unico ductu scripsisset, *aneapolixxiidistatstadiis*. Ea ergo prima janua numeris depravatis patuit. Quae quidem stadia XXII. si restituerimus, ex iis milliaria duo cum dodrante fient: quae forsan vera fuit distantia ab Neside recto itinere ad portum usque Neapolitanum. Cui intervallo siquid adhuc desit; una duabusve notis additis [ut XXIII. aut XXIV. scriptum ab auctore fuerit] vera distantia huic loco restituetur. Sed veto mutari quidquam, ut qui ab expertis didicerim, paullo infra duo millia id esse intervallum. Porro quia qui ab Neapoli petebant Puteolos, ad Nesida dirigebant (Seneca ep. 53. *A Parthenope ... per altum ad Nesida direxi*) idque intervallum in maritimis itinerariis notatur, inde id auctori nostro innotuit.

Digitized by Google

inter Henricum VI. Imper. atque regem Tancredum: quod Bernae repertum, tandem anno 1746. Basileae ab Samuele Engel evulgatum fuit. Is igitur poeta circiter annum 1196. (quo libellum suum obtulisse Imperatori putatur) de Constantia Augusta Henrici conjuge, quam Salernitani Tancredo prodiderant, in custodiam tradenda sic canit lib. I. v. 945.

Vertitur in dubium, quo sit custode tuenda,
Vel quo servetur praeda tenenda loco.
Inde suos dejecit humo Matthaeus (29) *ocellos,*
In sor se referens, praemeditatus ait.
Est locus est memini mediis contentus in undis,
Quem maris ex omni parte tuentur aquae.
Quem vis naturae cumulum produxit in altum,
Qui circum scopulos sub pede rupis habet.
A vate remivaga scopulis munitur acutis,
Hinc lapis hostiles, hinc vetat unda pedes.
Qui nomen SALVATOR habet, quia credite salvat:
Tantaque sit tanto praeda tenenda loco
Cerreae (30) *placuit numur* (31) *quod dixerat ille.*
Scribitur Vrbano (32) *pagina parva viro.*
Hanc Alierne (33) *comes munito carcere serves,*
Nil super hoc Regi gratius esse putes:

Pro-

(29) Matthaeus notarius, qui ob sua in Tancredum merita Cancellarius Siciliae fuit: quem Poeta Imperatori studens, saepissime & acriter proscindit.

(30) Sic vocat Sibiliam de Medania reginam, Tancredi conjugem, Roberti Comitis Acerrarum filiam, Ricardi sororem. Acerras enim vulgo *Cerram* tunc vocabant.

(31) In Ms. legi *Numur*, testatur editor: quod ipse in *Murmur* esse refingendum, adnotat. Verum hic *murmuri* locus nullus est: nec *murmur* idem quod *Sermo*. Videndum potius an non per vestigia scripturae gradienti, *Nimium* aut quid simile extundi posse videatur. *Cerreae placuit nimium quod dixerat ille*. Certe in *nimiū* totidem sunt directi ad perpendiculum tractus, quot in *numu*. Nisi si characterum forma in Ms. alia, quam per tractus linearum directos fuerit. De quo Bernensibus, quibus codicem contemplari licet, judicium permittimus.

(32) Huic nomini V majus editor praeposuit, quasi sit proprium alterum Alierni nomen. Verum ne dubita quin sit nomen appellativum. Paullo inferius hic idem Vates, dum in Sibiliam invehitur, scripsit:

Vixeris urbanis morsque ruina tuis.

Vbi *Vrbani* sunt *cives*. Ergo & hic Aliernum [quem constat Neapolitanum fuisse] vocat Sibiliae [quam hinc arguas fuisse domo Neapolitanam] *urbanum* i. e. concivem. Quid porro mirum si Sibilia Neapolitana fuisse significetur; quando frater ejus Ricardus comes Acerrarum Neapolitanus fuerit oportet, ut qui ad defendendam ab Henrici oppugnatione Neapolim (tamquam suam patriam scil.) advolarit. Vide Capecelatr. par. 1. pag. 356.

(33) Scriptores nostri posteriores, addita littera una, *Aligernum* vocant. Capecelatrus Par. 1. pag. 358. *Ed il suo contado* (di Fondi) *fu donato dal Re Tancredi al Conte Aligerno Napoletano*: utpote de Tancredo egregie merito. Sed in veteribus chartis omnibus *Aliernus* scribitur. Ad hunc vero potissimum Sibilia scripsit, quippe cujus summa eo tempore Neapoli auctoritas esset. Exstat in Regiae Camerae Summariae chartis privilegium, quod anno 1190. Neapolitana civitas Amalfitanis concessit, cujus initium Chioccarellus in Archiep. Neap. pag. 140. produxit: at integrum a Capacio in Hist. Neap. describitur pag. 173. quod sic incipit: *In nomine Dei aeterni ann. Incarn. Dom. 1190. die nono mens. Maii VIII. Ind.* &c. Post pauca: *Idcirco nos Aliernus Cutonus* (id credo cognomen Alierno fuit), *Consules, Comestabuli, Milites, & universus populus egregiae civitatis Neapolis, provida & salubri deliberatione concilii, attendentes quid honoris, quid commodi nobilissimae civitati* (Neap.) *vos viri prudentissimi Scalenses, Ravellenses, & ceteri negociatores & campsores de ducatu Amalfiae conferatis* &c. Eique privilegio haec subscriptio subnectitur; *Ego Aliernus Cutonus subscripsi. Ego Joannes de Griffis subscripsi.* Mox octodecim consulum subscriptiones sequuntur. Ex his vides (cum sub Rogerio ducum series in Sergio desiviset) quaenam postea sub ultima Nortmannorum tempora imago reip. Neapolitanae adhuc remanserit. Nam certe Rogerius anno 1140. (uti Falco Benev. in extrema Historia narrat) suam *αὐτονομίαν* & *Libertatem* Neapolitanis reliquit.

Porro cum Neapoli summa penes Aliernum istum auctoritas esset: parum miror si Joannes Alierni filius viginti beneficia ecclesiastica

possi-

Digitized by Google

Protinus Augustam (34) *Cerrea praecipiente,*
Ad te Parthenope remus & aura vehit.

Nec dubium est quin haud de alia insula quam de Megaride poeta loquatur. Nam cum in Ms. codice poema istud picturas historiam illustrantes e regione exhibeat; hujus loci pictura, quae ex adverso visitur, hanc inscriptionem gerit: *Scribit Bigamus Sacerdos* (is est Matthaeus cancellarius, qui passim in hoc poemate *Bigamus* amarulento sarcasmo nuncupatur) *Alierno Neapolitano, ut Imperatricem in CASTRO SALVATORIS AD MARE bene custodiat*. Atqui ea appellatio (*Castrum Salvatoris ad mare*) propria (35) Megaridis per haec tempora fuit.

Imo & diu ante Henrici VI. & Tancredi tempora Megaridem *Castrum* sive *Castellum S. Salvatoris* vocatam, postea ex Falconis Beneventani historiae fine didici: qui ad ann. 1140. post descriptam regis Rogerii Neapolim ingressi pompam, ait: *Inde navigio parato, ad CASTELLVM SANCTI SALVATORIS CIVITATI PROXIMVM ascendit, & civib. Neapolitanis ibi vocatis, negotia quaedam cum illis de libertate* (*) *civitatis* (Neapolitanae) *& utilitate tractavit*. Vides hinc ante medium XII. saeculum jam huic insulae *Castri S. Salvatoris* fuisse nomen, eique proinde jam tum arcem fuisse impositam, quam tunc *Castrum* (36) aut *Castellum* vocabant: proinde non audiendum esse (37) Capacium, qui arcis hujus

possideret, de quo Innocentius III. ad Anselmum Archiep. scribens sic expostulat: *Joannes filius quondam Comitis Alierni, Ecclesiae tuae clericus, plus POTENTIA patris sui quam praedecessoris tui* (Sergii) *spontanea voluntate, ultra viginti Ecclesias in civitate Neapolitana, & in Majori ecclesia beneficium maximum* (cimeliarchatum opinor: quo nullum majus in Sede Neap. sacerdotium novimus) *proponitur obtinere*. At sciendum est, insignem eo tempore beneficiorum tenuitatem fuisse: quo permotus Sergius Archiep. beneficiatis liberam testandi facultatem sub certa lege suo diplomate anno 1183. concessit: cui diplomati apud Chioccarellum p. 139. post Sergium Archiepiscopum primus inter canonicos subscribit *Joannes* (ille idem opinor, qui a Pontifice notatus fuit) in hunc modum: *Ego Johannes Archipresbyter & Cimiliarcha sanctae sedis Neapolitanae ecclesiae subscripsi*. Hic inquam ille idem videtur, quem Pontifex sua censura taxaverat: ut qui sub eodem Cathedralis tecto Archipresbyteratum cum Cimeliarchatu, duas dignitates praecipuas, cumulaverit. At is forsitan, scribente Innocentio, Archipresbyteratu sponte aut coactus se abdicaverat. Haec obiter notasse non piguit.

(34) Constantiam Augustam sunt qui dicant numquam carceri mancipatam fuisse, sed a Tancredo sponte, nec sine muneribus, ad maritum fuisse dimissam. Hoc quidem ex scriptoribus probatioribus refellitur. Verum de carcere Neapolitano historici omnes altesilent. Itaque novum prorsus hoc certe est, quod vates Ebulensis (scriptor ceteroqui aequalis) docet, nempe eam Neapolim fuisse traductam, in insula custodiendam.

(35) Omissis aliis, Aeneae Sylvii, viri summi (qui CL. annis post poetam Ebulensem scripsit) loco dumtaxat contentus ero. Qui in Europae historia ante plus trecentos annos composita in capitis ultimi fine sic narrat: *Reformavit* (Alfonsus rex) *ARCEM* (Latine sic recte vocavit, quam ejus saeculi barbaries *Castrum* dixerat) *SANCTI SALVATORIS IN MARI* (sic aptius maluit, quam *Ad mare*) *ex OVO nuncupatam: cujus inexpugnabilis situs ad usum magnificentissimae regiae redactus est*. Contarinus in Antiq. Neap. *Dicesi che questo Castello* (dell' Ovo) *prima si domandava Castel Marino, over di Mare*.

(*) Notabilis sane locus de αὐτονομίᾳ Neapolitana, quae omni tempore nostris indulta fuit: de qua vide quae in fine Adnot. 33. attigi, plura in Auctario Diatr. III. daturus.

(36) Antiquitus *Castrum* idem quod oppidum: imo interdum urbs quaevis quamlibet populosa, si sede episcopali careret, *Castrum* voc batur: de quo vide Cangium. At XII. saltem saeculo arces quaelibet *Castra* & *Castella* vocabantur: neque apud nostros tantum, sed etiam apud exteros. Ordericus Vitalis l. 4. *Munitiones, quas Castella Galli nuncupant*.

(37) Nim. anno 1170. sub Guilelmo II. rege arcem Megaridi impositam tradit. At Falco Beneventanus aequalis scriptor, a Rogerio arcem ibi repertam testatur, ut qui *Castellum Salvatoris* vocat. Porro arcis hujus opportunitas Matthaeum Cancellarium impulit, ut de Augusta in Megaride custodienda consilium Reginae dederit.

Digitized by Google

jus exſtructionem ad ultima Normannorum tempora rejicit.

Sed & anno 1207. in Actis translationis SS. Maximi & Julianae in afceterio Domnae Romitae ſervatis parvula haec eadem inſula [in qua primo aliquantiſper ſacra pignora quieverunt] nihilo minus *Salvatoris* vocatur. Poſtremo ſaepe citatus Capacius [lib. 2. ubi de Lucullano pag. 409.] plura affert XIII. ſaeculi & temporum ſequentium monumenta, in quibus *Caſtri Salvatoris ad mare* fit mentio; nec dubium ullum eſt, quin haec ipſa ſit *Arx ovi*, ut hodie dicitur. Inter cetera haec Federicus II. apud Capacium cuidam de Tocco & Angelo de Marra ſcribens inducitur: *Quia placet Excellentiae noſtrae ut cariſſima Conſors noſtra ... in Caſtro Salvatoris ad Mare morari debeat, ... mandamus, quatenus .. Caſtrum Salvatoris quod hactenus .. cuſtodiſti, Joanni de Amato fideli noſtro aſſignes, ut illud [ſicut expedit & viderit] faciat ordinari & diſponi.*

Atque his quidem perſpectis auctoritatibus, nihil propius fuit, quam ut cum vulgo noſtrorum ſcriptorum redirem in gratiam, cumque illis faterer, illam *Salvatoris inſulam*, de qua vitae S. Athanaſii & S. Patriciae loquuntur, non aliam a Megaridis tantulo hoc ſaxo fuiſſe. Verum repreſſi me pluribus de cauſis: primum ob eas rationes quas Par. I. cap. I. & II. protuli: deinde quod eadem, quae mihi, perſuaſio tanto ante Chioccarelli (38) animum ſubiit: poſtremo quia [in quo hujus rei caput eſt] quo primum tempore Megaris in appellationis *Salvatoris* communionem pervenit, eodem tempore Neſis vetere nominis poſſeſſione adeo non deturbata cernitur, ut potius majoris dignationis praerogativa eidem acceſſerit. Etenim Neſis quid ſub Federico II. vocata fuerit, conſtat ex charta, quam cap. ſuperiore indicavimus: in qua [uti refert ex Monaſterii Virginum S. Sebaſtiani membranis Capacius in fine pag. 408.] ſub Federico II. anno 1202. Truda filia Domini Gregorii Domini Gaudioſi *vendit ABBATI MONASTERII S. SALVATORIS INSVLAE MAIORIS de Neapoli* &c. Et tamen qui ſtupor Capacii fuit, ut luculentiſſimis pro perſuaſione noſtra monumentis a ſe productis, tamen in eo ſe prorſus obfirmaverit, ut & veterem illam Salvatoris inſulam a SS. Patricia & Athanaſio aditam, & [quod longe admirabilius] oppidum ipſum Lucullanum in tantulo Megaridis ſcopulo agnoſceret! At profecto ſi *Ovum* iſtud, cui tamdiu incubamus inviti, *INSVLA MAIOR* vocabatur; rogo ecqua deinde alia circa Neapolim *minor* inſula dicenda fuerit. Verum ne dubita, quin in hoc quantilibet pretii monumento [quod Capacius protulit, ſed vim ejus minime perſpexit] de Neſide ſermo ſit, quae *Salvator Majoris inſulae* appellabatur, comparate ſcil. ad alterum *Salvatorem minoris inſulae*: quae ab Rogerii ſaltem temporibus & ipſa dici *Salvator* coepit; dum Neſis interim ab uſque ſaeculo IV. [quando Conſtantinus eam inſulam eccleſiae Neap. donavit] *Salvatoris* nomen adepta fuiſſet. Ergo ex Capacii charta diſcimus Salvatoris monaſterium Neſidenſe [cujus nim. Beda meminit, in quo S. Patricia ad ſuperos avolavit, quod S. Athanaſius reformavit] adhuc anno 1202. perduraſſe & *Salvatoris inſulae majoris* fuiſſe cognominatum.

CAPVT II.

Qua de cauſa Salvatoris nomen cum Megaride communicatum fuerit.

Bene-

(38) Sero poſt ſcriptam hanc diatribam, in Chioccarelli locum in Franciſco Carafa Archiep. incidi pag. 322. Ibi cum ſe neſcire dixiſſet, quo pacto Neſis inſula ad dominium menſae Archiepiſcopalis pervenerit, ſic addit: *Sed fortaſſe poſſeſſio Inſulae cum Caſtro, quam Conſtantinus M. eccleſiae Neap. ... donedit, Neſis inſula eſt.* Lector quod tanto ante me ſic vir diligentiſſimus conjecerit. At cetera omnia minime vidit; illudque in primis, quod quia Neſis in dominio eccleſiae Salvatoris erat, ob eam cauſam eadem *Inſula Salvatoris* vocata fuerit, uti ex Patriciae & Athanaſii vitis oſtendimus, quaeque alia ſuperiore Parte II. in apertum produximus.

Digitized by Google

Benedictus (39) Falcus cauſam appellationis hujus in quoddam Salvatoris ſacellum, quod ſuo tempore in inſula erat, confert. Cui tunc credam, ubi antiquitatem ejus ſacelli docuerit: quod videtur potius in monumentum antiquioris eccleſiae aut monaſterii ibi ſuperfuiſſe. Altiores enim ea nomenclatio radices habuerit in inſula fixas neceſſe eſt, ut quae ab XII. uſque ſaeculo uſurpata ſub Rogerio reperiatur.

Id porro magis crediderim, aliquam Neſidenſis vetuſtiſſimi coenobii propaginem exeunte XI. ſaeculo, aut ineunte XII. in Megaridis ſcopulum fuiſſe traductam, eodem *Salvatoris* vocabulo inſignitam, appellationi (cujus documenta a XII. ſaeculo cap. 1. deduximus) cauſam praebuiſſe. Et certe ineunte XIII. ſaeculo exſtiterit in ea jam Salvatoris monaſterium oportet; ſi monumentum illud, quod in fine cap. 1. modo ex Capacio recitavimus, recte accipimus. In quo cum *Abbas monaſterii Sancti Salvatoris inſulae Majoris* (nempe Neſidos) *de Neapoli* memoretur; fuerit omnino neceſſe eſt etiam *Monaſterium S. Salvatoris inſulae minoris* (h.e. Megaridos) *de Neapoli*. Nec enim illud *Majoris inſulae* quiſquam cum Capacio ad Megaridem tranſtulerit, ſcopulum μεσαδιαίον (*medii* vix *ſtadii*) ambitu cinctum; quo nullus minor circa Neapolim fuit.

Ergo anno 1202. Neſidenſe coenobium (a quo alterum Megaridis propagatum fuiſſe diximus) adhuc ſtabat, & *Majoris inſulae* vocabatur, dum interim recentius *minoris inſulae* diceretur, aut peculiari nomine *Caſtri Salvatoris ad mare*. At non diu poſt Federici II. tempora Neſidenſe ſuperfuiſſe, ex eo poteſt intelligi, quod poſtea Neſidenſis coenobii bona monaſterio minoris inſulae attributa deprehenderim; quod inferne (40) docemus in eorum gratiam, qui patriis originibus capiuntur.

CAPVT III.

Quando & qua de cauſa vetus illud Caſtrum Lucullanum agnoſci in Ovi inſula coeperit.

§. I.

Quaedam ejus appellationis origines ex conjectura adumbrantur.

Parum eſt quod his ultimis temporibus Patricianam & Athanaſianam Salvatoris inſulam pro Arce Ovi acceperint; nam eo etiam progreſſi fuere, ut eidem huic ſcopulo etiam populoſum illud Lucullanum oppidum inaedificaverint. Quandonam primum hujus abſurdiſſimae opinionis jacta fundamenta fuerint, haud habeo dicere. Sed an ducentis annis ea opinio antiquior fuerit, vehementer dubito.

Et hujus quoque erroris haud diſſimilis origo fuerit, neceſſe eſt: nec facile alia niſi quam ex monumento quodam Capaciano didici. Is igitur pag. 169. in Joanne Sergii filio, Duce penultimo (qui ad exordia ſaeculi XII. pertinere videtur) ſic ſcriptum reliquit: *Hic* (Joannes) *patri ſuccedens, Abbati Sancti SALVATORIS IN CASTRO LVCVLLANO, agrum ad mare concedit, in quo*

(39) Falcus (edit. Neap. 1680. pag. 15. in fine) ſcribit: *Nel Caſtello dell' Ovo è una cappella del Salvatore: laonde quel luoco anticamente fu chiamato l' Iſola del Salvatore.*

(40) S. Athanaſius, teſte longioris Athanaſianae vitae auctore, Monaſterio in inſula Salvatoris ſive in Neſide a ſe reformato eccleſiam S. Luciae cum omnibus bonis ſuis adnexuerat. Porro ea S. Luciae eccleſia non alia fuit, quam quae hodie *S. Lucia ad Mare* dicitur, quae vulgo ortum ſuum a Magno Conſtantino jactat: quod quamvis falſiſſimum ſit, tamen antiquitas ejus haud dubie maxima eſt; etſi an antiquitus eodem, quo nunc ſitu fuerit, valde dubito. Atqui eadem S. Luciae eccleſia diutiſſime poſt S. Athanaſium cum monaſterio *S. Petri ad Caſtellum*, quod in Ovi inſula (non vero ante Arcem Novam, uti falſo putavit Capacius) erat, unitum cernitur, ut ex chartis monaſterii S. Sebaſtiani intelligitur. Porro id S. Petri monaſterium, antea *S. Salvatoris* nomen geſſerit neceſſe eſt, ut infra dicetur; nec prorſus alio jure S. Luciae eccleſiam poſſediſſe videtur, quam quia Megaridis coenobium Salvatoris in jura omnia monaſterii Neſidenſis ſucceſſerat. Hinc nunc S. Lucia ad mare eſt patronatus coenobii S. Sebaſtiani; cum quo ſcil. Megaridis monaſterium *S. Petri ad Caſtellum* poſtremo unitum fuit.

Digitized by Google

quo Mariae Magdalenae templum aedificatum fuit extra civitatem. Ejus (41) *jura* &c. Hactenus Capacius.

Porro si verba illa, *Abbati S. Salvatoris in castro Lucullano*, fideliter, (uti verisimile est) ex membrana vetere S. Sebastiani descripsit; iis verbis notatur, ineunte XI. saeculo (quo is Joannes dux penultimus praefuerit necesse est) fuisse intra Castri Lucullani quamvis diruti ambitum quoddam S. Salvatoris coenobium a Nesidensi nominis ejusdem diversum. Idque verisimillimum est. Nam quia à Constantino tam insula Nesis, quam Castrum Lucullanum ecclesiae Salvatoris Neapolitanae donata fuerunt; decuit ut utrique possessioni *Salvatoris* nomen haereret, et utrobique monasterium Salvatoris inesset. At mox saeculo circiter XII. Lucullanensis monasterii hujus jura ad monasterium Castri ovi transiisse, ex eo intelligitur, quod S. Magdalenae Ecclesia aevo posteriore ad Megaridis coenobium S. Petri ad Castellum transiisse reperiatur, ac postremo ad S. Sebastiani asceterium. Ergo, si recte accipimus, ex ea vetere S. Salvatoris Lucullanensis in Megaridem translatione fieri potuit, ut & *Castri Lucullani* nomen illuc migrarit. Vtinam legi ea membrana possit, quam Noster vix indicavit.

Quod si haec via parum procedat; illud quidem certe *Castri* praenomen, quod a medii aevi scriptoribus Megaridi praefigitur, scriptores ultimos transversos egit, ut in Megaride vetus illud *Castrum Lucullanum* agnoverint, parum gnari, in *Castri Lucullani* praenomine oppidum muro cinctum designari, at in *Castri Salvatoris ad mare* nomine, *Arcem* ex usu illius aevi posterioris notari.

Postremo quid si coenobium *S. Petri ad Castellum* [quod in Megaride cum priore S. Salvatoris asceterio coaluit] ex Castello Lucullano traductum fuerit (quod quemadmodum suaderi possit, inferne [42] reperies) & ob eam causam *S. Petri ad Castellum* fuerit cognominatum, decurtata scil. locutione, quae integra fuerit, *ad Castellum Lucullanum*. At ex eo posteritas arguit, Castrum Lucullanum olim in Megaride stetisse.

Verum qui S. Sebastiani coenobii membranas (cum quo illud S. Petri coaluit) licuerit excutere, ab iis causam erroris hujus exspectabimus, cur scil. a nostris scriptoribus *Lucullani*, *& Megaridis* nomina habita pro synonymis fuerint.

§. II.

(41) Quae apud Capacium sequuntur, non gravabor adscribere. *Ejus* (templi Magdalenae) *jura ad D. Petri ad Castellum translata fuerant: quod coenobium ante Arcem novam erat positum* (fallitur in eo Capacius; nam re vera asceterium S. Petri ad Castellum in Megaride sub regibus Andegavensib. fuisse situm, optime ostendit Caesar de Engenio) *cum D. Sebastiani coenobio deinde conjunctum*. Hoc ultimum verissimum est.

Quae adnexio [ex Caesare de Engenio in Ecclesia S. Sebastiani pag. 224.] in hunc modum habet. Nimirum laudatus Caesar Benedictinor. coenobium, dictum *S. Petri ad Castellum*, in Ovi insula fuisse memorat: id vero postea Sanctimonialibus Dominicanis rogatu Reginae Mariae Caroli II. uxoris a Bonifacio VIII. ineunte saec. XIV. concessum fuisse, ex diplomate ejusd. Bonifacii comprobat: quod credo ab eisd. asceteriis asservari, nec enim in Bullariis reperitur. Vides igitur, coenobium S. Petri ad Castellum a Benedictinis monachis, a quibus antea possidebatur, ad asceterias Dominicanas transiisse.

At postea sub Regina Joanna II. eodem S. Petri ad Castellum asceterio [quod uti saepius dictum, in Megaride sive Ovi insula erat] hostili incursione concremato, jussu Martini V. Pont. Max. eaedem Dominicanae Sanctimoniales in hodiernum S. Sebastiani monasterium (quod item a Benedictinis monachis possidebatur) pleno jure transierunt. A cujus ultimae unionis tempore id asceterium SS. Petri & Sebastiani dici coepit.

(42) In castro Lucullano fuisse aevo Magni Gregorii quamdam *S. Petri Basilicam*, Par. I. cap. 1. ex ipsius Gregorii epistola 24. (al. 23.) libri secundi demonstravimus. In ea quidem basilica fuisse monasterium, praestare non possum, tacente Gregorio. At id a vero non abludit, ficuti & verisimile est, id fuisse monasterium S. Petri illud, quod in Megaride fuit cum cognomento *Ad castellum*.

Digitized by Google

§. II.

Vera ex Falco assignatur causa, cur ante 200. annos Megaris haberi pro Lucullano coeperit. Obiter de auctore Cryptae Puteolanae.

Jamque superiores conjecturas adumbraveram, cum opportune in mentem venit, reperisse me alicubi proditum, Ovi insulae apud vulgus *Locugliano* nomen adhuc mansisse: nec tamen auctoris recordabar. Tandem in Benedicto Falco (qui ante hos prope ducentos annos antiquitates Neap. evulgavit) id reperi: cujus vide sis (43) locum. Porro de fide Falci ullam movere suspicionem haud licet: nisi quod simplicioris ingenii, & pronior ad credulitatem fuit. Verum ne imponi quidem viro optimo in hac re potuisse arbitror. Quid enim? Insulam urbi proximam pluries a Falco aditam credo. Itaque ex vulgi ore facile eam nomenclationem discere potuit? quae nunc post duo ferme saecula exolevit. Quare cum ante duo saecula ei insulae adhuc *Locugliano* nomen haereret, idque nomen viri tunc eruditi ad Lucullum referrent; quid mirum, si per idem tempus nostri homines insulae illi nomen *Castri Lucullani* tribuere coeperint? praesertim cum & arcem [*Castrum ovi* dictam] in ea erectam viderent, & alteram appellationis partem [nempe *Lucullani*] in *Locugliano* superstitem reperirent. Is igitur fons erroris fuit. Erroris, inquam. Nam re vera *Arx* longe aliud a *Castro* est; ac postremo Castrum Lucullanum ibi plane fuisse, ubi Par. I. cap. 4. posuimus, non est amplius ambigendum.

Ceterum siquid vulgari *Locugliani* nomini tribuendum est; haud aegre dicemus, L. Lucullum villas extendisse suas ad Megaridem usque, in eaque specus fodisse illas, quarum sup. pag. 220. Adn. 28. §. 1. commemini; aut forsan verius ultra citraque montem villam continuasse unam: proinde ut inter cismontanam & transmontanam villae partem viam ad ultro citroque commeandum patefaceret, Lucullum ipsum egisse cuniculum illum, qui nunc *Crypta Puteolana*, olim *Crypta Neapolitana* dicebatur. Cumque viarum ductibus a termino, quo ducunt, nomen imponi consueverit; quia maxima villae Lucullanae pars trans cryptam erat; hinc illam ab suo auctore Lucullo *Neapolitanam* (quod Neapolim duceret) vocari decuit: sicuti nos contra *Puteolanam* vocitamus, quia (postquam abolita via vetus fuit, qua nobis per Antinianum Puteolos iter erat) ea crypta Neapolitanorum potissimum commodo cessit, Puteolos cogitantium. Ceterum nisi hanc cryptam Xerxes ille togatus (quem *suspendisse montes magnis suffossionibus* Plutarchus Adnot. 17. productus scripsit) sibi apprime opportunam perfoderit; eccui mortalium tantae rei facultas simulque voluntas fuerit, frustra quaeremus. Praesertim cum non collem unum a Lucullo perfossum Plutarchus dixerit, ubi ejus meminit, λόγῳ ἀναπεπαυμένος μεγάλοις ὀρύγμασι [*colles magnis perfossionibus suspendentis*] sed plures; ita ut non tantum de specu ad refrigerandos pisces sit capiendus Plutarchi locus, verum multo magis de hac plane regia crypta: cui & *Suspendendi* verbum, & *Magnae suffossionis* vocabulum mirifice convenit.

DIATRIBAE I. FINIS.

MONITVM

Duo monendus est lector. I. Supra Adnot. 28. pag. 221. col. 2. versu sexto ante finem, pro infra tria millia *scribe* infra duo millia: *qui error quomodo irrepserit, adhuc miror. Id autem intervallum sive terra, sive mari, ferme aequale est. Verum rectissimo ductu est accipiendum, nulla anfractuum itineris habita ratione.*

II. *Ceterum quo melius quae hac tota Diatriba disseruimus, intelligantur; totius Puteolanae regionis et* περιχώρου [viciniae] *accuratissimam informationem in aversa pagella reperies.*

(43) Bened. Falcus (recusus Neapoli cum Jo: Villano & Contarino anno 1679.) pag. 15. extrema sic habet: *Lungo le rive del mare appajono le reliquie della Peschiera di Lucullo* (has quidem piscinae reliquias quia in Megaride agnoscit, prolixe fallitur) *il qual luoco fino ad hoggi è detto* LOCVGLIANO (*id, uti par est, credimus*) .. *è da Normandi fatta fortezza; la quale essendo a similitudine di un Ovo, chiamasi Castel dell' Ovo.*

Digitized by Google

A *Crypta Puteolana.*
B *Mergellina, ſecundum quam Dognanna.*
C *Villa Vedii Pollionis. Poſt quam caput promontorii ſequitur: e cujus regione Euboea eſt, celebris ſcopulus.*
D *Crypta Sejani.*
E *Lacus Agnanus, ubi olim CASTRVM LVCVLLANVM fuit.*
F *Thermae S. Germani.*
G *Collis Antinianus.*
H *Colles Leucogaei.*
I *Sulfuraria.*
KKK *Via Puteolana ſive Neapolitana vetus.*
LLL *Via Puteolana hodierna.*
M *Aſtruni.*
NNN *Regio Balneolana, ibique Magna L. Luculli villa longe lateque diffuſa.*
O *Pilae ſive Moles.*
P *Mons novus.*
Q *Lacus Lucrinus, magna ex parte occupatus a Monte novo.*
R *Lacus Avernus.*
S *Palus Acheruſia, hodie Fuſarini lacus.*
V *Portus Julius, vulgo Mare mortuum.*
X *Piſcina mirabilis.*
Y *Arcus felix.*

DIATRIBA II.

De vocis SQVARASTASE ſignificatu. Ad Par. I. cap. 6. Adnot. 57. & ad Par. II. cap. 2. ſect. 3. Adnot. 17.

PARS I.

Chronici S. Mariae de Princ. locus de Conſtantini in Eccleſiam Neap. meritis, deque Canonicor. XIV. & Cimeliarchatus inſtitutione. FACETIARVM & de SQVARASTASE expoſitio traditur. Vox LATINE tantumdem, quod καθ' ἑρμηνείαν.

Hanc Chronici noſtri narrationem Parte I. cap. 6. (ubi ex eo chronico plurima decerpſi) miſſam feci, alibi illam daturus. Eamdem delibavi plurimis locis, ac potiſſimum in fine Diſſert. Hiſtor., cum de Canonicorum Neap. inſtitutione agerem. At hic demum integram dare placuit, ad plures quidem res pernoſcendas profuturam, fundamenti vero futuram loco ad vocis SQVARASTASE notionem percipiendam.

Ergo Chronici laudati fol. 5. initio de Conſtanti-

Digitized by Google

ſtantino (quem Chronici auctor Magnum intellexiſſe illum ex praecedentibus proditur: etſi non niſi poſteriori alii Conſtantino poſſit ea convenire narratio) ſic referre incipit. *Et dum perſepe audiret miſſam in Epiſcopali Neapolitana eccleſia, factus devotior, ipſam Neapolitanam eccleſiam multis poſſeſſionibus locupletavit & praediis ac ſtatum illius eccleſiae honeſtavit, & plurimum augmentavit, in illa faciendo inſtitui per ſanctum* (1) *Cosmum canonicos Sacerdotes ſeptem, & alios ſeptem Dyacones praebendatos, quibus praedia & poſſeſſiones Imperator ipſe donavit, nec non inſtitui fecit in eccleſia Cimiliarcham ſeu dignitatem Cimiliarchalem more primitivae eccleſiae, & metropolitanarum eccleſiarum Gretiae. Nam in omni Metropolitana* (2) *eccleſia Gretiae eſt Cimiliarcha; quia carent dignitatibus inferioribus, ſcilicet Decanus, Praepoſitus, Cantoratus, Archidiaconatus, & hujusmodi talium. Nam Cimiliarcha Graece, Latine ſonat Princeps cinerum* (3) *& ſacrorum. Qui autem bene notat effectum hujus dignitatis, & quod habet in dicta eccleſia exercere, dicto exercitio bene convenit nomen. In nulla eccleſia Italiae, immo in nulla occidentali eccleſia eſt aliqua alia eccleſia, quae tali praefulgeat dignitate, niſi Neapolitana eccleſia & eccleſia Mediolanenſis. In die autem ſancta* (4) *ſex primicerii ſex Graecarum Eccleſiarum conſtructarum in ipſa civitate, & dotatarum per Imperatorem jam dictum* (5) *tenentur venire ad dictam Neapolitanam eccleſiam* (nempe, quam proxime vocaverat *Stephaniam*) *& cantare ſeu legere ſex lecciones Graecas, & in die Reſurrectionis Dominicae tenentur dicto Cimiliarchae aſſiſtere ad cantandum in illa* (eccleſia) *CREDO IN VNVM in ydiomate Graeco. Et more Graecorum debent in dicta eccleſia ceteras facere facetias, quae dicuntur Latine* (6) *SQVARASTASE. Praedictae namque eccleſiae ſex ſunt, videlicet eccleſia ſancti Georgii ad Forum, eccleſia ſancti Januarii ad Jaconinam* (7), *eccleſia ſanctor. Joannis & Pauli, Sancti Andreae ad Nidum, Sanctae Mariae Rotundae, & Sanctae Mariae ad Coſmedin.*

Tria porro in hoc loco mihi maximam difficultatem creant: I. quid ſint *Facetiae*. II. quid *Squaraſtaſe*: III. cur τὸ *Squaraſtaſe* (vox certe Latinis auribus abſona) magis

(1) Aut ille eſt Zoſimus, quem ſub Conſtantino Magno poſuit Joannes diac. aut ſi haec [quae ceteroqui aperte ad Magnum Conſtantinum, etſi inconſulto, refert hoc chronicon] ad poſteriorem alium Conſtantinum ſint conferenda, poterunt ſane de Coſma illo accipi, qui ab Joanne diac. ponitur octavo ſaeculo, & cuidam Conſtantino aequalis dicitur. De his vide tum in fine Diſſertat. ſuperioris ſect. 3. tum alibi pluries. Ac de Cosmo hoc in Diſſertat. de Sanctis epiſcopis Neap. ſermo nobis alibi recurret.

(2) *In omni metropolitana eccleſia Graeciae* fuiſſe Cimeliarchas, nuſquam alibi, praeterquam hic legitur. Fuiſſe tamen in CPolitana majore eccleſia, non eſt dubium: cujus meminit lex fin. Cod. *de bon. auctor. judic. poſſid.* itemque Novella XL. & collatio catholicorum cum Severianis ſub eod. Juſtiniano. Etiam citimis temporibus in ead. CPolitana eccleſia Cimeliarchen fuiſſe, fidem facit quidam Maximus Mazari apud Fresnium in Graeco Gloſſario.

Obiter notabimus, Cimeliarcham a Neapolitanis ſaec. XIV. corrupte vocatum fuiſſe *Lo Cimonarcha*, uti ex noſtri Jo: Villani chronico cap. 44. conſtat, ubi hunc Chronici S. M. de Princ. locum in Neapolitanam dialectum convertit. Sic & pluries in Comite & alibi *Cimonarcha* nuncupatur.

(3) Corrige, *Princeps Caeremoniarum & ſacrorum*. Joannes certe Villanus in ſuo hujus chronici antiquioris exemplari non *cinerum* ſed *Caeremoniarum* reperit; quia ſidus ſemper ejus chronographi interpres, ex eo ſic totidem verbis expreſſit: *Principe de li cerimonii & de li ſacrificii*.

(4) Corr. ex eod. Villano: *Sabbati ſancti*; reddidit enim, *Il giorno del Sabbato ſancto*.

(5) Nim. Conſtantinum Magnum. Plures enim ſunt Neapoli eccleſiae, quae ad Magnum illum originem ſuam referunt; cum tamen liber Pontificalis in Sylveſtro, & Joan. diaconus in Zoſimo unius tantum (quam Eccleſiam Salvatoris fuiſſe diximus, poſtea vocatam *Stephaniam*) meminerit. At ſi ſapimus, has omnes origines falſi arguemus: niſi forte malumus harum aliquot ad alium poſteriorem Conſtantinum conferre.

(6) Hoc nimirum illud eſt vocabuli prodigium, de quo nunc quaerimus.

(7) Villanus aliquanto corruptius cognominat, *Ad Jaconinum*. At vera lectio eſt *Ad Jaconiam*. Nam antiquitus *Eccleſia S. Januarii ad diaconiam* vocabatur. At ſimul ac ſequior aetas *Jaconos* coepit eos interdum nuncupare, quos antiqui *Diaconos*; factum eſt ut *Ad Jaconiam* corrupte pro *Ad Diaconiam* efferretur.

Digitized by Google

gis Latiale sit quam *Facetiae*. *Facetias*, inquit, *quae dicuntur LATINE Squaraſtaſe*. Ac doleo quod nihil hic ſuppetiarum ab Joanne Villano ſit ſperandum, ut qui totum hoc de *Facetiis* deque *Squaraſtaſe* comma praetermiſerit: utrum ex ignoratione vocabulorum, an alia de cauſa, nolo affirmare. Praeſtabit ejus locum hic adſcribere. *El giorno de Paſca Reſurrectione sò tenute* (illae ſex Graecae Eccleſiae) *ad aſſiſtere al dicto Cimonarcha, & cantare a la Eccleſia il Credo, in* (8) *vulgare, ſecundo la lingua greca, & ſecundo il rito de Greci, la quale coſa hoggi è interlaſſata. Le predicte ſei Eccleſie ſono* &c.

I. Verum ne morando occidam, a *Facetiis* ordiar. *Facetiae*, niſi vehementer fallor, hic ſunt quas vulgo *Complimenti*, h. e. urbanitates & acclamationes vocant. Sane in Cyrilli Gloſſis Ἀστεῖσμα redditur *Feſtivitas*, *Eloquencia*: itemque Ἀστεῖσμοι tantumdem ſunt quod *Facetiae*. Nec dubito quin harum ἀστειισμῶν ſeu *Facetiarum* nomine illae intelligantur *Acclamationes*, quae in ſollemnibus natalitiorum, aut alterius generis conventibus Principi, Epiſcopo, aliive primariae perſonae fiebant a viris ſubditis. Quo pertinet illud Conradi de Fabaria in *De caſibus S. Galli* cap. 9. *Poſt multam Minervae Facetiam* [*dopo molti complimenti*: nam quia id officium Minervae alumnis h. e. viris diſertis tribui ſolebat, ideo *Minervae facetiam* hic auctor uſurpavit] *Poſt multam*, inquit, *Minervae facetiam, cum omni dignus poteſtate CLAMARETVR* [ſive *acclamaretur*] *a cunctis &c.* Haec de *facetiarum* notione.

II. Venio ad inconditum illud alterum *Squaraſtaſe*, quod *facetiarum* ſynonymum eſſe voluit. Scitum eſt, ſollemnes in principum palatiis conventus, qui in natalitiis ceteriſque celebritatibus cogi frequentes ſolent, a Graecis poſterioribus παρασάσεις appellari (cujus vocis copioſa exempla ſuppeditabit Graecum Freſnii Gloſſarium) quos conventus vulgo nos hodie vocamus *Le Gale*, a cultu veſtium pretioſiorum, quibus hiſce diebus utuntur, arceſſito vocabulo. Quod ſollemne παρασάσεως nomen etiam eccleſiaſticum evaſiſſe, ex Jo: Climaco Gradu 19. poteſt intelligi. Φέρε δὴ λοιπὸν καὶ ἡμεῖς ἴδωμεν τῶν ἐν ἡμετέραις παρασάσεν φὰς τὸν Θεὸν καὶ βασιλέα ποιούμεθα. *Ceterum videamus, quo pacto nos noſtram* παράσασιν (i. e. conventum, ſive ſollemnem ſalutationem) *erga Deum, quo pacto erga Principem celebremus. Come ſacciamo la corte a Dio e come al Principe.* Eodem & ἡ μαρτύρων παράσασις, quod alicubi uſurpatum reperio, pertinere videtur, ut nim. ſollemnis ille conventus, qui ad Martyrum tumbas in eorum natalitiis coit, ea locutione ſignificatus videatur.

Omnino autem ſicuti primario παράσασις notat regii comitatus atque Conventus celebritatem, ſic metonymice deſignaſſe videtur etiam acclamationes illas atque urbanitates (olim Latine *Facetias*, Graece ἀστειίσματα nuncupatas) quas ſinguli ſalutatores manum principis deoſculantes pronuntiabant, veluti Εὖ νίκα, Ζεῦς & alia ſexcenta. Eaque notione in hoc chronici loco FACETIAE (h. e. *urbanitates*, quae ſermone Graeco in Archiepiſcopum & canonicos fundebantur) vocantur παρασάσεις, *Paraſtaſes*. Nec enim eſt dubitandum quin primus chronici hujus ſcriptor *Paraſtaſes* ſcripſerit, atque ea vox poſtea corrupta a deſcriptoribus fuerit; ſive (ſi quidem vox ipſa *Squaraſtaſe* tota ex manu chronographi ipſius fuerit) id vocabulum, etſi Graecae prorſus originis, tandem apud Neapolitanum vulgus ſic miſere acceptum depravatumque fuerit.

III.

(8) Quid iſtuc *In vulgare* ſibi vult? An (quia jamdiu Graecorum natio duplicem Graecam linguam uſurpat, vernaculam unam, antiquam alteram) ſignificat utramque linguam apud Graecos presbyteros Neapolitanos valuiſſe? Id ſi Villanus vult; tum neceſſe eſſet, Graecos noſtros Graecam veterem dialectum ſibi reſervatam ad res liturgicas habuiſſe, vulgari vero uſos, uti colloquia inter ſeſe miſcerent. Sic enim hodie Graeci factitant. At hic dicitur, eos CREDO vulgari ſua lingua decantaſſe. An *In vulgare* tantumdem eſt quod, ſua ipſorum peculiari lingua, quod ſtatim ſic explicat, *Secundo la lingua greca*. Sic malo. Etſi verius ſuſpicor aliorſum hic ſpectaſſe Villanum, nempe ad adverbii LATINE ſignificationem: quod totum quale ſit, in ſequentibus dicam. Vide etiam Adnot. ſeq.

Digitized by Google

III. Jam vero illud longe majori miraculo eſt, quod hic chronographus *Paraſtaſes* inter voces Latiales referat(illas facile credo,quae in Saliari carmine uſurpatae,a Romanis ipſis non exaudiebantur) ex quo deinde ſequetur, *Facetias* Graecum fore . Sic nempe

Delphinum ſylvis appingit , fluctibus aprum .

Cui ſi mens conſtitiſſet, ſcribere debuit : *Quae dicuntur Graece* (non *Latine*) *Paraſtaſes* . Niſi potius verba luxata ſunt , ſic reponenda *Facere Paraſtaſes , quae dicuntur Latine Facetiae* . An vero , quia vox *Paraſtaſes* ex diuturno uſu Neapoli tamquam Latina evaſiſſe videbatur ; idcirco urbanitates illas trito ac vulgari vocabulo *Facetias* , *Latine* vero *Paraſtaſes* vocari , ſcriptum a chronographo fuit ? Verum neque hoc probo , ac multo minus verba eſſe transponenda , uti ſuperius conjiciebam , contendo .

Recte igitur ſcribitur : *Facere facetias , quae dicuntur LATINE Squaraſtaſe* . Quid ſi enim oſtendo τὸ *Latine* tantumdem eſſe quod κατ' ἑρμηνείαν (*interpretando*) ſive *ſermone vernaculo ?* Nam aevo ſequiore *Latinator* idem atque *interpres* erat . Hinc Petrus monachus apud Willelmum Tyrium XIII. 27. ex eo quod interpretem ageret , *Latinator* vocatur . Quidam Domuſdei apud Seldenum in Fresnio ſic ſcribit : *Godwinus accipitrarius , Hugo LATINARIVS* (i.e. *interpres* , auctore Seldeno) *Milo portarius* . Hinc apud ſcriptores Gallos paullo antiquiores *Latinier* eſt *interpres* ; ex quibus exempla non pauca idem Cangius affert in *Latinarius* . Ac ne Etruſcis quidem ſcriptoribus notio eadem (9)incognita meo judicio fuit.Itaque *Facetias* illas licebat *Latine* (h.e. interpretando) vocare *Squaraſtaſe* ; quia quod cultiores ſequioris aevi ſcriptores *Facetias* facere (h.e. complimentare) dicebant, id Neapolitanum vulgus dialecto vernacula τὸ *Squaraſtaſe* appellabat.: cujus tamen origo vocabuli a Graecis CPolitanis diu Neapoli dominatis,uti ſupra oſtendimus,fluxerat.

Hactenus de adverbio *Latine* dicta,quamvis veriſimillima videbantur; tamen pro exploratis tũ demum habenda cenſui,poſtquam recitato chronici S. M. de Princ. loco ſimilem alterum in Rituali Joannis Urſini opere deprehendi , in quo eadem plane res ita narratur , ut tamen pro *Latine* uſurpetur *Vulgariter* : de quo loco , ut & de aliis ejuſdem generis porro videamus .

P A R S II.

Eadem τὸ Squaraſtaſe et τὸ Latine notio ex Ritibus Joannis Urſini certiſſime confirmatur.

Poſtquam ſuperiora ſcripſiſſem , incidi in Joannis Vrſini Archiep.Neap. collectionem ritualem , de qua ſupra Parte II. cap.3.ſect. 2. pluribus ediſſerui. In ejus vero collectionis excerptis Tutinianis cap.28.in feſto Reſurrectionis Domini Archiepiſcopus pontificaliter indutus antequam Miſſam incipiat, vadit cum proceſſione ab Eccleſia majore ad Eccleſiam S. Reſtitutae , ubi cantato SANCTVS PETRVS , & deinde cantato *ad tres cantus ALLELVIA cum verſu IN DIE RESVRRECTIONIS . . Dominus Archiepiſcopus . . vadit cum praedicta proceſſione ad Eccleſiam Majorem . Quo egreſſo de choro Eccleſiae S. Reſtitutae ; in navi dictae Eccleſiae* [S.Reſtitutae] *debent eſſe praeſentes Archipresbyter S.Georgii ad Mercatum, & Praesbyter* [omnino reponendum eſt *Archipresbyter*, ſicuti in fine cap. ſcribitur, ubi de CREDO Graece decantando] *S. Mariae Rotundae , qui ibidem ARCHIEPISCOPO & CAPITVLO tenentur facere LVDVM , quod VVLGARITER nuncupatur LI SQVARASTATE . Et Primicerius Eccleſiae Neapol. aſſociatus cum duobus ultimis Cardinalibus* [h.e. canonicis presb. praebendatis,quos ab Vrſino ſemper abſolute *Cardinales* vocari , alibi monuimus .] *debet exire de Choro dictae*

(9) Boccacius G. V. 9. 32. 3. *Il conte d' Alvagna della Magna chiamato in loro lingua Luffomaſtro , ch' e tanto dire in Latino* (h. e. κατ' ἑρμηνείαν , *per interpretationem* ſive ſermone vernaculo) *come Maſtro ſiniſcalco* . Benedictus Mentinus ſat. 3.

Queſta ſentenza latinando (i. e. *interpretando*) *eſpone ,*
Ma in verità nel cuor non le conſente .

Hinc etiam apud Dantem τὸ *Latino* tantumdem eſt quod *Intellectu facile*. Parad. can. 3.

Ma or m' ajuta , ciò che tu mi dici
Sicche raffigurar m'è più latino .

Digitized by Google

ctae Ecclesiae S. Restit. per exitum qui est in fine chori dextri dictae Eccles. & ire per (10) *porticale ejusdem Eccles. usque ad navim Eccles. Majoris, & ibid. exspectare .. Archiepiscopum cum processione jam dicta, & ibidem similem LVDVM dictum LI SQVARASTATE facere eid. Dom. ARCHIEPISCOPO & CAPITVLO . Quo completo .. vadit ad Altare .. incipit Missam* &c.

Libet hîc porro animadvertere, a medio aut vergente saeculo XIII. (quo antiquiorem chronographum S. Mariae de Princ. scripsisse dixi Par. I. cap. VI. ad paullo ante medium saeculum XIV. [quo Vrsiniana haec collectio Rituum prodiit] intra annos fere octoginta nonnulla ritus hujus fuisse mutata. Sed mansit locus idem, nempe Stephania, quae postea vocata est *S. Restituta*. Et quia ut id servaretur, pensi fuit; idcirco post hodiernam Cathedralem dedicatam adhuc curae fuit, ut dedita opera Archiepiscopus cum Capitulo ad S. Restitutam procederet, ut ibi scil. ritus *Squarastaticus* fieret, in quo olim fieri consueverat. Mansit, inquam locus idem, dies, & ritûs vocabulum, etsi paullo corruptius; quippe una mutata littera, dictus est *Squarastate*: nisi vero codex fallit. At nonnulla intra hos 80. annos mutata fuere; illud in primis quod ex sex ecclesiarum primiceriis tantum duarum ecclesiarum praepositi mansere in officio. Ceterum DE CREDO IN VNVM Graece decantando infra in fine capitis luculentior, quam in Chronico S.M. de Principio, fit (11) mentio. Denique ritûs istius laciniae adhuc sub Joanne Vrsino semianimes, prout in recitato Collectionis loco describuntur, hoc habent egregium, quod illud *Squarastase* tam Archiepiscopo quam Capitulo fiebat.

At duo sunt praeterea notatu dignissima: quorum primum illud est, quod ex hoc Vrsini loco mirifice id confirmatur quod supra diximus, LATINE tantumdem esse quod *κατ' ἑρμηνείαν*, h. e. *Interpretando*, seu *sermone vernaculo*; nam quod in Chronico S.M. de Princ. notatur *Latine* dici *Squarastase*, hic scribitur, *Vulgariter li Squarastase*. Recte: nam (praeter cetera ibi animadversa) apud Italos *Latinare* est *Interpretari*, seu (ut Itali dicimus) *Volgarizzare*; & Boccaccio *In Latino* tantumdem valet quod *In volgar favella*. Alterum illud est, quod quas *Facetias* chronicon S. Mariae de Princ. vocavit, has Vrsiniana collectio LVDVM bis nuncupat. Neque hic tantum, sed & cap. 23. in eisdem Vrsinianis excerptis LVDI vox usurpatur: de quo jam dicendum.

Ergo cap. 23. in Dominicae Palmarum ritu post palmas distributas sic scribitur: *Hora consueta Dom. Archiepiscopus processionaliter cum omnibus de Capitulo & praesbyteris ecclesiae ad Ecclesiam S. Georgii ire consuevit; & cum fuerit in curti dictae ecclesiae, consuevit sedere in medio dictae curtis in faldistorio associatus cum illis de Capitulo, dum ascendit Imago* (12) *Dei, & Magistri scholarum cantant in* (13) *thalamo facto ibi, GLORIA LAVS ET HONOR. Facto LVDO, Domi-*

(10) Quid *Porticale* (novum sane nomen) vocet, praestare nequeo. Si recta est lectio, videtur notare alam dextram respondentem *choro dextro*, quem supra nominaverat.

Quid si vero legendum sit *Portale*? quae vox in Fresnii Glossar. portam majorem significat, Gallis *Portail*. Tres erant portae (quae ante hos decem annos adhuc erant) per quas ex sancta Restituta in Majorem ecclesiam patebat aditus: per quarum mediam Primicerius rite ingredi ecclesiam Majorem jubetur.

(11) Sic enim in fine rituum Missae Paschalis scribitur. *Dominus Archiep. incipit CREDO in Graeco sermone, si placet, & suprad. Archipresb. S. Georgii ad Mercatum cum sociis suis, & Archipresb. S. M. Rotundae CREDO totum decantant in Graeco sermone in conspectu Domini Archiep. alta voce; & alii cantores de choro repetunt alternatim in Latino &c.*

(12) *Imago* absolute usurpata haud raro vexillum significat, cui scil. velum cum imagine aliqua appendebatur. Vide Cangium in eo vocabulo. At in Dominica palmarum quid aliud, nisi crux velata praeferebatur? Ergo tempore Passionis crux obvelata illa, Neapoli saltem, vocabatur *Imago Dei*. Ac forsitan velum, quod crucifixo oppandebatur, Christi imaginem depictam gerebat.

(13) *Thalamum* non aliud vocat, quam temporarium cubiculum (vulgo hodie *Orchestram* vocant) quod cantoribus parabatur; ne scil. turbis confluentibus in diversa distraherentur. Eo nomine utitur alibi eadem ritualis collectio cap. 17. ubi in

Digitized by Google

Dominus Archiep. intrat eccleſiam, & conſuevit incipere INGREDIENTE DOMINO. Ex quo loco pulcherrimo intelligimus *Ludi* vocabulum [quod, uti vidimus, *Facetiarum* & τῶ *Squaraſtaſe* ſynonymum erat] de iis ritibus ſive liturgicis ſive civilibus ſive mediis uſurpari conſueviſſe, in quibus conceptis verbis dicebatur, aut canebatur ultro citroque aliquid, non ſine aliqua rituali geſticulatione habituve corporis: cujuſmodi tota eſt illa παράσασις [*repraeſentatio*] quae in Dominica Palmarum adhuc fit [etſi nunc, uti ſuſpicor, parciore cum apparatu rituum atque verborum, praeut olim fiebat] dum januis clauſis, per vices hinc diſticha quaedam cantantur, illinc aliud diſtichon intercalare repetitur: quo cantu finito, haſtâ Crucis fores impelluntur, atque aperiuntur, & canitur τῶ *Ingrediente Domino*. Atque ejuſdem prorſus naturae & ingenii illum fuiſſe *ludum* ſive *facetias* ſive *Squaraſtaſe* mihi perſuadeo, quod Eccleſiarum praepoſiti Archiepiſcopo, & Capitulo, imo & Primicerius noſter cum duobus presbyteris Cardinalibus in die Reſurrectionis eiſdem Archiepiſcopo & Capitulo faciebant: quo in ludo omnia conceptis verbis ultro citroque dicebantur & invicem reſpondebatur, idque non ſine ritu quodam, & compoſito corporis habitu, itemque capitis manuumque: quae cujuſmodi fuerint, quia nulla Squaraſtatica formula ad nos uſque pervenit, univerſe tantum mente concipere & imaginari poſſumus, praeſtare non poſſumus. Ac deſcribuntur ſane in Excerptis Vrſinianis quaedam hujuſmodi in ludi ſpeciem compoſitae caeremoniales equitationes & ſimilia diverſis in locis: quas tamen *Ludos* ſive *Squaraſtaticos* ritus vocare nondum audeo. Verum ſi integra exſtaret Vrſiniana Rituum collectio, forſitan & Paſchalis παρασάσεως h. e. *repraeſentationis* [vulgo *Squaraſtaſe*] deſcriptam haberemus formulam.

Cave autem dubites, quin vulgare iſtud *Squaraſtaſe* ex Graeco παράσασις [quod celebre fuit in aula CPolitana vocabulum, quodque fideliter *Repraeſentationem*, etſi parum Latine reddideris] ad Neapolitanos noſtros manaverit, uti modo Parte ſuperiore conjiciebam. Cujus rei documento eſſe poteſt, quod in eiſd. Vrſinianis excerptis tale quiddam [quod ibi minime deſcribitur, ſed eo certe pertinet] *Repraeſentationum* vocabulo deſignatur. Nam cap. 15. in die Epiphaniae pleraque ut in die Nativitatis fieri jubentur, *Tam in Matutinis*, inquit, *quam etiam in Miſſa, excepto quod non praedicatur; addito vero quod* (in Matutinis) *cantatur poſt ultimam lectionem Evangelium FACTVM EST AVTEM: in Miſſa vero fieri debent REPRAESENTATIONES.* Hae ſunt ſcil. Graecanicae παρασάσεις, quas media Latinitas *Repraeſentationes* vocabat: etſi in Cyrilli Glóſſario παράσασις per ſimplex *Praeſentatio* redditur.

At cum, inquis, in feſto Epiphaniae hae rituales urbanitates vocentur haud inſcite *Repraeſentationes* (quippe hoc vocabulum τῇ παρασάσει recta regione reſpondet) cur non alibi quoque eodem vocabulo utitur? Imo cur ejus loco barbarum illud *Squaraſtaſe* uſurpatur? Quia, inquam, Vrſiniana collectio ex diverſis diverſorum hominum atq. temporum fragmentis ritualibus coagmentata fuit, & eiſdem plane verbis, quibus olim ſcripta fuiſſent. Hinc res eadem diverſis modis atque vocabulis explicatur, pro diverſorum ſcil. auctorum atque temporum captu.

DIATRIBA III.

De Neapolitana Colonia, & quando primum id jus acquiſierit.

Ad Par. II. cap. II. ſect. I. §. 2. pag. 102.

Parte II. cap. II. ſect. I, cum de Neapolitanorum Helleniſmo agerem; haud diu hunc perduraſſe ſtatui, quia mature admodum Neapolis jura coloniae & Romanam πολιτείαν [*civilitatem*] ſibi quaeſivit. Quod cum ibi, ne longum facerem, idoneis argumentis

in feſto Purificationis Archiepiſcopus poſt datas Canonicis & Presbyteris candelas accenſas, *aſcendit ad thalamum* (non temporarium, ſed ſtabilem) *dictae eccleſiae* (S. Mariae Majoris) *& projicere conſuevit candelas extinctas populo exſiſtenti ibidem.*

Digitized by Google

mentis demonſtrare, ac tempus converſionis ejus oſtendere ne breviter quidem potuiſſem; omnem eam tractationem huc ad totius operis calcem rejeci. Ergo hoc demum loco prius vere Neapolim inter Romanas colonias numeratam demonſtrabimus, deinde in ejus rei tempus inquiremus.

PARS PRIOR

Qua vere Neapolim inter colonias Romanas fuiſſe numeratam ſuadetur.

CAP. I.

Quid ſuperiore ſaeculo ſuper hoc Neapolitani ἀρχαιολόγοι ſenſerint.

Neapolim ſub Tito Imp. Romanam fuiſſe coloniam, ex Graeco-Latina Gymnaſii Neap. inſcriptione Tito poſita, haud certo arguitur: etſi ſaltem altero Chriſti ſaeculo id jus aſſecutam fuiſſe, ex aliis epigrammatibus conſtet. Titulus bilinguis ille Gymnaſii Tito inſcriptus ex marmoris fide corrigitur, ſuppletur & illuſtratur.

Caeſar Capacius Hiſt. Neap. I. 18. producta quadam bilingui inſcriptione Tito Veſpaſiano poſita, ex ea ſic colligit: *Ex Graecis Latiniſque characteribus Romanam dijudica coloniam*. Cui refragatur Petrus Laſena in Gymnaſio Neap. Cap. IV. p. 69. hoc argumento uſus, quod ſi colonia fuiſſet, Latino tantum charactere inſcribendus is titulus Caeſari erat. Quaſi vero non ſit id argumentum ex genere τῶν ἀναγραφόντων, uti vocat Gellius, h.e. in utramque partem valentium. Nam pari ratione obtendi poſſet, ſi tunc reſpublica Graeca fuiſſet, debuiſſe illam inſcriptionem Graece tantum exarari, nec Latino ſermone ἐκβαρβαρῶσθαι. Verum ſi quod res eſt, fateri volumus; conſuevit hoc in Graecis urbibus, at poſtea in coloniarum dignitatem provectis, ut Graeco-Latinas inſcriptiones facerent, imo & nummos [qui non niſi publica auctoritate cudebantur] bilingues ſignarent; quos apud Vaillantium, Harduinum alioſque cognoſcere, ſi cui cupido eſt, licebit. Re enim vera Grajorum urbes civilitate Romana donatae, nec ſtatim linguam in totum mutabant, & plura Graecanica inſtituta ſimul retinebant: quorum utrumque Neapoli aliquamdiu, poſtquam colonia Romana fuit, obtinuiſſe, non eſt dubitandum. Ceterum pluribus ſimul linguis rem unam inſcriptam proponere, ſicubi plures in uſu erant, Romani moris fuit, ſicuti conſtat vel ex ipſo titulo Crucis Chriſti.

Sed & idem Laſena laudat ibid. virum vetuſtatis gnarum Fabium Jordanum, cui haec ſententia infixa fuerit, Neapolim non aliud quam honorificentiam Romanae coloniae conſecutam [eamque in partem accipienda eſſe aliquot marmora, in quibus Neapolitanae coloniae mentio exſiſtit] ceterum nec in linguam moreſque Romanarum coloniarum tranſiviſſe, nec unquam Graecae reip. foederatae, ſuaeque αὐτονομίας dignitatem immutaſſe. Cui quo minus aſſentiar, facit inſcriptionum infinita multitudo, in quibus Neapoli genus omne colonicorum magiſtratuum agnoſcitur. Atque ut cetera miſſa faciam: quid quaeſo ſenatus conſulto illo egregio fiet, quod de erigenda Octavio Agathae coloniae Neapolitanae patrono ſtatua Latino non tantum ſermone, ſed & prorſus more ritúque anno Chriſti 196. factum a decurionibus Neapolitanis fuit? quod Parte II. explicabimus.

Verum, ut quod res eſt fatear, Neapolim aliquando Romanam fuiſſe coloniam pro explorato prorſus habendum; quando tamen id acciderit, id vero dubium eſt: de quo in ſequente Parte agetur. Sub Tito, aut ante Titum inter colonias fuiſſe numeratam, nec pernego nec affirmate ajo. Praeſertim cum argumentum ex inſcriptione bilingui petitum eam tantum vim habeat, ut oſtendatur, eo tempore propter advenarum confluentium multitudinem utramque Neapoli linguam fuiſſe communem, & ad Graecorum Latinorumque commodum placuiſſe eum titulum utroque ſermone perſcribi. Quamquam illud etiam dici haud injuria poteſt, non niſi aliquamdiu poſtea Latinam interpretationem ſubjectam Graeco epigrammati fuiſſe, ut infra obſervabimus.

Quandoquidem autem bilinguis ejus epigrammatis mentionem injecimus; ſciendum eſt, illud inter gymnaſii ruinas effoſſum, uti ferunt, fuiſſe: & certe ad gymnaſium pertinere, verſus quintus admonet. A Petro

Sum-

Digitized by Google

Summontio [lib.I. cap.2.] primum, deinde a Caesare Capacio [Hist. Neap. I. 18.] sed a neutro qua par erat diligentia, productum fuit. Deinde in Petri Lasenae Neapolitano Gymnasio turpiter mendosum prodiit. Postremo & in Muratoriano Thes. tom.2. pag. . . mancum ac prorsus inquinatissimum apparuit. Quocirca non ingratum viris exteris fore duxi, si, qua potuit diligentia ac versuum συμμετρία, ex marmore exceptum hoc loco proponerem; cui etiam ad latus litteris interpunctis supplementum apposui. Exstat autem is lapis monasterii Adnuntiatae, qua meridiem spectat, parieti affixus, e regione aedis S. Mariae Aegyptiacae, litteris elegantibus exaratus in hunc maxime modum, quem in adpicta forma contemplari potes.


ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΘΕΟΥ ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ ΥΙΟΝΟΥ ΘΕΟΥ ΑΠΟΓΟΝΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΤΟΝ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟ Ι
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΑΡΙΣΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ
ΤΟΝ ΔΙΑ ΠΑΝΤΟΣ ΤΟΥ ΒΙΟΥ ΑΡΙΣΤΕΥΣΑΝΤΑ
ΤΟΝ ΕΠΙ ΤΟΥ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ
ΤΟΝ ΕΠΙ ΤΟΥ ΓΥΜΝΑΣΙΟΥ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ
ΤΟΝ ΕΠΙ ΤΟΥ ΘΕΑΤΡΟΥ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ
ΤΟΝ ΕΠΙ ΤΟΥ ΘΕΑΤΡΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΠΕΡΙΒΟΛΟΥ

tur; hic tamen importunum fuisset, quippe ad lacunam implendam minus idoneum. Ex tota autem suppletorum versuum ratione satis apparet, id quod in marmore deest, ei quod supereſt, interdum par aut suppar deprehendi, ut v. 1. & 7. etc. alibi supplementum suffeciſſe parcius, ut inscriptione media, qua fracturae limes sinistrorsum vadit; sicuti contraria ratione v. ult. multo plura debuisse suppleri. Habenda quoque litterarum interdum confertiorum, alibi laxiorum ratio fuit. Hactenus de συμμετρίᾳ.

Nunc in graece nescientium gratiam praestabit priorem marmoris partem quae Graeca est, Latine totidem verbis reddere, servato minorum majorumque litterarum discrimine, quo supplementum ab iis, quae adhuc exstant, distinguatur. Sic ergo se habet, *Imperator. TITVS. CAESAr * Divi. Vesp. filius. VESPASIANVS. AVGVSTVS * Pater. patriae. tribuni*CIAE. *POTESTATIS. X. * Pontifex. Maxi*MVS. *CONSVL. VIII. CENSOR. * Coronatus* ..... (tot. scil. vicibus) *Agon*OTHETA. *III. GYMNASIARCHA * Vervii. Concussion*IBVS. *CONLAPSA. RESTITVIT.*

Restat ut aliquot supplementi partium, qua opus, rationem afferam.

Versu tertio non temere tribuniciae potestati ὁ πατὴρ πατρίδος (*Pater patriae*) praeponitur: nam etsi in Latinis apud Biragum Titi nummis anni 79. 80. & 81. ὁ P. P. [*Pater Patriae*] tribuniciae potestati subjicitur, at id non nisi ἀμέσως (*proxime*) subnectitur, & consulatui praeponitur. Deinde in marmoribus non idem semper titulorum ordo, qui in nummis. Scio *Patris patriae* titulum imperatores plus ceteris aestimasse; ut proinde non immerito Neapolitani illum ceteris praeire siverint. At quod in Latina interpretatione ὁ P. P. [*pater patriae*] in ultimum locum rejiciatur, id non levi apud me argumento est, eam interpretationem sub Domitiano epigrammati Graeco fuisse subjectam, ut infra conjiciam.

Versu quarto consulatus VIII. cū Trib. pot. X. copulatus index est anni aerae Christianae sive octogesimi sive LXXXI. ΔΗΤΕΙΜΗΤΗΣ (seu τιμητὴς, *censor*) in Titi inscriptionibus nunc primum reperio; ejusq. ut mentio fieret, coegit opinor *gymnasii restitutio* de qua mox, quae ad censoris officium pertinebat. Sicuti & Vespasianus apud Grut. 270. 2. & apud Sponium (to. 3. itiner. p. 123.) idcirco CENSOR inscribitur, quia in Gruteriana *Restitutorem aedium sacrarum* se gerit, in Sponiana *vias faciendas curavit*. Et quidem de Tito nostro scripsit Suetonius cap. I. *Triumphavit cum patre, censuramque gessit una*: idque quamdiu patris collega fuit. At post patris obitum etiam gestam ab eo censuram & hic lapis admonet, & Titi aliquot nummi, in quibus CENS. vel CENSOR legi testatur Spanhemius Dissert. XII. pag. 478.

Versu quinto illud σωφρονεῖν ὤν .. pro tigillo tantisper dum alius probabiliora doceat, posui. Illud tamen certissimum est, ante ἀγωνοθεσίαν (*agonothetae munus*) aliam quamdam gymnasticam dignitatem in marmore scalptam fuisse: quod versuum συμμετρία ostendit. Poterat de Neapolitana λαμπαδηφορίᾳ (*lampadico certamine*) cogitari, si satis ad id spatii fuisset. Ceteroqui nihil in athleticis titulis *coronarum*, earumque toties iteratarum, mentione sollemnius.

Versu sexto cur Vesuvii mentionem injecerim, ea me ratio impulit, quod cum anno Christi LXXIX. decantatissimam illam Vesuvii conflagrationem accidisse ex Dione teneamus; eamque continentibus terrae immanibus concussionibus minime caruisse, recentibus exemplis docti fuerimus; non alia quaerenda est causa, quae plures Neapolitani gymnasii partes decusserit; quas statim (ut ex tribunicia potestate X. & ex consulatu VIII. constat, anni 80. aut 81. indicibus) Titus restituit: princeps omnino Graecorum institutis indulgentissimus, imo & graece ad miraculum eloquentissimus. A quo ipso siquis Neapolim coloniam Romanam factam contenderit, nec nimium repugnabo, nec admodum affirmavero: de quo in loco dicetur.

Versu penult. cur titulus P. P. i. e. *Pater patriae* ultimo loco adscriptus fuerit [cum contra in Graeco titulis omnib. praeeat] non alia videtur fuisse causa, quam quod Latina inter-

Digitized by Google

interpretatio non ſub Tito ipſo, ſed poſtea ſub Domitiano, aut etiam ſerius adjecta marmori fuerit. Quo tempore cum ex Domitiani nummis (in quibus nuſquam ferme CENSoris & plerumque cum adjectione PERPetui mentio deeſt) animadvertiſſent, ultimo loco hos titulos ambos CENS. P. P. i. e. *Cenſor pater patriae* memorari; idem & in Tito ſibi faciendum putarunt. Ceteroqui illud quoque non levi eſt indicio, interpretationem ſerius adjectam fuiſſe, quod in Latino gymnaſticae Titi dignitates deſiderentur. Nam ubi interpretationem adnectere in mentem venit, cum non ſatis ſpatii in imo marmore relictum viderent; titulis contenti Caeſareis (quos in Graeco verſibus quatuor comprehenſos, ipſi in verſus tantum duos confertim coegerunt) ceterum officiis gymnaſticis (ad quae praeſertim Latine circumloquenda duobus verſibus opus fuiſſet) ſuperſederunt. Vel ſic tamen, tanta cautione adhibita, nihil fere in imo marmore ſpatii ſuperfuit. Adhaec poſt Titum acceſſiſſe interpretamentum, indicat etiam litterarum [multo plus Graece, quam Latine elegantium] enormis diſparitas, & quod ω A transverſaria linea in Graeco ſinuatur in angulum; ut facile appareat, diverſam fuiſſe diverſo tempore ſcalpentis manum. Cum vero ω P. P. in ultimam titulorum aciem ritu Domitianeo, uti monebam, conferatur; id argumento eſt, facile ſub Domitiano adjectam interpretationem fuiſſe. Nec alia poſtremo de cauſa Latine tunc redditum epigramma fuit, quam quod ſub eo principe Neapolis colonia Romana evaſiſſet, uti Par. II. cap. 3. notabimus. Ceterum egomet vidiſſe aliquot titulos memini, quibus e manu poſteriore ſupplementum acceſſerit.

Verſu ultimo malui VESVI, quam VESVVI ſcribere, in eo fidem marmoris in agro Capuano reperti ſecutus, in quo ſcribitur, IOVI. VESVIO. SAC. Quamvis autem VESVVIVS ſyllabis quatuor apud ſcriptores haud raro inveniatur, tamen apud eoſdem triſyllabum VESVIVS aut VESBIVS ſaepe hodiedum ſcribitur: quod VESVIVS vere trisyllabum eſſe & ex poetis patet, & ex eo quod reſpondet τῷ Βισβιος quo Graeci plerumque utuntur. Quod vero in ſupplemento voculam MONTIS adjecerim, id tum ad aequanda ſpatia feci, tum quod ſic ſemper loqui veteres ſcriptores (1) ama-

(1) *Antiquos* Veſuvii *aut* Veſvii *nomen, tamquam adjectivum, ſemper cum* Montis *vocabulo copulaſſe. Minucii locus ex ſcripto codice reſtituitur.*

Nihil apud Graecos uſitatius quam *βισβιος ὄρος*, aut quadriſyll. (ut tantum in Strabone legitur) *Ουεσσουιος ὄρος*: quaſi ſit adjectivum nomen. At ea ſyntaxis plane perpetua apud Latinos eſt, ita ſemper (quod equidem ſciam) uſurpantes, *Mons Veſuvius* aut *Vesvius*, quaſi ſi magis adjectivi quā ſubſtantivi naturam habeat. Itaque corradere ex Latinis loca omnia, quaecumque potui, libuit, ut appareat, iis non videri permiſſum aliter uſurpare. Livius VIII. 8. *Haud procul radicibus Veſuvii montis*. Val. Maximus I. 7. n. 3. *Non procul a Veſuvii montis radicibus*. Mela II. 4. *Veſuvii montis aſpectus*. Plinius III. 5. *Haud procul adſpectante monte Veſuvio*. Et XIV. 2. *Vt in Veſuvio monte*. Florus I. 16. *Montes Gaurus, Falernus, Maſſicus .. Veſuvius*. Tacitus Ann. IV. 67. *Veſuvius mons ardeſcens*. Suetonius in Tito cap. 8. *Conflagratio Veſevi montis*. Nec aliter Plinius Jun. in epiſt. de avunculi morte: *Nubes incertum .. ex quo monte (Veſuvium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur*. Infra: *A Veſuvio monte ... flammae atq. incendia relucebant*. In incerti auctoris Vita Plinii ſen. *Nubis ortae e Veſuvio monte*. Ne poetae quidem (niſi ſicubi cogat neceſſitas) *montis* vocem omittunt. Lucretius VI. 747. *Montemque Veſevum*. Virg. II. Geor. 224. *Et vicina Veſevo Ora jugo*.

Quae cum ita eſſe intelligerem; male me profecto habuit; quod Minucii Fel. locum editores corruperint, idque contra unici (quod nunc ſupereſt) exemplaris Regii fidem. Nunc ergo cap. 35. in editis (etiam in praeclara Leidenſi an. 1709. editione) ſic ſcribitur: *Sicut ignes Aetnae & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant*. Vbi cauſa nulla fuit cur Regii codicis unici auctoritas contemneretur, in quo legi teſtantur: *Hennei montis & Leſui montis*. Nam in *Hennei montis* cum H ex A ſuperne aperto (nam prima vocalis plane ut H aevo ſequiore depingebatur) venerit; facile erat corrigere, *AETNEI* (pro *Aetnaei*) *montis*. Jam vero illud *Leſui montis*, una mutata litterula, non aliud fuit, quam *VESVI* (pro *Veſvii*: nam patrio caſu I unicum pro duplici in lapidibus & Mss. obvium eſt) *montis* &c. Nec aliter ac poſtu

amaverint. Haec dum scriberem, in hoc ipsum Graecolatinum fragmentum incidi, quemadmodum a Grutero pag. 173. 8. exscribente Pighio refertur, cetera quidem correctissimum, nisi quod v. ult.... TIBVS [non... IBVS] exhibetur: ex quo facile erat intelligere, suppleri debere *terrae moTIBVS*. Verum T illud nec est, nec unquam, puto, fuit. Deinde multo plura, quam *Terrae moTIBVS*, spatia aequanda requirunt.

CAP. II.

Neapolim aliquando Coloniam fuisse Romanam ex inscriptionibus certo constat: at tempus haud perinde certum.

Plures reperio marmorum titulos in quibus aperta Neapolitanae coloniae mentio legitur. Gruterus pag. 110. 8. ex Panvinio attulit:

GENIO
COLONIAE. NEAP

Quam me copiosiorem Neapoli vidisse memini, quae, eadem an diversa a Panviniana sit, ignoro. Quam dixi longiorem, ea sic habet.

ORDO. ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS
GENIO.COLONIAE.NEAPOLITANAE

Adhaec apud Reinesium Classe VI. n. 10. & apud Capacium legitur:

M. AVRELIO. PELAGIO
PATRONO. COLONIAE. NEAPOL
PIENTISSIMO

Sunt & aliae complures, in quibus Neapolitanae Coloniae mentio luculenta fit: quas usu poscente mox dabimus.

Verum ex his Coloniae conditae tempus minime perspicitur. Quamquam, ut quod res est fatear, certissimum coloniae Neapolim deductae tempus esset, si quae tabula Neapoli in domo Hadriani Guilielmi posita a Grutero pag. 107. recitatur, ea Neapoli effossa fuisset. Quae sic incipit:

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERVM. LEX. II.

Deinde *Lex parieti faciundo* bene longa sequitur. Atqui si de Colonia Neapolitana hic ageretur, eam jam inde ab anno V. C. 558. conditam fuisse oporteret; quia si ab anno 558. annos nonaginta numeres, incides in annum 648. quo suprascripti consules processerunt. Quo pacto igitur Strabo ab urbibus ἐκβεβαρβαρωμένας (*a Graecitate abalienatis*) Neapolim excepisset? Verum hanc pulcherrimam tabulam in agro Puteolano fuisse repertam, non est dubium. Pulchre autem tempus deductae Puteolanae coloniae ab Livio signatum cum eo anno, qui hinc colligitur, congruit: de quo vide Pighianos annales.

Et tamen in indicib. Gruter. cap. X. Scaliger ex hac inscriptione tempus deductae Neapolim coloniae definit. Quod eo moneo, ut hoc exemplo viri eruditi moneantur, quam perverse judicaturi sint, si ex loco ubi lapis aliquis expositus prostat, ibidem eumdem erutum fuisse credant. Id quod potissimum in magnis urbibus valet, in quas ex tota vicinia ad harum cupediarum amatores ea monumenta portari solent, ex quibus domorum cavaedia exornentur. Itaque quos titulos descriptores nobis pro Neapolitanis propinarunt, eorum pars vix fortassis centesima ad Neapolim pertinet: quorum plurimos Puteolis, Baiis, Baulis, Miseno, Cumis, Capua, aut undelibet allatos fuisse, ex nonnullis antiquioribus schedis comperi, in quibus plerumque locus primae inventionis enotatur. Eo fit, ut cum tractu temporis locus erutorum lapidum oblivione obscuretur; nulla argumenta ad locorum illustrationem inde capi possint: nisi sicubi diserta in ipsis titulis locorum mentio fiat. Vtinam in majoris saltem momenti cippis locus effossi monu-

sui, Minucii locus refingendus omnino est: in quo VESVIVS haud minus atque AETNAEVS vim adjectivi continent, ac proinde utrumque fulcimento substantivi *Montis* sustentari visum auctori fuit. Nec alienum a Minucii consuetudine est bis idem vocabulum inculcare (*ignes Atnaei montis & Vesvi montis*) cujus moris exemplis scatet.

Ex eo vero Minucii loco etiam vides, ei quoque eleganti scriptori VESVIVS trisyllabum & adjectivum (quod & nos secuti sumus) placuisse.

Digitized by Google

numenti manu in speciem recentiore scalpatur, ne qua falsis argumentationibus ansa praebeatur.

Ex allatis porro elogiis, aliisque similibus vides tempus Neapolitanae coloniae non liquere. Verum non continuo deponenda est ejus rei cura. Jam enim Parte altera ex aliis marmoribus gestae rei tempus aut verum aut vero proximum, obstetricante industria, in dias luminis auras producemus.

PARS ALTERA

Qua per quosdam veluti gradus ad Neapolitanae coloniae epocham sursum enitimur.

CAP. I.

In Romanae civilitatis & juris coloniae possessione sub Septimio Severo & fine alterius saeculi Neapolitanos jam fuisse: sed quam dudum, nescirì.

Constat id quod dixi ex praeclaro Gruteri elogio, apud quem pag. 444. 2. cippus Neapoli positus [qui quidem olim in eadem Hadr. Guilelmi domo exstabat] describitur, incipiens in hunc modum.

C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO MESSALLA. THRASIA. PRISCO. COS

Ii anno 196. sub Severo Imp. consules processerunt, qui in legibus & fastis *Dextro II. & Prisco conf.* efferuntur. Itaque eorum nomina integra huic inscriptioni debemus. Adde quod eorum primus etiam *Calpurnii* nomen gerebat, Fabrettiano elogio [pag. 203. num. 508.] id docente, in quo legitur CALPVRN. DOMITIVS. DEXTER. COS. Quare videndum an non in nostro Neapolitano cippo singularis littera C. non tam pro *Caio* sit de more accipienda, quam pro *Calpurnio*, ac legendum sit, *Calpurnio Domitio Dextro II.* Verum his missis, cetera Neapolitani epigrammatis sic habent.

*VI. Idus. Januar. * In curia basilicae. Aug. Annian. * scribundo. adfuerunt.* Deinde post nomina curialium sic sequitur. *Quod. postulante. CN. Cujo. Pudenti * O.V.* (i. e. Optimo viro) *de. forma. inscription. dan*da* statuae. quam. dendrophor * Octavio. Agathae. P. C. N.* [h. e. patrono coloniae Neapolitanae] *statue*runt. CN. Papirius. Sagitta. et. P. Aelius. Eudaemon. II. VIR. rettu*lerunt. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.* [i.e. Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita censuerunt] *Placuit* &c.

Ergo cum anno 196. Octavius Agathas patronus coloniae Neapolitanae fuerit; necesse est, ante id tempus coloniae jura Neapolim affecutam.

Porro hic lapis unus ex iis est, qui Fabii Jordani & Lasenae jugulant prorsus sententiam [de qua Parte I. cap. 1. diximus] putantium Neapolim dicis causa coloniam fuisse, ac potius honorificam coloniae nomenclaturam sibi comparasse, quam suae rerp. statum cum Romana civilitate permutasse. Nam senatus consultum modo recitatum non modo Latinis verbis & formulis, sed & prorsus Romano ritu ac more concipitur; ut stultum sit suspicari, Graecam βουλὴν (*curiam*) in eum modum fuascita fecisse.

CAP. II.

Neapolitanam coloniam circiter Coccei Nervae principatum videri jam fuisse constitutam.

Evicimus, ante Severi principatum Neapolim evasisse coloniam: nunc, quampridem ante Septimium, id danda est opera. Ac sane sive sub Nerva Caesare, sive summum proxime post Nervae principatum jam videbatur Neapolis inter colonias numerata, si vera loquitur praestantissimum marmor Ligorianum. Nam Ligorius apud Muratorium p. 1112. n. 6. hanc exhibet epigraphen Neapoli in Castello Vetere positam, ad portam Capuanam.

L. BAEBIO. L. F. GALER
COMINIO. MIN. ...
PRAEF. FABRVM. PRAEF. AERARI. S
PRAEF. CAMPANIAE. ET. APPVLIAE
PROC. XX. HEREDITATIVM. PROC
FISCI. IVDAICI. PROC. HER. CADVCOR
PROC. VEHICVLORVM. PER. ITALIAM
AB. IMP. CAESARE. NERVA. AVGVST

Hic versus ad praecedentem, in quo *vehiculorum* est mentio, est referendus, non ad sequentem: nam huc pertinet nummi Nervae celeberrima inscriptio, VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA: sicuti & quod

quod verſu proxime ſuperiore ſcribitur, PROC. FISCI. IVDAICI, id ad alterum Nervae nummum refertur, in quo legitur: FISCI. IVDAICI. CALVMNIA. SVBLATA. Deinde in eadem inſcriptione ſequitur.

PROPR.AFRICAE.ET. AEGYP.CVRAT VIARVM.STERNENDARVM.PATRONO.COLONIAE. H.V.STAT.AENEAM
S. P. Q. NEAPOLITANVS
D. D. D

Duae illae verſus antepen. ſingulares H. V. videntur explicandae *Honorato viro*: cujuſmodi *honoratorum* plurima eſt in inſcriptionibus & Jure Romano mentio.

Hic porro L. Baebius Galeria Cominius, quem hactenus ex Ligorio cognovimus, haud diverſus ab illo eſt, quem alter Neapolitanus cippus commonſtrat, quem ex Goltzio Gruterus p. 373. 2. recitat in hunc modum:

S. P. Q. NEAPOLITANVS
L. (2) BAEBIO. L. F. GAL. COMINIO
PATRONO. COLONIE

Ergo utriuſque marmoris L. Baebius Galeria Cominius patronus Neapol. coloniae, cum ſub Nerva [ut ex priore Ligoriano conſtat] honores geſſerit; neceſſe eſt Neapolitanam coloniam aut ſub ipſo Nerva, aut circiter ea tempora fuiſſe conſcriptam. Nam potuit quidem id etiam forſitan ſub Trajano accidere. Quid enim impedit, quo minus Baebius Cominius poſt honores ſub Nerva geſtos, poſtremo ſub Trajano coloniae noſtrae tum primum factae patronus evaſerit? Potuit quidem ita fieri. Verum cur ſub Flaviis Nervae deceſſoribus & Neapolis noſtra coloniae decus ſibi quaeſierit, & ſub iiſdem Cominius, de quo diximus, in patronum Coloniae Neap. fuiſſe, facile delectus videatur, dicam ſeq. capite.

CAP. III.

Epocham Neapolitanae coloniae ſub Flaviis principibus, ac potiſſimum ſub Domitiano figendam videri. Neapolim, nullis deductis colonis, facile jura coloniae aſſecutam fuiſſe.

Vt a Baebio patrono Neap. coloniae, in quem caput ſuperius deſiit, ordiar; is ſub Flaviis principibus maxime floruiſſe videtur, non minus certe atque ille alter ejuſdem familiae *L. Baebius L. F. Gal. Avitus* [de quo Grut. p. 373. 1.] qui ſub Veſpaſiano tribunus militum fuit: quem utpote eodem praenomine tum ſuo tum patris donatum, Cominii [de quo cap. ſuper.] facile ſive fratrem, ſive patrem dixeris. Nam uterque *Lucius & Lucii filius* inſcribitur. Quocirca adeo neceſſe non eſt coloniae Neap. patronatum a Baebio Cominio [de quo dictum cap. ſuper.] geſtum ad tempora uſque Trajani differre, ut praeſtet potius ad tempora ſuperiora retrahere. Verum hoc leve eſt.

Illud profecto gravius, quod ſi ad egregium illud elogium Tito reſtitutori gymnaſii Neap. poſitum [a quo explicando prima Diatribae hujus initia proceſſere] parumper reditum facere lubeat; ex eo mihi videor aperte colligere, non ſub alio quam ſub Domitiano principe Neapolim Romanae coloniae dignitatem fuiſſe conſecutam. Quid enim? Sub Tito certe colonia non erat. Nam ſi fuiſſet; numquam ſub ultimo aut penultimo ejus anno Romanorum colonia principi illi inſcriptionem Graeco ſermone [& quidem Graeco tantum] poſuiſſet: nam Latina interpretatio marmori, ut ibi obſervavimus, poſterior acceſſit. Nec porro, ſi Neapolis ſub Tito colonia fuiſſet, ei γυμνασιαρχίαν & ceteras palaeſtricas dignitates, ſed potius duoviratum [alicubi ab Hadriano geſtum] detuliſſet. Sub Tito igitur colonia non erat. At ſtatim poſtea ſub Domitiano fuit: id quod non tantum ex Baebii Cominii patronatu coloniae Neap. quem ſub breviſſimo Nervae principatu adhuc gerebat [nam is patronatus perpetuus erat, imo & ad filios transmittebatur] intelligitur; verum & ex eo maxime quod ſub Domitiano demum [uti Parte I. cap. 1. ex Cenſoris & P.P. titulis in ultimum locum rejectis oſtendimus] Graeco elogio adjecta translatio Latina

(2) Hunc lapidem Cittadini ſchedae Canuſiae ponunt. Cujus exemplum quia altero verſu plura habet; videtur una eademque inſcriptio non tantum Neapoli, ſed & Canuſiae (for. quod Baebius domo Canuſinus eſſet) proſtitiſſe. Initium alterius verſus ex Cittadino eſt: DD. L. BEBIO. Cetera uti ſupra.

Digitized by Google

Latina fuerit. Quid enim attinebat olim ſcalptum epigramma Latine reddere, niſi quia gravitati Romanae viſum fuiſſet indecorum, ſi in Romana colonia marmor exſtaret uni ex Flaviis principibus poſitum, idque Graeco tantum ſermone conceptum? Itaque cum & hoc ab interpretatione marmoris ſub Domitiano ſcalpta petitum indicium, & patronatus coloniae a Cominio geſtus, in Domitiani maxime tempus conveniant; ſub eo potiſſimum Neapolim ex foederata republica Romanam coloniam evaſiſſe veriſimillime ſtatuemus.

Cum autem coloniam Romanam evaſiſſe dico, noli de ulla ſive veteranorum ſive civium Romanor. in eam deductione ritu conſueto facta cogitare. Nihil tale ceteris coloniis ſimile eveniſſe puto; nec enim in hanc urbem proprie *deducta* colonia [quade cauſa de Neapoli colonia facta loquens, ſedulo *Deducendi* verbo ſemper abſtinui] ſed ipſamet potius cum ſuis veteribus incolis jura coloniae acquiſiviſſe dicenda erit. Neque id vero inſolitum [ultimis ſaltem reip. temporibus] fuit. Certe cum Pompeius Transpadanas colonias conderet, tale quiddam ſecutus eſt inſtitutum. Auctor ejus rei Aſconius ad Orat. in Piſonem. *Non novis*, inquit, *colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod ceterae Latinae coloniae; ideſt ut petendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur*. Niſi quod Neapoli non jus Latii tantum, ſed plenae civitatis Romanae decus optimo maximoque jure indultum videtur; manentibus interim, uti fit, aliquamdiu quibuſdam Graecanicis inſtitutis.

CAP. IV.

Quamdiu Neapolis Romanae coloniae nomenclaturam ſervaverit.

Poſt Antonini Caracallae celeberrimam conſtitutionem, qua Romanus Orbis univerſus civitate Romana donatus fuit, inter colonias, municipia, ceteraſque imperii civitates nihil, quod adhuc ſciam, intererat. Tamen antiqui decoris oſtentandi gratia hoc factum crediderim, ut urbes haud paucae aliquamdiu coloniae Romanae nomenclaturam honorificam prae ſe tulerint. Inter quas noſtra Neapolis adhuc quarto Chriſti ſaeculo in *Coloniae* appellatione ſibi mirum quantum placebat.

Nam profecto duo epigrammata apud Gruterum leguntur: quorum alterum pag. 430. n. 6. [apud Hadr. Guilielmum olim poſitum] tale eſt.

LICINI
ALFIO. LICINIO
V. P. PATRONO. COLONIAE. EX. COMITIBVS
REGIO. THERMENSIVM. VERE. PATRONO

Alterum pag. 439. n. 6. [quod apud Leucopetram in aedibus Martyrani fuiſſe proditur] ſic incipit. *L. Munatio. Conceſſiano. V. P. PATRONO * COLONIAE. pro. meritis. ejus. erga. cives * munifica. largitate. olim. honorem. devitum* (ſic pro *debitum*) * *praeſtantiſſimo. viro. praeſens. tempus * exegit. quo. etiam. Munati. Conceſſiani * fili. ſui. demarchia. cumulatiore. ſumptu * liberalitatis. abundantia. univerſis * exibuit. civibus. ob. quae. teſtimonia * amoris. ſinceriſſimi. REG. primaria. ſplen * didiſſima. HERCVLANENSIVM. patrono * mirabili. ſtatuam ponendam. decrevit*.

Jam vero quod haſce duas inſcriptiones IV. ſaeculo videri adſcribendas dixi, id plura ſuadent: primū in utroq. elogio dignitatis nota illa, V. P. h. e. *Vir perfectiſſimus* (nam de *perfectiſſimatu* exſtat in utroque Codice titulus, & plurima paſſim mentio; de quo antea fuerat altum ſilentium) deinde illud in priore titulo *Ex comitibus*, quod aevi Conſtantiniani eſſe nemo ignorat. Mitto plura quae huc pertinent. Illud valde notabile eſt, quod in priore *Regio Thermenſium*, in poſteriore *Herculanenſium* memoratur. Has & alias regiones Neapoli fuiſſe, paſſim vetera monumenta teſtantur. *Herculenſium* exſtat etiam apud S. Gregorium M. mentio. Chriſtianis temporibus in ſingulis hiſce regionibus ſingulae Diaconiae erant, quarum unicuique ſuus diaconus regionarius praerat. Vide in ſeq, Diatr. Part. II. Adnot. 14.

Digitized by Google

AVCTARIVM

De genere πολιτείας, qua Neapolitani proxime ante jura coloniae sibi quaesita utebantur.

Postea quam partes superiores duas exarassem, venit in mentem in id etiam breviter inquirere, ecquo jure nostri, antequam ad coloniae decus perveniissent, fruerentur. Et Neapolitanos quidem a primis suae civitatis encaeniis reipublicae Graecanicae jure, ubi vero primum eisdem amicitia cum Romanis coaluisset, reip. foederatae forma gavisos, non est dubium. Quaero jam numquo alio jure vixerint proxime antea, quam coloni Romanorum circiter Domitiani tempora evaderent.

Ne quemquam longis ambagibus morer; jam tum ab anno V.C. 663. cum lege Julia civitas est sociis & Latinis data, hoc ipsum Neapolitanis (utpote sociis & bene meritis) contigisse, non est dubium. Nisi quod Cicero in illa pro Corn. Balbo, ubi de hoc negotio disserit, dubitandi ansam praebet, an non Neapolitani ἀυτονομίαν [*sui juris libertatem*] civitati praetulerint. *In quo*, ait, *magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit; cum magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferrent.* At equidem minime dubito, quin ea sententia vicerit, ut civitatem admitterent; quam praesertim cum Graecanicis institutis novo forsan exemplo copulare Neapolitanis dabatur. Vt ita censeam, nondum opinor animadversus locus Strabonis facit lib. V. prope finem. *Post Dicaearchiam* (Latinis *Putеolos* dictam) *est Neapolis.* Mox ubi de hujus Graeca origine docuisset, paucis interjectis ait: *Aliquanto post obortis dissidiis Campanos quosdam in urbem civium loco* (Neapolitani) *receperunt: coactique sunt antea inimicissimos loco familiarissimorum habere, cum suos a se abalienassent. Argumento rei sunt nomina magistratuum principio Graeca, posterioribus temporibus Campanica Graecis permixta.* Quaenam Neapoli nomina magistratuum Campana fuerint, utinam Strabo significasset: nec enim ea vocabula ad nos pervenerunt. Pergit porro de tempore, quo scribebat (nempe circa Tiberii initia) sic testificans: *Plurima tamen ibi Graecorum institutorum superſunt vestigia, ut gymnasia, epheborum coetus, fratriae, & Graeca nomina* [καίτοιγε ὄντων Ρωμαίων: sic melius scripti codices, quâ quod editū est, ὄντα Ρωμαίων] *tametsi ipsi* [Neapolitani re vera nunc] *Romani sint.* Hoc igitur vult Geographus, Graeca Neapolitanorum instituta adhuc vigentia non tantum ex gymnasiis, ephebiis, fratriisque intelligi, verum ex eo multo maxime, quod cum ipsi jam cives Romani essent, tamen Graeca sibi nomina mallent quam Romana imponere. Quid inter Graecanicam ὁμοιοθεσίαν, & Romanam trium nominum rationem usque ad Strabonis aevum religiose servatam interfuerit, nemo nescit. Ergo sub Tiberii primordiis Neapolitani, Strabone teste, jam pridem Romana civilitate fruebantur, etsi nondum Romanorum coloni essent.

Nec tantum sub Tiberio, sed diu antea sub extrema reipublicae Romanae liberae tempora nostros nihilo minus cives Romanos fuisse, Varronis verba in IV. de L.L. si recte accipiantur, significant. *FRATRIA*, inquit, *est Graecum vocabulum partis hominum, ut Neapoli* (prave antea legebatur *Apollini*: pro quo rectissime Scaliger reposuit *Neapoli*) ETIAM NVNC. Mira porro vis est in particula ultima. ETIAM NVNC, inquit Varro, cum Neapolitani civitatem Romanam nacti visuntur, tamen vocabula Graeca pristinorum institutorum retinent, et prae ceteris Graecum *Fratriae* nomen.

Ergo jam tum una cum sociis & Latinis, imo & plerisque Italicis populis (quibus etiā biennio post lege Plotia civitas indulta fuit) Neapolitani eo beneficio uti coeperunt. Vt per eadem tempora id nostris evenisse censeam, suadet similis alter ejus geographi locus prope ab initio lib. VI. Ibi de veteris illius *Magnae Graeciae* nomine atque potentia praefatus, sic expostulat: *At nunc Tarento, Rhegio & Neapoli* (adhuc tunc Graecitatem retinentibus) *exceptis, omnia in barbariem sunt redacta* [graecismo rejecto] *aliaque a Lucanis & Brutiis, alia a Campanis obtinentur: tametsi ab his quidem verbo, re autem vera a Romanis: nam & ipsi* [Lucani, Bruttii,

Digitized by Google

tii, atque Campani] *Romani sunt*: a legis nim. Juliae atque Plotiae temporibus. Itaq. etiam Neapolitani jam ab illo usque tempore eo beneficio frui coeperunt; etsi Romanam civitatem cum sua Graeca πολιτεία componentes, nondum inter eos tunc temporis numerabantur, quos induisse barbariem, Strabo conqueritur.

His jam intellectis; per hosce diversos suae πολιτείας status urbs nostra decurrit. Jam ab initio Graeca resp. libera prorsus & αὐτοχθὼν erat: deinde Romanorum foederata respublica: postea lege Julia civitatem Romanam assecuta, inter municipia opinor Graecanica (cujusmodi ab eo tempore fuere aliquot in Magna Graecia) numerabatur: postremo exeunte primo saeculo Christiano, ac facile sub Domitiano principe, coloniae Romanae decus sibi peperit: quam demum nomenclaturam (tametsi sub Caracalla cum toto orbe jure civitatis communicato) Neapolis rata perhonorificam, adhuc IV. Christi saeculo in marmoribus retinebat. Ac demum eadem sub CPolitanis principibus suam adhuc reipublicae (3) & libertatis speciem ostentabat: quam quidem libertatem eidem civitati (4) Rogerius rex asseruit: imo & pari libertate anno 1190. adhuc utebatur, ut ex privilegio Amalfitanis ab eo (5) senatu, qui tunc huic urbi praeerat concesso potest intelligi.

DIATRIBA IV.

De Ecclesiae Neap. Canonicis Cardinalibus.

Ad Par. II. cap. 2. sect. 3. p. 117. & Adnot. 15. 16. 19. 64.

PARS PRIOR

Neapolitani cardinalatus documenta ex diplomatum subscriptionibus, & ex libris ritualibus. De eo, utrum VII. an XIV. fuerint, in utramque partem disputatur.

CAPUT I.

De quadruplici qui nunc in Sede Neapolitana cernitur, Canonicorum ordine.

Nunc quidem Capitulum Neapolitanum ex triginta non amplius Canonicis componitur: ex quibus quatuordecim primitivi sunt, iidemque *praebendati* dicuntur, in septem presbyteros, totidemque diaconos distincti. Praeter hosce duos primitivos ordines, est ordo presbyterorum octo *simplicium* (quo *simplicium* additamento a praebendatis presbyteris secernuntur) ac postremo totidem subdiaconorum ordo quartus.

Et quidem sicuti primitivorum canonicor. semper definitus fuit numerus, ita ut quatuordecim non excederent; ita post millesimum Christi annum coepit aliorum praeterea addititiorũ infinitus esse numerus: quos *simplices* & supra numerum nuncupare licebit. Hic vero ordo non tantum presbyteros diaconosque continebat, sed etiam *Subdiaconos*, maxime ubi his inter majores ordines locus esse coepit: Horum igitur addititiorum post XI. saeculum semper indefinitus numerus fuit: idque usque ad Archiepiscopum Joannem Vrsinum valuit: qui demum anno 1343. cum Capituli consilio & consensu

(3) Plura afferre possem, quibus ostenderem Neapolitanae πολιτείας formam post Justiniani tempora fuisse ex aristocratia & democratia temperatam, si id nunc agerem. Satis nunc sit Joannis diac. in Translat. S. Severini testimonium luculentissimum, quod supra integrum recitavimus Diatr. I. pag. 203. *Venis dies ruinosi decreti* (de Lucullano subruendo) *in quo CONSVL & OPTIMATES, necnon & POPVLOSAE phalanges ad memorati oppidi destructionem accincti sunt.* Mox num. 13. *Postero autem die Pontifex & Clerus, DVX & OPTIMATES, passimque POPULUS universae conditionis.* Vides ut Dux, optimates, ac populus rebus omnibus non modo interfuerint, sed praefuerint. Eadem tamen Neapolitana resp. haud prorsus sui juris tunc erat, sed a Byzantinis principibus clientelae quibusdam laxioribus habenis retinebatur.

(4) Falco Benev. in extrema historia h. e. ad ann. 1140. *Ad castellum S. Salvatoris civitati proximum* (Rogerius) *ascendit, & civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quaedam cum illis de LIBERTATE* (quod nomen tum immunitatem a fiscalibus functionibus, tum etiam αὐτονομίαν notat) *civitatis, & utilitate tractavit.*

(5) Ejus privilegii initium in Diatr. I. Par. 3. Adnot. 33. protuli. Tunc rerum summam Aliernus ceu dux, & Consules complures tamquam Optimates administrabant.

Digitized by Google

canonicorum omnium numerum intra XL. coercuit, ita ut praeter praebendatos XIV, alii XXVI. *simplices essent*: de quo vide Chioccarellum pag. 222. At postremo sub Mario Caraffa Gregorius XIII. decem simplicibus canonicatibus suppressis, canonicatus tam primitivos illos XIV. praebendatos, quam ceteros *Simplices*, ultra triginta esse vetuit, datis ad id litteris die XIV. Dec. anno 1576. Itaque ab eo tempore quatuor fuere Canonicorum ordines, duo praebendatorum, sive primitivae institutionis [inter quos septeni presbyteri totidemque diaconi] duoque alii praeterea *simplicium* canonicorum, nim. presbyterorum octo totidemque subdiaconorum: quorum sedecim simplicium canonicatuum provisio ad Archiepiscopum junctim cum Capitulo pertinet. Et hi quidem quatuor ordines suis singuli hebdomadis choro deserviunt. Prima hebdomada septem diaconorum est, altera septem presbyterorum praebendatorum, tertia subdiaconorum simplicium, quarta presbyterorum simplicium.

Porro inter nostros Canonicos fuisse semper quemdam Cardinalium Ecclesiae Neap. numerum, omnes norunt. Quis verò is Cardinalium ordo fuerit, hac Diatriba expediemus. Ac scio de Neap. Ecclesiae Cardinalibus Novarinum suo Bullario, Chioccarellum episcoporum chronico, Ant. Caracciolum Monumentis Eccl. Neap. pauca admodum insperssisse: quae huc comportare non satagam; verum sicuti mei moris est, meas qualescumque potero animadversiones lectori apponam.

CAPVT II.

De Cardinalium Neap. ecclesiae antiquitate, ac perenni ejus tituli consuetudine:

Hos tantae antiquitatis esse ajo, quantam vix in vetustissimis quibusque ecclesiis reperire queas. S. Gregorius M. in V. epist. XI. ad Fortunatum episc. Neap. scribens, ei potestatem facit Gratianum diaconum constituendi ecclesiae Neapolitanae *Cardinalem*. Is tamen locus quorsum pertineat, infra viderimus. Mox octavo saeculo Stephanus II. (a quo *Stephania* nomen invenit) *Leonem cognomento Maurunta*, (inquit Joan. diac.) *Cardinalem ordinavit presbyterum*. Haec forsitan prima vestigia Neapolitani cardinalatus fuerint.

Verum familiarior ejus vocabuli usus labente saeculo XII. invaluit. Nam anno quidem 1100. ii, qui diplomati Petri Archiepiscopi subscribunt, quamvis de praecipuo Cathedralis clero (qui clerus diu postea *Capitulum* vocari consuevit) haud dubie essent, tamen ii *Cardinalis* (1) titulo abstinent. Verum anno demum 1177. inter eos qui Sergii Archiep. chartae nomen subscripsere suum, duo *presbyteri cardinales* reperiuntur: quod & sequentibus saeculis postea semper est factitatum. Vide subjectum (2) sub-

(1) Apud Chioccarellum pag. 127. ei chartae post Petrum Archiepiscopum & Sergium ducem subscribunt *Aligernus indignus Sacerdos & Primicer. S. Sedis Neap. ecclesiae*, mox *Petrus Archidiac.* ejusdem, deinde duo ejusd. diaconi, postremo tres ejusdem Subdiaconi.

Etsi, fateor, ex non usurpato *Cardinalis* titulo non continuo arguitur, eam appellationem non dum in usu fuisse. Nam Primicerius & Archidiac. etiam in secutae aetatis membranis, contenti suae dignitatis peculiari titulo, communi sibi cum aliis cardinalatûs elogio de industria supersedent. Adhaec Diaconi nusquam prorsus se *cardinales* inscripserunt: Subdiaconi multo minus. Quare ideirco hinc Cardinales absunt, quia nemo ex VII. presbyteris [qui uni sic vocabantur] tunc scribendo adfuit.

(2) *Cardinalium presbyterorum subscriptiones saeculorum trium.*

Anno, uti dixi, 1177. [apud Chioccar. p. 135.] post Sergium Archiep. & Joannem Archipresb. & Cimeliarcham signant sua nomina duo *presbyteri Cardinales S. Neap. ecclesiae*; post quos tres ejusdem diaconi, ac totidem subdiaconi, sed utrique sine *Cardinalis* titulo. Nec aliter ejusdem Sergii diplomati ann. 1183. tres *presbyteri Cardinales S. Sedis Neap.* subscribunt, ac postea sine *Cardinalis* nomenclatione ejusdem ecclesiae diaconi quatuor, subdiaconi septem.

Adhaec Anselmi diplomati ann. 1213. [apud Chioccar. pag. 146.] post Archiepiscopum, & Archiprimicerium, *presbyteri cardinales* aliquot signati reperiuntur [quorum duo sic subscribunt: *Presbyter & Cardinalis*: certe quia erant alii quidam presbyteri non cardinales] at nemo diaconorum & subdiaconorum *Cardinalis* nomen sibi arrogat.

Apud

Digitized by Google

subscriptionum syllabum. Itaque medio saltem inter annum 1100. & 1177. intervallo *Cardinalitiae* nomenclaturae in subscribendo haberi ratio coepit, ita ut id ornamenti loco apponerent.

Adhaec in tota Vrsiniana Rituum collectione nihil est *Cardinalium* vocabulo tritius: quod tamen nonnullis tantū de Capitulo, uti cap. seq. dicetur, tribuebatur. Sed & abstractum *Cardinalatus* nomen occurrit, & quaedam Cardinalium insignia: de quibus infra. Haec eadem XVI. saeculo in libro Comitis (qui magnam partem ex Vrsiniana illa συναγωγῇ fluxit) leguntur. Saeculo eodem *Cardinalium* nostrorum descriptionem elegantem dedit (3) Jul. Sanctorius in Actis synodi Alfonsi Carafae: sicuti & Hannibal de Capua in Actis Visitationis & Statu Neap. Ecclesiae commeminit. Nec unquam post id tempus ab ea appellatione cessatum fuit: nisi quod ab aliquot annis ad declinandam nominis invidiam non quidem omnes, sed plerique saltem eo elogio ultro abstinere solent, idque modestiae adscribunt: cetera de eo parum solliciti, si sic pergant, futurum tempus, quo cupientes titulum revocare, nequeant.

CAPVT III.

Quot numero ii Cardinales fuerint.

Communis hodie omnium, quicumque sacras nostras antiquitates attigerunt, sententia est, *Cardinalium* nomen peraeque ad omnes canonicos ecclesiae Neapolitanae primitivos sive praebendatos pertinere, numero XIV. quos nim. a Constantino nescio quo Imperatore chronicon S. Mar. de Princ. insti-

Apud eumd. Chioccar. pag. 157. instrumento in gratiam Dominicanorum anno 1231. celebrato post Petrum Archiep. quatuor *presbyteri Cardinales* inscribuntur, ceteri diaconi & subdiaconi eo titulo abstinent.

Postremo apud Chioccarellum eumdem exstant pag. 171. & 174. similes subscriptiones canonicorum [tum scil. anni 1270. tum 1269.] in quibus non alii post Ayglerium Archiep. nisi tantum presbyteri quidam ipse *Cardinales* inscribunt: non diaconi aut subdiaconi.

Et post quidem Ayglerii tempora chartas nullas a canonicis subscriptas Chioccarellus affert: etsi alibi plures reperiri satis scio. Huc enim maxime pertinet celeberrima Archiep. Jo. nis Vrsini Bulla, per quam cum consilio & consensu Capituli numerus Canonicorum ad XL. tantum anno 1343. restrictus fuit. Cui Bullae post Archiepiscopum & Primicerium quinque Cardinales subscribunt in hunc modum: *Ego Guillelmus Cardinalis interfui, assensi* &c. Et sic quatuor alii sine *presbyteri* titulo. Tamen eos quinque fuisse ad unum omnes presbyteros praebendatos, ex eo intelligitur quod in ejusdem Joannis Vrsini Ritibus inter diversos canonicorum ordines alii absolute *Diaconi*, alii absolute *Cardinales* (hos vero aliunde certum est fuisse presb. praebendatos) alii demum simpliciter *Canonici* (nim. qui extra quaternorum denûm numerum) nuncupentur: eaque in libro quoque Comiti consuetudo servatur. Itaque in hac Bulla post quinque Cardinales (haud dubie presbyteros praebendatos) alii diaconi atque Canonici adiiciuntur atque subscribunt. Hoc monumentum qui legere volet, adeat Visitationem S. Restitutae Hannibalis de Capua fol. 321. Idem in Archivo Capituli autographum in membrana descriptum asservatur.

Sed & in eodem Hannibalianae Visitationis S. Restitutae volumine fol. 323. & seq. inter canonicorum nomina tum initio inscripta tum in fine instrumenti subscripta, reperitur *D. Nicolaus de Composita Cardinalis*. Id quod sub Guillelmo Archiep. anno 1390. gestum fuit.

Porro in hisce trium saeculorum subscriptionibus reperias interdum qui se *Cardinalem* subscribat, sine *presbyteri* appellatione: interdum sic *Presbyter & Cardinalis*: alias *Presbyter* sine τῷ *Cardinalis*: postremo nonnumquam, *Presbyter Subdiaconus*, quippe qui ordine presbyter, at statu subdiaconus esset. Alia quoque nonnulla notatu digna notabis.

(3) Julius Sanctorius canonicae disciplinae peritissimus Alfonsi Card. Carafae vicarius in sua allocutione [quae in fine Synodi dioeces. ann. 1565. pag. 212. legitur] qua Canonicos ad chori frequentiam hortatur, haec habet: *Rogo vos & hortor, ut memineritis Ecclesiam vestram hanc esse* [obiter hic notabis ab viro egregio hodiernam Cathedralem, in qua tunc diu ante Pii V. unionem ipse alloquebatur canonicos, non hebdomadariis, quod scil. hi nostri jactant, sed canonicis uti peculium vindicari] *Ecclesiam*, inquit, *VESTRAM HANC esse, & ab illius honoribus vestrum quosdam CANONICOS CARDINALES appellari, vetusta, ut legi, nuncupatione. CARDINES autem illius esse debetis, & illam vestris humeris & exemplis subsistinere, ne sublatis* [per canonicorum in choro infrequentiam, a qua dehortatur] *CARDINIBVS, postes corruant, & superliminaria collabantur.*

Digitized by Google

institutos memorat: quorum septem presbyteri, septem diaconi fuere, & adhuc sunt. Chronici locum unum attulimus initio Diatr. II. alterum inferne (4) descripsimus. Hos, inquam, omnes XIV. fuisse olim, & nunc esse Canonicos Cardinales ajunt. Nec post Hannibalis de Capua tempora [i. e. hoc & superiore saeculo] quemquam vidi, quin id vocabulum ad illos universos XIV. porrigeret. Ac ne mihi quidem quemquam unum eorum, qui sic vocantur, diuturna ferme CL. annorum possessione dejicere est animus. Tamen quandoquidem antiquitates scrutamur; videamus ecquid ea de re senserit antiquitas.

Ac primum Archiepiscopus Hannibal de Capua in Statu Ecclesiae Neap. quem statim a Visitatione perscribendum curavit, & suae Visitationi subjecit, septem tantum canonicos *Cardinales* (5) agnovit, nempe septem presbyteros praebendatos.

Hoc ipsum diu antea Stephanus de Cajeta (qui sub Ferdinando I. rege diu Vicarius curiae Archiep. fuit) in Repetitione cap. *Ad Limina* 30. quaest. I. sensérat, aperte non alios Neapoli Cardinales agnoscens, quam septem presbyteros praebendatos, simulque testificans, suo tempore sic fuisse (6) servatum.

Porro hujus non incelebris juris antistitis sententiae plura suffragantur. I. Ac primum illae trium saeculorum subscriptiones, quas supra Adnot. 2. indicavimus, ex quibus perspicitur, saeculo XII. XIII. & XIV. (quibus per eas canonicor. subscriptiones majoris momenti negotia corroborari moris fuit) non alios quam presbyteros praebendatos inscripsisse se *Cardinales*. II. His accedit ex Vrsiniana Rituum collectione, quam Joan. Vrsinus Archiep. anno 1337. evulgavit, robur longe maximum: quam legenti vix dubium esse poterit, quin tunc temporis soli praebendati presbyteri *Cardinalium* nomine venirent; quippe cum ea in Vrsinianis Ritib. sit Capituli summa divisio, in *Diaconos* [qui semper primi nominantur] in *Cardinales* [alibi plena locutione *Presbyteros Cardinales*] atque *Canonicos*: nam qui supra illos primitivos quatuordecim in Capitulo numerabantur, ii simpliciter *Canonici* ibi vocantur. Ac ne quem taedio afficiam; qui haec plenius cognoscere avet, adeat quae

(4) In eo Chronico fol. 6. *Qui* (Canonici tunc) *numero quatuordecim non erant plures, ut plura instrumenta testantur, & in legenda B. Athanasii enarratur.* Vltima verba (ut alibi in Dissert. Par. II. monui) eo pertinent, quod in longiore S. Athanasii *Legenda*, quam nunc amisimus, quatuordecim Canonicatuum primitivorum institutio aperte ad S. Athanasium auctorem referebatur.

(5) Hannibal de Capua in *Brevi enarratione Status Metrop. ecclesiae Neap.* ann. 1682. (quae in Actis Visitationis ejus inseritur) ubi de Capitulo agit, post narratam primaevam institutionem quatuordecim tantum canonicorum, quorum septem Presbyteri, totidem Diaconi fuere, sic pergit: *Antiquis etiam monumentis habetur, olim illos septem Presbyteros fuisse Canonicos CARDINALES nuncupatos, in quorum etiam numero Archipresbyter & Archiprimicerius connumerabantur* (porro antiqua monumenta quae laudat, haud alia certe sunt quam chartarum subscriptiones similes iis, quas Adnot. 2. protulimus; quod inde etiam liquet, quod in iis interdum *Archipresb.* & *Archiprimic.* compareant) *Diaconos vero eodem Canonicorum* (non cardinalium scil.) *numero. Licet Gregorius Papa* in cap. Fraternitatem Dist. 71. *quendam Venafranae Ecclesiae diaconum in ecclesia Neap. concesserit DIACONVM CARDINALEM ordinari.* De quo Gregorii loco postea viderimus.

(6) Repetitio cap. *Ad limina*, de qua agimus, edita Neapoli fuit anno 1475. in folio majoris moduli per Judocum Venitain Spirensis dioecesf. Et quia pro more repetentium, arrepta ex cap. *Ad limina* occasione, alio digrediens, Sacramentorum plenius. tractationem exsequitur; idcirco id opus in fronte prooemii sic inscribitur: *Vtilimum & preclarissimum Sacramentale Neapolitanum, editum per ... Dominum Stephanum de Gaeta de Neapoli* &c. Opus sane raritissimum (quod tantum in biblioth. Domus professae Soc. Jesu Neap. videre licuit) nec indignum, quod ad pernoscendam ejus temporis doctrinam sacramentariam, locorumque nostrorum Sacramentales ritus, recudatur integrum.

In ejus operis prooemio fol. 2. a tergo, in fine col. 1. sic legitur: *Et in dicto cap. Fraternitatem habes, quod ecclesia Neapolitana habet Cardinales: & de facto SERVATVR quod sunt SEPTEM PRESBYTERI CANONICI CARDINALES.* Ceterum de intelligentia cap. *Fraternitatem* infra videbimus.

Digitized by Google

quae inferne (7) ſubnotavimus. III. Vrſinianae porro conſuetudines totidem plerumque verbis in Comitis librum ſaec. XVI. comportatae fuerunt: ex quo libet unicum locum (8) afferre. IV. Poſtremo ex eadem loquendi conſuetudine & illa nomina eorumdem beneficiorum abſtracta manarunt nim. ut XIV. praebendati canonicatus in VII. *Diaconatus*, totidemque *Cardinalatus* diſtinguerentur. Vide (9) locum.

CAPVT IV.

Quid in contrarium afferri poſſit, cur etiam Diaconi fuerint ex numero Cardinalium.

Praeter S. Gregorii locum [quem decrevi in ultimam aciem rejicere] qui videtur in Eccleſia Neap. agnoviſſe Cardinales dia-

(7) *Loca Rituum Vrſinianor. recenſentur de ſumma capituli partitione in Diaconos, Cardinales, atque Canonicos: in quibus non eſt dubium quin per* Diaconos & Cardinales *primitivi XIV. canonici* (*quorum VII. diaconi, ſeptemque presbyteri fuerunt*) *deſignentur; per* Canonicos *vero reliqui ſupra primaevum numerum.*

Ac principio in ipſa Rituum praefatione Vrſinus ſe eorum Rituum conſuetudines ex *depoſitionibus venerabilium virorum Diaconorum, Cardinalium, Canonicorum* didiciſſe teſtatur.

Deinde eadem diviſio diſertim docetur, ubi de Dominicis Adventus, de die Cinerum, & feſtis Nativitatis, Epiphaniae, Reſurrectionis, S. Januarii de menſe Maii, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Transfigurationis, Aſſumptionis, & Nativitatis B. M. item S. Januarii de menſe Sept. Omnium Sanctor. &c. In quibus locis interdum ſic diſtinguitur, *Diaconi, Cardinales & Canonici*: alibi ſic, *Diaconi, Cardinales, & ceteri de capitulo*: alibi [quia ſic locus requirit] Diaconi a Cardinalibus tantum diſtinguuntur. Vides quot locis *Cardinales ἀνταδιαφημίτως Diaconis* opponuntur.

Sunt porro & alia loca plurima, in quibus *Cardinalis* unius aut plurium ſine diaconis fiat mentio, nec uſquam niſi presbyter praebendatus intelligitur. Verbi cauſa in feſto Purificationis, *Vltimus*, inquit, *Cardinalis debet dicere Miſſam .. & ille idem Cardinalis ante omnia tenetur candelas benedicere*. In die Veneris Palmarum: *Et ibi* (conſuevit Archiep.) *Miſſam dicere, vel uni Cardinali committere*. Cap. 22. ſic generaliter de proceſſionibus praeſcribitur: *Quotiens .. Archiep. Miſſam dicere nolet, unus Cardinalis tenetur dicere Miſſam ex debito in omnib. eccleſiis*, ad quas proceditur: cui Cardinali *Canonicus* (ex iis ſcilqui ſunt extra numerum τῶν XIV. primitivorum: quos diſcriminis cauſa *Canonicos* ſimpliciter vocari dixi) *Canonicus*, inquit, *tenetur dicere Evangelium, & unus de choro* [ſive de XL. quibus etiam Hebdomadarii, ut alibi monui, continentur] *dicere epiſtolam*. In die Sabbati ſancti *Archiep. conſuevit .. ipſum* (Alleluja) *cantare cum Cardinali & Diacono ſibi aſſiſtentibus ad Altare*. In feſto SS. Petri & Pauli & S. Agrippini *Vltimus Cardinalis eccleſiae Neap. tenetur Miſſam celebrare*.

Ex his porro locis clariſſimis & illa minus forte perſpicua poſſunt intelligi, in quibus ſic ſcribitur: *Diaconi & presbyteri Cardinales*. In hunc vero cenſum refer haec Rituum loca. Vbi de I. Dominica Adventus cap. 4. *Debent .. ſtare in habitu conſueto, ſcil. Diaconi & Presbyteri Cardinales cum cappis clauſis & Canonici cum cottis*. Item in Matutinis Nativ. Dom. pluvialibus ſe induunt *Diaconi & Presbyteri Cardinales*. Nec aliter Sabbato ſancto pluvialibus ſe induunt *Diacones & Presbyteri Cardinales*. In feſto S. Januarii menſ. Maii *in cappella palatii congregari debent Diacones & presbyteri Cardinales*. Quibus locis nihil cauſae eſt cur quiſquam illud *Cardinales* non tantum ad proximiores *presbyteros*, verum etiam ad *Diaconos* referat. Nam cum in omnibus aliis plane locis diaconi Cardinalibus opponantur; hic etiam *ἀνταδιαφημίτως* eos inter ſe opponi neceſſe eſt.

(8) In eo quem dixi Comiti libro fol. 10. ubi agitur de ritibus Archiepiſcopi celebrantis: *Planetam induit, & cum dicit INTROIBO, omnes Dyacones, & Cardinales circa eum reverenter, quamdiu dicitur, aſtare tenentur: quo finito & Altari incenſato ponit ſe in ſede ſua .. Dyacones vero & Cardinales ad dexteram ejus & levam correſpondentes* (diaconi ſcil. ad dextram ex parte Archiepiſcopi, Cardinales ad laevam ex parte oppoſita Primicerii) *ad Chorum ſuum ſtare tenentur. Vnus vero Cardinalis* (is eſt Presbyter Aſſiſtens) *debet ſibi* (Archiepiſcopo) *ſervire in Altari, quilibet videl. per edomadam; & in ſimili per edomadam Dyacones tenentur dicere Evangelium, & per edomadam Canonici* (ſimplices) *dicere Epiſtolam*.

(9) In Bulla Joann. Vrſini de Canonicor. numero ad XL. reſtringendo [cujus autographum in Archivo Capituli eſt, quaeque in Viſitatione Hannibaliana S. Reſtitutae & ad calcem Conſtit. Capit. refertur] ſermo eſt de *Reſervatis* [collationi Archiepiſcopi] .. *praebendis Primiceriatus, Ciminarchatus* [h. e. Cimeliarchatus] *DIACONATVVM & CARDINALATVVM dictae eccleſiae Neapolitanae*.

Digitized by Google

diaconos: I. ex citerioribus saeculis huc in primis pertinet oratio quaedam, quae in chronico S. M. de Princ. fol. 8. in Processione diei omnium fid. defunctor. in choro hodiernae S. Restitutae pro Imperatore Constantino dicenda praecipitur: quae talis est. *Omnip. sempit. Deus, cujus majestati reges atque imperatores subjacent, quaesumus pro tua pietate miserere animae famuli tui divi Imperatoris Romani Constantini: qui hanc Divae Restitutae Sacratissimam aedem, canonicosque CARDINALES QVATVORDECIM in honorem tui nominis observantissime dedicavit: Per Dom. nostr...* Haec quidem processio posterior novae cathedralis encaeniis est; quia in ea tota Cathedralis nova lustrabatur, & ex ea in Sanctam Restitutam procedebatur. At nihil prohibet, quo minus oratio antiquior processione fuerit.

II. In hodierna nova Cathedrali in Sacello S. Georgii, quod Loffredorum familiae est, in arca marmorea scriptum est: *Hic jacent corpora.... et Domini Cicci Loffredi de Neapoli PRIMI DIACONI CARDINALIS Majoris ecclesiae Neap. . . . qui obiit anno Dom.* 1468.

III. Ceterum quod in Vrsinianis ritibus & libro Comitis inter diaconos, presbyteros praebendatos, ceterosque canonicos sic distinguatur ut primi *Diacones* tantum, alteri absolute *Cardinales*, ultimi absolute *Canonici* vocentur, id discriminis & brevitatis causa factum videtur.

IV. Postremo S. Gregorii M. locus ex ejus epistolis huc est afferendus, maxime cum relatus a Gratiano fuerit cap. *Fraternitatem* 5. Dist. 71. Qui locus in Pithoeana Decreti editione sic habet. *Fortunato episc. Neap. Fraternitatem tuam a nobis petiisse recolimus, ut Gratianum Ecclesiae Benasranae diaconum tuae concederemus ecclesiae CARDINANDVM. Et quoniam nec episcopum.. nec propriam habet ecclesiam hoste scil. prohibente... petitionem tuam non praevidimus differendam. Idcirco scriptis tibi praesentibus, cum necessario duximus concedendum, habituro licentiam diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, ecclesiae tuae Deo propitio constituere CARDINALEM.* Habes igitur ab exeunte usque VI. saeculo ecclesiae Neapolitanae *cardinalem diaconum*.

Verum longe alia mens Gregorio haec scribenti fuit: cui *Diaconus Cardinalis* ecclesiae cujuspiam, non alius est, quam illi ecclesiae affixus, sive *cardinatus*, & hac notione distinguitur ab alienae ecclesiae, sive clerico vago. Eâdem notione Gregorius in epistolis, ubi de Paulo episcopo Nepesino sed ecclesiae Neap. interventore agit, hunc Paulum ab episcopo Cardinali distinguit. Porro quia in Rom. Patriarchatu nulli episcopo alienae ecclesiae clericum licebat assumere, ut eum suae ecclesiae incardinaret (h.e. cardinalem faceret) inconsulto Rom. Pontifice; hinc urgente justa causa id Magnus Fortunato indulsit. At longe alia est notio *Cardinalis* quatenus dignitatem significat.

Et haec quidem vera sunt; tamen negari nequit, quin ex quo Gratiani decretum maximam in scholis auctoritatem invenit, persuasum omnibus fuerit, in ecclesia Neap. non tantum presbyteros, verum & diaconos *Cardinales* reperiri. Ex quo fit, ut longissimi temporis possessio [qua ab usque medio XV. saec. diaconi Neap. interdum eo titulo usi leguntur, nim. ab inscriptionis Cicci Loffredi temporibus] Gregoriani canonis titulo saltem colorato haec ipsa possessio niti videatur. Hinc Hannibal de Capua in Statu Eccl. Neap. [cap. superiore productus] hujus Capituli meminit: imo, quod magis mirandum, hoc ipsum a Stephano de Cajeta eopte loco allegatur, in quo cardinalatum ad VII. presbyteros praebendatos restringit, parvi pendens, in eo de diacono agi.

V. His etiam illud accedit, quod diaconi Ecclesiae Neap. aeque ac presbyteri praebendati cappis cardinalitiis utebantur, uti perspicitur ex Joannis Vrsini Ritibus: in quibus cap. 4. sic de Dominicis Adventus praescribitur: *Capitulum totum tam in vesperis quam in Matutinis quam etiam in Missa debent interesse & stare in habito consueto, scil. Diaconi et Presbyteri Cardinales cum CAPPIS CLAVSIS, et Canonici* [simplices, sive supra numerum primitivorum: qui semper absolute Canonici vocantur] *cum COTTIS*. Vides quid inter XIV. interque alios

supra

Digitized by Google

supra numerum tunc temporis interfuerit. Item extremo cap. 16. ubi de Dominica Septuagesimae: *Diacones vero & Cardinales* [i. e. presb. praebendati] *debent induere in chore cappas clausas, sicut in Adventu usque ad festum Resurrectionis Dom.* Idem praescribitur in die Cinerum. Ad haec in die Parasceves sic legitur: *Diaconus vero . . . debet stare indutus cappa clausa.* In die Lunae in Albis sic scriptum est: *Et ibidem Diacones induti cappis clausis, cum biretis in capite et sine pileis, equites debent praestolari dictum Archiepiscopum*, similiter equitaturum, pontificaliter indutum. Quocirca non nemo (10) fallitur, qui capparum usum ad solos VII. presbyteros praebendatos restrinxit.

V. Postremo illud quoque non minus diaconi quam presbyteri praebendati cum Romanis Cardinalibus commune habuerunt & hodie dum habent, quod utrique suos titulos ecclesiarum hujus urbis quondam illustrium dispertitos habent. Vtrorumque titulos inferne (11) adnotatos reperies.

(10) Dum haec scriberem, incidi in quamdam Francisci de Magistris Neapolitani canonici poeniventiarii allegationem ab hinc circiter centum annos editam. Nam quamvis annus editionis abfit, tamen ex episcopi Alexandri Russi litteris fol. 8. satis apparet, eam aut anno ipso 1653. aut sequenti fuisse conscriptam. In ea igitur allegatione fol. 3. haec verba reperiuntur: *Ex Ritibus antiquis Capituli* (Vrsinianos Ritus intelligit) *qui conservantur in Archivo Capituli . . . est, quod circa annum 1300 dum celebrabat Archiepiscopus, presbyteri Cardinales, qui sunt septem primi praebendati, tenebant & gestabant cappas seu pluvialia.* Porro si cappas cum pluvialibus confundit, fallitur: deinde si a numero gestantium cappas excludit diaconos, etiam fallitur, Vrsino ipso testante contrarium. Pergit: *Et reliqui canonici simplices gestabant superpelliceas: & sic inspiciuntur depicti in altari S. Petri Minutulorum ejusdem ecclesiae.* Postremo & hoc addit: *Domini VII. Canonici presbyteri, Cardinales* (in Ritibus Vrsinianis) *dicti, semper habiti fuerunt, prout habentur, pro dignitatibus, & omnes tenent locum primae dignitatis* (certe quia impedito Praelato, ipsi tantum in onus celebrationis succedunt) *ut patet ex dictis . . in Majoris Ecclesiae statu.* Porro *Majoris ecclesiae Status* nomine (quem saepe in hac allegatione citat) non illud satis rude & indigestum volumen postumum intellige (quod Neapoli anno 1678. a fratris filio editum, tantum partem operis priorem & isagogicam complectitur) sed partem alteram numquam editam, quippe quam affectam reliquerat: quae inscribebatur, *Status Majoris ecclesiae Neapolitanae*: quam in parte priore saepe citat. Hanc partem alteram ajo non sine notitiarum Capituli damno fuisse deperditam. Nam etsi in hoc auctore judicium & eruditionem desideres; at ei sinceritas & industria aderat; & eo scribebat tempore, quo Capituli tabularium adhuc opimum erat. Vtinam ea manu exarata pars altera alicubi reperiatur.

PARS

(11) *Tituli septem Presbyterer. Cardinalium totidemque Diaconorum S. Neap. ecclesiae ex Canonicorum necrologio erutus.*

Tituli septem presbyterales hi sunt. Primicerii titulus est *Sanctae Mariae ad Cimbros*: Cimeliarchae, *Sanctor. Nicandri & Marciani*: Poenitentiarii Majoris, *Sancti Pauli Majoris*. Porro de hoc Poenitentiarii titulo quaedam adnotantur in Archivo Capituli (in libro cui titulus: *Series canonicorum defunctor.* pag. 27) quae non opus fuit huc afferre. Titulus canonici theologi: *Sancti Joannis in fonte*. Reliqui sunt tituli presbyterales hujusmodi tres: *Sancti Martini*, qui a Januario Majello, primo Card. presbytero praebendato possidetur: *Sanctae Mariae Solis & Lunae* (quae nomenclatio in ecclesiam S. Mariae Majoris convenire videtur, ut quae ab ortivo latere viam, quae *Solis* & *Lunae* dicitur, attiguam habet) estque nunc Canonici Josephi Xaverii Vulteralis: ac *Sanctae Mariae Abavalium* (aliter *Abavaliae*) cum adjectione, *PROPE CRYPTAM*; quae a Canonico Alexio Symmacho Mazochio possidetur. Illud additamentum *Prope Cryptam*, si Puteolanam cryptam designat, erit haud dubie ecclesia *S. Mariae di piede Grotta*, ut hodie vocatur. Hodiernos possessores horum titulorum trium, quia peculiaribus canonicatuum characteribus (puta Primicerii, Cimeliarchae &c.) non distinguuntur, sedulo adscripsi. Nam dici non potest quantopere interfit, ne titulorum hujusmodi memoria depereat. Neo satis est, ut ii tituli in singulorum praebendatorum bullis exprimantur, sed & ut ii a XIV. ipsis praebendatis non ignorentur, & in majoris momenti subscriptionibus singuli titulos suos subscribere ne detrectent. Atque hi quidem sunt tituli septem presbyterales.

Sed & totidem sunt tituli diaconales hujusmodi: *Sanctae Mariae ad Nives ad Trivicam* (hodie Illustriss. & Reverendiss. Canonici Julii Torni episc. Arcadiopolitani, Tribunalis Mixti Judicis) alterius *Sanctae Mariae ad Nives* (nunc Nicolai

PARS ALTERA

De Neapolitanis Canonicis Cardinalibus amplius : de eorum Titulis atque Diaconiis, de eo, utrum Neapolitani diaconi recte Cardinales vocentur : deque eorumdem supra presbyteros putativo primatu.

CAPVT I.

Multiplex tractationis hujus occasio.

Exposui parte I. cap. 3. & 4 quid de Cardinalitia Diaconorum VII. appellatione in utramque partem disputari possit : ex quibus facile pro suo quisq. captu quiverit de ea controversia decernere: praesertim cum ea hodie magis nominis quam solidioris praerogativae quaestio haberi debeat ; quandoquidem ex proxime dictis pari tum antiquitate, tum etiam dignatione utrique a IX. usq. saeculo pollent. De hac ergo controversia [utrum scil. nostri diaconi appellandi sint *Cardinales*] ultro aliis permitto judicium. Quod si quis me quoque aliquid interloqui jusserit ; is paucis habeat, vix aliam esse Cathedralem sedem [ex iis intelligo, quae canonicis cardinalibus decorantur] in qua diaconi potiore jure, quam in Neapolitana, *Cardinales* haberi & nuncupari possint. Verum id quia altius paullo est repetendum, ea de causa partem hanc alteram contexere animum induxi.

Accessit & alia duplex causa, cur de parte posteriore cogitaverim. Primum ut inconsideratum Glossae [ad cap. *Pudor* caus. XXXII. q. 2.] dictum retundatur, quo *Cardinalem* Canonicum non dubitavit pari ferme loco, ac *Regem scachorum* habere. Vide [12] locum. Deinde quod hoc ipso tempore, quo haec scribimus, ab eorum quibusdam, quibus Canonicorum Neap. dignitas invisa est, dictitari audio, primitivorum Neapolitanae sedis canonicorum collegium nihil re vera aliud quam meram parochorum urbis *συναγωγὴν* [*collectionem*] fuisse, idque ex titulis, quibus singuli illorum insigniuntur fieri manifestum. Id nempe probro dant, in quo praecipua canonicorum nostratium praerogativa vertitur; quae nostros hoc Neapoli fuisse docet, quod Romae S.R.E. Cardinales : quorum scil. originem si excutias, eos veros Rom. ecclesiae parochos ab initio fuisse haud dubie reperies. Et tamen jam inde a Magni Gregorii temporibus erat eorum jure ac merito celsum sane fastigium, ut

colai Canonici Caraccioli) *Sancti Angeli de Ciuitis, nuncupati AD PENNINVM*, nunc translati ad ecclesiam S. Restitutae (possidetur hodie a Canonico Nicol. Sanchez) *Sanctae Julianissae* (est hodie Canonici Antonii Pignatelli) *Sancti Georgii Majoris* (impraesentiarum canonici Andreae Sanblasii) *Sancti Georgii de Afragola* (Canonici Joan. Bapt. Hodiernae) *Sanctae Mariae ad Plateam* : qui est Canonici Dominici Fusci.

Appellatio illa *S. Julianissae* [vulgo *S. Giulianessa*] ex eo prodiit, quod S. Martyr Juliana [cujus peculiaris cultus cum reliquiis Neapoli viguit] casu patrio more Graecorum scribebatur olim JVLIANES (sicuti in Kalend. marmoreo die XVI. Febr. scalpitur) idque familiarius JVLIANIS pronuntiabatur, Graecis scil. nostratibus Eta ut I efferentibus. Ex his vero duobus scribendi & pronuntiandi modis natae sunt vulgares *Sanctae Julianissae* aut *Julianessae* appellationes.

Quam vellem, exhiberet aliquis, qui hos Neapolitani Capituli titulos [quos certum est ex intervallo variasse, & interdum unum alteri subrogatum] simulque cetera Sacrae Neap. antiquitatis vestigia, post Petri de Stephano, Caesaris de Engenio, Caroli de Lellis, & Ant. Caraccioli industriam, repetitis majore cum judicii sagacitate curis eruderanda susciperet.

(12) Glossa ad c. *Pudor* XXXII. q. 2. ad illud Ambrosii, *Vt Virginitas Mariae falleret principem mundi*, sic commentatur : *Ad derisionem dicitur PRINCEPS., sicut dicitur REX SCHACORVM, vel CARDINALIS RAVENNAS* (nam sicuti Neapoli canonici Cardinales vocabantur absolute *Cardinales*, uti sup. Adn. 7. 8. ex Ursino & ex Comito ostendimus ; sic etiam Ravennae) *non tamen simpliciter est Rex vel Cardinalis*. Quod incondita quadam simplicitate a Glossographo dictum, postea pragmatici plures in deteriorem partem usurparunt. Atqui ut ille ait,

Faciunt haec intelligendo ut nihil intelligant.

Fateor quidem *Regem Scbacorum* non nisi metaphorice sic vocari. At quis unquam somniavit coloniarum senatum atque rempublicam, ut & consules, praetores, censores, quaestores colonicos in vetustis titulis atque auctoribus occurrentes, non idem in suis coloniis fuisse, quod eadem nomina in urbe principe designabant? Idem prorsus dicendum de *Cardinalibus* : qui ubicumque fuerunt, haud aliud certe in sua quique ecclesia fuere, quam quod Romae & per totum orbem Christianum S. R. E. Cardinales.

Digitized by Google

ut ex Gregorii [13] vita discimus. Ergo quam libentissime sinimus, simile Cardinalium Neapolitanae ecclesiae exordium ab eorum gloriae invidis agnosci. Nam quamquam in rebus aliis haud recte semper *Parvis componere magna solemus* [quod poeta de simplicioribus pecuariis Romam cum patria sua comparantibus cecinit]hic certe ea comparatio minime omnium absurda videtur. Nam sicuti Neapolis quamdiu colonia Romana fuit, ea respublica per omnia similis reipublicae Romanae fuerit necesse est; haud secus Neapolitanae ecclesiae non potest non esse magnificum, ut imaginem quam simillimam ecclesiae Romanae gesserit. Ergo sicuti Romae Pontifex Max. titulorum urbis presbyteros, dictos *Cardinales*, in curam non tantum urbis sed & totius orbis sibi adsessores habuit; par etiam Neapoli ex titulorum urbanorum presbyteris senatus coaluit, eodem *Cardinalium* vocabulo insignitus, suo pontifici adsidens, cum eoque curas gregis dispertitas habens. Hactenus responsum tum Glossographo sit, tum dignitatis nostrorum canonicorum aemulis. Nunc pensum propositum urgeamus.

CAPVT II.

De Cardinalium Romanae et aliarum ecclesiarum notione & origine: quodque ea vox, quatenus dignitatis est, initio tantum titulorum urbanorum presbyteris peculiaris, tandem communicari etiam cum diaconis, interdum & subdiaconis coeperit.

Post Panvinium aliosque viros egregios, quorum accurati exstant de Cardinalibus commentarii, tamen adhuc in ea tractatione *lucidus ordo* ille Horatianus, ni fallor, desideratur. Quod non eo dico, quasi qui pollicear, me fluitanti adhuc ὕλῃ [*materiae*] frena injecturum, lucemque eximiam allaturum: At cuperem certe, si otium & facultas esset. Nunc paucis rem expediam.

1. Vt a vocabuli notione ordiar; ea mihi jam inde ab initio videtur fuisse duplex: quarum unam ab altera, quoties opus, sedulo distinxisse magnopere intererit: quod nisi facias, id non leves cardinalitiis originibus tenebras offuderit. Ergo prior illa est *Cardinalis* acceptio, qua ea vox πρός τι [*ad aliud*] referebatur: veluti cum episcopus, presbyter aut diaconus Cardinalis ille vocatur, qui suae sedi, titulo aut diaconiae *cardinatur* [ut Gregorii vocabulo utar] ac stabiliter affigitur: qua ratione *Cardinalis* ἀνάδιγμενος illi opponitur, qui mobilis ac temporarius est, cuique necessitatis cujuslibet gratia alicujus ecclesiae servitus commendatur. Notionis hujus exempla pauca admodum inferne (14) proposui. Hanc notio-

(13) Joannes diac. in Gregorii vita narrat S. Pontificem nulli unquam ecclesiae suae Cardinalium nisi consentienti episcopale onus imposuisse, *Ne*, inquit, *sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur*. Porro illud *Deponere* vidi ab viris eruditissimis sic accipi, quasi sit *Exauctorare* aut *Destituere*: quod cave credas. Scriptores ecclesiastici totis chartis *Deponere* pro eo usurparunt, quod est ex alto dejicere. Profecto tanti sub Gregorio Pontifice Romanus Cardinalatus erat, ut *deponi* h. e. ex fastigio dejici viderentur, si relicto cardinalatu episcopatum cogerentur assumere. Idem vitae scriptor: *Item Cardinales violenter in Parochiis* [h. e. dioecesibus] *ordinatos forensibus, in pristinum Cardinem Gregorius revocabat*.

(14) Haec notio perantiqua est. Augustini aetate Petilianus Donatista in Collatione Carthag. conquerebatur, a Catholicis uni eidemque ecclesiae alios episcopos fuisse superinductos, *praeter Cardinales atque authentícos episcopos* (Donatistas) quos tantum pro veris ecclesiae suae sponsis agnoscebat. Mox Gelasius I. Papa relatus a Gratiano Dist. 24. cap. 4. *pontificem Cardinalem* episcopo *visitatori* opponebat. In Gregorii epistolis acceptionis hujus plurima sunt documenta: quorum duobus ad Neapolim pertinentibus contentus ero. Eorum unum in eod. Grat. decreto refertur cap. 5. *Fraternitatem* Dist. 71. ubi Fortunato Episcopo Neapolitano permittit, ut Gratianum (qui Venafranae ecclesiae diaconus fuerat) ecclesiae Neapolitanae *cardinaret*, sive, uti statim addit, ejusdem ecclesiae *constitueret cardinalem*. Quod non absoluta notione est accipiendum, quasi ulli tunc diaconi *cardinales* fuerint, sicuti diu postea dici coeperunt, sed relativa, comparate scil. ad diaconos mobiles atque vagos. Ac plura sunt hujusmodi apud Gregorium loca: in quibus, ubi de episcopo *Cardinali*, aut diacono *cardinali* loquitur, cave ne notio absoluta tibi obversetur animo;

tionem ideo *relativam*, uti loquuntur, dixi, quia per eam *Cardinalis* vox nullam eximiam dignitatem importat, sed tantum cardinat immobiliter clericos eosdemque opponit vagis, subsidiariis, uno verbo non cardinatis.

2. Altera porro *Cardinalis* notio absoluta erat, qua sub eo nomine ecclesiastica dignitas continetur: qua acceptione vox *Cardinalis* tam Romae quam extra non alios primitus, quam solos presbyteros meo judicio notabat. Nec quosvis notare presbyteros nata erat, sed proprie titulorum presbyteros sive parochos: ac ne hos quidem omnes, sed urbanos, non item rurales. Qua quidem *Cardinalis* descriptione omnia mihi videor fuisse complexus, ita ut primaevus *cardinalis* non sit plane alius, quam proprius urbani alicujus tituli presbyter. Quam finitionem antequam argumentis comprobem, pauca admodum de ecclesiarum differentiis sunt praedicenda.

3. Praeter episcopalem sedem, tria aedium sacrarum genera in urbibus erant, his distincta nominibus, ut aliae *Tituli* dicerentur, aliae *Diaconiae*, aliae minora quaedam ac plerumque privata *oratoria*. Vt ab ultimis incipiam; illa dicebantur *Oratoria* [etsi id nomen latius interdum patuit, ita ut nonnumquam de majoribus aedibus usurparetur; ac vicissim minores aedes saepe *ecclesiae* aut *basilicae*, praesertim ab Joanne diac. Chronographo nostro, vocarentur: verum non id nunc anxie moror] ergo illa nunc voco *oratoria*, in quibus non modo baptisterium nullum erat, verum ne Missas quidem publicas fieri permittebatur: quorum specimen aliquod seorsum (15) exhibeo. Jam vero in singulis urbium regionibus *Diaconiae* erant, h. e. quasi quaedam, hospitales domus, quarum singulis suus diaconus regionarius praeerat, in quibus pauperes, debiles, viduae, pupilli aliaeque personae miserabiles omni subsidiorum genere fovebantur. Ab singulis diaconiis suae sacrae aedes non aberant: quae & ipsae nuncupabantur *Diaconiae*; quarum etiam nunc Neapoli supersunt aliquot non sine antiquis ejus rei indicibus (16) testimoniis. Postremo & *Tituli* presbyterales [maximae

post

animo; quae illa aetate tantum in presbyteris suorum cardinum locum habebat. Ad nos pertinet & Gregorii locus de Paulo episc. Nepesino, quem interventorem sive visitatorem ecclesiae Neap. (cujus episcopum deposuerat) tamdiu dedit, donec Neapolitana ecclesia episcopum *Cardinalem* & immobiliter affixum [qua ratione ea vox ab interventore distinguitur] nanciscereturt.

(15) Horum quoque oratoriorum meminit Gregorius pluries. Veluti cum Castorio episc. Arimenensi *Oratorii* in gratiam Timotheae ill. feminae consecrandi potestatem fecit, absque *Missis publicis*, & *ita ut . . . nec baptisterium construatur, nec presbyterum* constituat *cardinalem* h. e. cum honore sui cardinis. Hoc ipsum episcopo Firmano sub ead. prorsus cautione permittit. At vero in altera ad eumdem episc. Firmanum epistola, ecclesiae consecrandae, & presbyteri Cardinalis in eadem constituendi (ad exemplum scil. legitimorum titulorum) dat veniam lib. X. ep. 12.

(16) *De S. Neap. Ecclesiae Diaconiis. Fuisse in singulis regionib. singulas: quo locus vitae Athanasii refertur. Tres celebres Diaconiae ex auctorib. & marmorib. eruuntur. Eas fuisse septem, quot Romae, ostenditur; & earum diaconos fuisse illosmet, quorum in Capitulo Neap. numerus adhuc septenarius viget.*

Diaconiarum nomine intelliguntur loca, in quibus per *diaconos regionarios* singulis diaconiis affixos personae miserabiles alebantur aut congruis subsidiis juvabantur. Sua singulis hisce diaconiis oratoria aderant, a quibus & ipsae diaconiae nomen sibi quaerebant. Nec dubium est, quin diaconiae totidem Neapoli fuerint, quot regiones. Nam eo potissimum pertinet illud, quod in longioris Athanasii vitae prologo legitur: *In qua* [urbe Neapoli] *etiam indigenae & inquilini non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publice expetunt, sed loca quo commorantur* [h. e. in regione quisque sua] *omnia necessaria quae desiderant animo, abundantissime* [a suis Regionariis diaconis] *percipiunt; & juxta praeceptum dominicum, praedictae urbis accolae potius Lazaros quaeritant, & exhibent largius quibus indigent, quam inopes affluentium inquirant opes.*

Et hujusmodi diaconiarum etiam nunc quaedam supersunt nomina. Celeberrima illa *S. Januarii diaconia* fuit, quam Agnellus episcopus [teste Joan. diac.] fecerat, quaeque aevo posteriore *Ecclesia S. Januarii ad Jaconiam* vocabatur, hodie vero versa est in parochiam illam, quae *S. Januarii*

Digitized by Google

post Cathedralem ecclesiam dignitatis] plures pauciorefve pro modulo urbium singularum erant : de quibus jam est dicendum .

4. De urbis Romae Titulis deque eorum mira antiquitate , natura , numero , tam multa nobis virorum industriorum accuratio perscripta & elimata reliquit , ut quidquam eorum vigiliis velle adjungere , loco praesertim alieno, prorsus ineptissimum ducam . Verbo uno, hoc *Tituli* antiquis erant, quod aevo posteriore *Plebes* [unde Italis *Pieve* & *Piovano*] quodque hodie *Parochias* dicimus . Harum singulis suus presbyter praeerat ; atque is demum unus, si recte accipimus , vetus ille *Cardinalis* erat , & absoluta non relativa notione sic vocabatur : quod quoties audis, dignitatis ecclesiasticae, sive [uti nunc loquimur] beneficii nomen intellige .

5. Quaerent fortasse cur hi dumtaxat Titulorum presbyteri *Cardinales* vocarentur . Quibus respondsum volo, Titulos hosce alio nomine *Cardines* fuisse vocatos : de quo plura proferre antiquorum (17) loca possim, nisi

nuarii ad Vlmum dicitur . Huic diaconiae affixus fuit Joannes ille diaconus , qui chronicon episcoporum , & alia plura scripsit , qui proinde amat se *diaconum S. Januarii* inscribere .

Fuit & altera non minus celebris sub nomine *S. Andreae* [hodie cum adjectione *Ad Nidum*] de qua tum S. Gregorius in epistolis loquitur , tum etiam notissima hujusmodi inscriptio in Ecclesia S. Andreae ad Nidum , quam aliorum fide recito : *Hic in pace membra sunt posita Theodimi subdiac. reg.* [regionarii] *& rect. sce sed. Apost. & disp.* [h. e. dispensatoris : in Diurno Rom. cap. 7. tit. 17. *Dispensator . . in eadem diaconia*] *hujus diac.* (diaconiae) *beati Andreae .* Ex ea inscriptione colligimus , in plerisque Diaconiis praeter Diaconum regionarium ei Diaconiae primario affixum , fuisse & subdiaconum , item *regionarium* nuncupatum , cui *Dispensatoris* [qui Graece ὁικονόμος , at in marmoribus Romanis modo *Vilicus*, modo *Dispensator* vocatur] munus incumbebat . Ordo Romanus tam diaconi quam subdiaconi Regionarii meminit , notans , *Septem fuisse regiones ecclesiastici ordinis urbis Romae ; & unamquamque regionem singulos Diaconos Regionarios habuisse ; & uniuscujusque regionis Acolytos per manum Subdiaconi REGIONARII DIACONO regionis suae , causa officii , subditos fuisse* . Porro Theodimus iste , de quo lapis loquitur, fuit praeterea RECT. SCE SED. APOST. h. e. *Rector sanctae sedis Apostolicae* . Hi Romam mitti in provincias solebant patrimonium Rom. Ecclesiae curaturi [nam *Rectores Apostolici patrimonii* aliter vocabantur] at interdum id munus alicui clerico provinciali demandabatur , sicuti huic Theodimo ; quem Neapolitanum fuisse , suspicor . Porro hanc S. Andreae ad Nidum Diaconiam , illam ipsam fuisse conjicio , de qua Hadrianus Papa ad Carolum M. scripsit his verbis : *Emisit nobis Stephanus* (secundus , qui VIII. exeunte saeculo sedit , Stephaniae auctor) *Neap. episcopus per suos apices , Diaconiam juris sanctae nostrae ecclesiae sibi concedi.* Vide reliqua epist. hujus apud Chioccarellum pag. 76. Cum ergo haec diaconia *Subdiaconum regionarium* simulque *rectorem sanctae sedis Apost.* habuerit ; facile illa fuerit juris Rom. ecclesiae Diaconia , de qua loquitur Hadrianus : quae videtur postea , concedente Hadriano , Stephano & Neapolitanae sedi fuisse concessa .

Sed & in ecclesia SS. Joannis & Pauli titulus hujusmodi fuit : Θεόδωρος υπατος και δυξ απο θεμελιων τον ναον οικοδομησας και την ΔΙΑΚΟΝΙΑΝ εκ νεων αρξας εν ινδικτ. τεσσαρων της βασιλειας Λεοντος (vulgo aliqui edidere ACONTOC) και καταστησας τον θεοφιλων σεμνων βιωσας εν πιστει και τροπω εκτος μονης ονομβριου ενθαδε βιωσας χρισθε σω . . *Theodorus consul & dux qui a fundamentis ecclesiam aedificavit , & diaconiam ab inchoato perfecit indict. IV. imperantibus Leone & Constantino Deo dilectis imperatoribus* &c. Nam reliqua sunt paullo impediriora, quae ex ipso lapide, a me non viso, facile extricabuntur .

Ac fuisse Neapoli plures alias non est dubium: nec dubie septem ; cum totidem Ordo Romanus Romae numerabat . Ergo septem hisce Neapolitanis Diaconiis praeerant Diaconi septem : qui , postea quam Athanasius Canonicorum collegium in sua Cathedrali instituit , illi septem diaconi fuere , qui etiam nunc in Capitulo Neapolitano sunt , suis singuli Diaconiis affixi : nisi quod diaconiae illae identidem (ut etiam presbyterorum tituli) mutatae fuerunt .

(17) Joannes diaconus in vita Gregorii : *Item Cardinales* (ii sunt titulorum urbanorum presbyteri) *violenter in parochiis ordinatos forensibus , in PRISTINVM CARDINEM Gregorius revocabat* . Eosdem *Presbyteros sui cardinis* appellarunt Leo IV. in Conc. Rom. an. 853. & Joannes VIII. epist. 83. 89.

Porro ab januarum cardinibus (h. e. binis foraminibus aereis aut marmoreis , superiore uno, inferiore altero , in quibus olim fores patefiebant .

Digitized by Google

si festinarem. Ob eam igitur causam qui alicui horum cardinum affixus erat, is dicebatur *presbyter Cardinalis*, sive [ut aliter loquebantur] *sui Cardinis presbyter*.

6. Et in hunc quidem modum usque ad millesimum circiter Christi annum cardinalitiae dignitatis incunabula sese habebant: quo universo tempore tum in scriptoribus atque chartis, tum etiam in conciliorum (18) aut diplomatum subscriptionibus, non alii Cardinales Romani quam titulorum presbyteri reperiuntur, dum interim Diaconi regionum (19) seu Diaconiarum urbis Romae nomina sibi adscriberent, sive alioqui nudo diaconi nomine contenti erant. Ac sero tandem eo ventū fuit, ut intermissa diaconiarum hospitalitate, eaedem ex Diaconiis, quod ante fuerant, Tituli [h. e. *Cardines*] diaconales evaderent, ac proinde *Cardinalium* nomen commune diaconis illis titularibus fieret. Nec multo aliter extra Romam sese res habuit, ut infra ostendam.

7. Jam ergo intelligere incipimus veram esse finitionem primaevi Cardinalis illam, quam initio num. 2. tradidi. Non enim alii Cardinales quam presbyteri erant; nam diaconi, ut & aliquamdiu subdiaconi, non nisi decimo & undecimo Christi saeculo id sibi nomen adscripserunt. Deinde non omnes presbyteri continuo cardinales erant, sed dumtaxat singulorum titulorum sive cardinum singuli. Postremo ne omnium quidem titulorum presbyteri Cardinales dicebantur, sed urbanorum (20) dumtaxat.

8. De

bant & claudebantur) factum est, ut praecipua quaeque, unde res aliae dependent, *Cardines* dicantur. Hinc in re gromatica *Cardo* est limes ille primus, secundum quem alios postea convenienter signari necesse est. Pari ratione Caeli cardines sunt meridies & septentrio; item cardines mundi sunt plagae quatuor; & cardines temporum sunt ver, & cetera temporum initia. Postremo & in re politica aliquando opinor placuit, ut Asiana & Africana praefectura *Cardines* vocarentur, plane quia in iis maxime tota imperii ratio vertebatur. Ejus nomenclaturae argumento est quod in Officiorum Theodosii libro, Praefecti praetorio Asianae dioeceseos, & Africae Praefectus vocantur *Cardinales*: certe quia dioeceses illae *Cardines*, ut arbitror, nuncupari consueverant.

Simili prorsus de causa in ecclesiastica administratione Romanae urbis, & eodem exemplo aliarum plurium, Tituli [quorum singulis suus presbyter tamquam praefectus praeerat] *Cardines* vocitabantur, & eorum praefecti *Cardinales* dicebantur.

(18) Verbi causa in Conc. Rom. anni 993. sub Joanne XV. soli presbyteri inscribunt se *Cardinales* [puta *Presbyter & Cardinalis S. Xysti*] non autem diaconi. Sic etiam in aliis eorum temporum monumentis, ac multo plus in antiquioribus. Veluti in decreto Synodi Romanae sub Stephano IV. *Siquis ... in gradum Majorum Sanctae Romanae Ecclesiae, id est presbyterorum Cardinalium, & diaconorum ire praesumpserit* &c. Hinc vides VIII. saeculo Rom. ecclesiae Diaconos inter *Majores* juxta cum presbyteris connumeratos, & tamen nondum *Cardinales* fuisse appellatos. Sed & in Actis Concilii Rom. sub Ottone I. ann. 963. *Tunc Romani pontifices* [ii scil. qui postea *episcopi Cardinales* audierunt] *et Cardinales presbyteri, ac Diaconi cum universa plebe dixerunt*. Otto ipse de eadem re sic alloquitur Papam Joannem: *Dum filios vestros, Romanos scil. episcopos, Cardinales presbyteros, & Diaconos* [nondum Cardinalibus accensitos, sed illis tamen *sociatos*] *& universam plebem de vestra absentia percontaremur*.

Quae cum ita sint; siqua monumenta antiquiora reperiantur, in quibus diaconi *Cardinales* vocentur, statim tibi *vetustas* suspicio subeat. Ut cum Rusticus quidam diaconus in lemmate Disputationis adversus Acephalos inscribitur *Cardinalis diaconus*, ea inscriptio haud dubie posterior est; nam Rusticus ipse in praefatione se fatetur *Diaconum*, & quidem ecclesiae Romanae & universalis, sine ulla cardinalatus mentione. Sic Facundus Hermian. *Venerab. Pelagius & Anatolius Rom. Diaconi, debitam ... solicitudinem pro ecclesia Dei* (universa) *gerentes*. Sic etiam Dial. I. Gregorius: *Paschasius hujus Apostolicae sedis Diaconus*. Nec unquam diaconus tunc temporis *Cardinalis* vocabatur, nisi sicubi a non cardinato distinguendus esset.

(19) Conciliis Romanis sub Symmacho presbyteri Titulos urbanos sibi subnectunt, at diaconi non Titulos sed regiones urbis, in quibus suas diaconias haberent; non enim *Titulares*, sed *Regionarii erant*.

(20) In Epistola Zachariae Papae ad Pipinum: *De presbyteris agrorum quam reverentiam debeant exhibere episcopis & presbyteris cardinalibus*. Vbi *presbyteri cardinales* sunt cardinum sive titulorum urbis presbyteri. At in Galliis forsitan aliud obtinebat, uti ex Conc. Meldensi ann. 845. liquet: *Ut titulos Cardinales in urbibus vel suburbiis* &c.

Digitized by Google

8. De episcopis Romae vicinioribus, qui & ipsi aliquando nomen *Cardinalium*, sive Rom. Pontificis *Collateralium* arripuerunt, nihil addo; quippe hi solius Rom. Ecclesiae peculiares fuerunt. Iidem, [ut in Dissert. hist. Par. II. cum de canonicorum institutione agerem, dictum fuit] *Hebdomadarii* vocabantur, ut qui quotidie per vices in Salvatoris basilica celebrarent: ad quorum similitudinem Athanasius in sua Neapolitana Salvatoris basilica VII. Cardinales presbyteros quotidie sacra facturos [ob id *Hebdomadarios* nuncupatos] instituit.

Habes compendiariam non modo Romani sed & ceterarum urbium cardinalatûs notionem, eo pertinentem, ut intelligas, ante millesimum circ. Christi annum nec Romae nec alibi fuisse *diaconos cardinales*, etsi permagna semper fuerit ubique gentium diaconorum dignitas & auctoritas. Interim in transitu argumento satis obscuro quamvis perparum affudisse lucis aliquando forsitan proderit.

CAPVT III.

De Neapolitanorum Cardinalium origine & in corpus unum coalitione.

Sicuti ad urbis Romae effigiem ceterae urbes imperii in civili administratione, & magistratibus ordinandis se conformabant; pari prorsus ratione Ecclesiae Romanae matris atque magistrae πολιτείαν etiã ceterae Occidentis ecclesiae referebant. Vt a Galliis ordiar, scio Gallum quemdam auctorem libelli *de origine Cardinalium* [apud Vancsp. par. 1. tit. 22. cap. 1. n. 7.] ostendisse, in Gallicanis ecclesiis Curiones sive parochos usque ad XI. saeculum *Presbyteros cardinales* vocatos: quod diu ante hunc libellum [a me numquam visum] Duarenus docuerat. Sed & hoc ipsum Ant. Augustinus ad Cap. 2. extra *De offic. Archipresb.* ante affirmaverat. Vide (21) locum. In Italia vero quis dubitat, quin eadem prorsus nomenclatio passim ubique in usu promiscuo fuerit?

Itaque dubium nullum est, quin Neapoli eadem omnia, quae Romae, in usu fuerint. Ergo sicuti Romae Titulorum Curiones vocabantur *Presbyteri Cardinales*, diaconiarum vero curatores *Diaconi Regionarii* nuncupabantur; idem prorsus antiquitus Neapoli usque ad IX. saeculum in usu fuit. Nam Presbyterorum Cardinalium illustre documentum habemus in Maurunte illo, quem VIII. saeculo Stephanus episcopus Neapoli *Presbyterum Cardinalem* [h. e. alicujus Tituli urbani parochum] creavit, teste Joanne diac. in Stephano II. De diaconis vero regionariis plura exempla supra Adnot. 16. protulimus.

Jam vero Romae postmodum Cardinales, qui hactenus fuerant per Titulos urbis dispertiti, coeperunt in quaedam Cardinalium septenûm collegia, in singulis patriarchalibus Basilicis singula, coalescere, ut ibi quotidie Missas publicas in orbem celebrarent. Quando primum id Romae factum, haud plane constat: verum de re universa quaedam inferne (22) adspersimus. Vbi primum igitur id Romae fieri coepit, id statim & urbes

(21) Cap. *Ministerium* de Offic. Archipr. a Leone (IX. uti volunt) sic Archipresbytero praescribitur: *Vt diligenti cura provideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui sollemne debent agere officium in communicatione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a sacrosancto die Dominico incipiendo,* (ut) *per omnes horas canonicas indeclinabiliter perseverent, ut opus Dei digne & sancte perficiatur ab eo cui committitur.* Et infra. *Provideat etiam Archipresbyter vitam Sacerdotum Cardinalium* &c.

Ad quem locum sic ab Antonio Augustino adnotatum fuit: Sacerdotes Cardinales *hoc loco non urbis tantum Romae sed aliarum etiam civitatum PRIMOS interpretamur, quibus TITVLI hoc est parochiae committuntur.*

(22) Duo Romae, diversis tamen temporibus, instituta exorta fuisse reperio. Prius illud fuit, ut in Lateranensi Salvatoris ecclesia septem episcopi viciniores [qui & *Cardinales*, & *Hebdomadarii*, & *Collaterales* Romani Pontificis vocabantur] quotidie per vices sacra facerent: alterum quo postea idem in quatuor aliis basilicis [S. Mariae Majoris, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii] uti per alios Cardinales presbyteros septenos fieret, decretum fuit.

Ac prius quidem institutum cum in Dissert. Histor. pag. 123. & 124. exposuissem; simul ostendi, illud Stephano IV. vergentis octavi saeculi Pontifice [in cujus vita hoc refertur] aliquanto an-

ti-

urbes ceterae sunt imitatae. Ac Neapoli praesertim statim Athanasius tantumdem praestitit, ut alibi (23) ex utraque S. Athanasii vita demonstravimus: quae non est opus recoquere. Nec dubium est quin aggregati ab Athanasio *sacerdotes hebdomadarii*, non alii quam presbyteri Curiones Titulorum [quos adhuc sibi Canonici nostri adscribunt, etsi subinde mutatos] fuerint, quod tantumdem est ac *Cardinales*. Et ea quoque in illustrioribus sedibus aliis initia Collegiorum canonicalium tunc institutorum fuisse, minime dubium est, uti constat ex Leonis IX. verbis quae Adnot. 21. integra adscripsimus, iterumque (24) subjicimus.

Ab Athanasiano autem collegio non abfuisse Diaconos, necessitas omnino poscebat. Hinc praeter Sacerdotes hebdomadarios septem, totidem diaconos (illos dico primarios ac regionarios) ab Athanasio fuisse aggregatos, & necessitas plane suadet, & *Legenda* (25) vetus S. Athanasii prodebat. Hi sunt igitur illi XIV. Ecclesiae Neap. primitivi Canonici, quorum collegium ex VII. Canonicis Cardinalibus, totidemq. Diaconis componebatur.

CAP. IV.

Ad quaestionem utrum VII. diaconi olim fuerint aut sint hodie Cardinales, ἐπίσκοποι. Demonstratur, eos ab initio fundationis non fuisse Cardinales, at fuisse postmodum sequentibus saeculis.

§. I.

Canonicos diaconos Neapolitanos ab suae institutionis exordio non fuisse Cardinales.

Prorsus fatendum est, Capituli Neap. diaconos ubi primum ex Athanasii manibus recentes prodierunt, *Cardinalium* appellatione caruisse: certe quia tunc temporis nec Romae, nec alibi id vocabulum de aliis quam de solis Titulorum seu Cardinum presbyteris usurpabatur. Tametsi vero postea

tiquius fuisse. Non enim ab eo primo id statutum refert Pontificalis liber; verum cum id jam prius inductum reperisset, Stephanus decrevit, ut ab eisdem illis episcopis Hebdomadariis *Omni die Dominico . . . super Altare beati Petri celebraretur*. Ergo de Altari S. Petri sollicitum se praebuit Stephanus: at uti quotidie ab illis episcopis in Salvatoris Ecclesia sacra fierent, facile incunte VIII. saeculo sancitum antea fuerat.

At altera institutio, qua paria septenum presbyterorum Cardinalium collegia, quotidie in orbem operaturorú sacris, in aliis quatuor Patriarchalibus basilicis coaluerunt, vel ex eo recentior ostenditur, quod si ea collegia jam instituta Stephanus IV. reperisset, numquam episcopis illis Ecclesiae Salvatoris hebdomadariis id negotii dedisset, ut diebus Dominicis super Altare S. Petri celebrarent.

Itaque haec altera quatuor collegiorum (quorum quodlibet ex septenis Presb. Cardinalib. constabat) aggregatio, quam Baronius ad ann. 1057. n. 19. ex vetusto codice Rituali retulit, facile X. aut XI. saeculi negotium est.

(23) Vide eamdem Dissert. Hist. a pag. 121. ad 125. Illud dumtaxat stricte notabo, Athanasium, quem Ecclesiae Romanae morem in sua sacerdotum Hebdomadariorum institutione imitatum, vita Athanasii scripsit [*sicut*, inquit, *mos est ecclesiae Romanae*] sedulo septem non amplius Hebdomadarios Cardinales in sua Salvatoris ecclesia statuisse, quia totidem in Romana Salvatoris ecclesia ordinatos sciebat. Ac postea idem septenum numerus & in ceteris quatuor patriarchalibus observatus fuit, & alibi passim extra Romam. In Bisontina & Colonienſi ecclesia septem non amplius Cardinales Hebdomadarios fuisse postea institutos, infra Adnot. 27. reperies. Sic pulchre Ecclesiarum concinunt mores, & conjurant amice.

[24] Nam Archipresbytero mandatur, ut *provideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui sollemne debent agere officium in communicatione Corporis & Sanguinis Domini. a Sacrosancto die Dominico incipiendo, ut per omnes horas indeclinabiliter perseverent, ut opus Dei . . perficiatur ab eo cui committitur*. Videtur sane hoc decretum (quod a Leone IX. in aliqua Synodo Romana conjicio factum) de eisdem illis septenûm Cardinalium collegiis, quae Adn. 22. ex Baroniano Rituali Romae institutus fuisse dixi, posse intelligi; quippe duobus prioribus duo Archipresbyteri Cardinales praerant, duobus aliis Abbates Cardinales. Tamen magis est, ut generale decretum sit, de primis canonicorum collegiis capiendum, quae in cathedralibus ex Titulorum presbyteris cardinalibus jam cogi coeperant. Nam Leonis verbis canonicorum collegia examussim describi, vel me tacente animadvertis.

(25) Ex ea *Legendae* (quam Chronicon s. Mar. de Princ. memorat) mentione quae argumenta duxerimus, tum initio ejusd. pag. 125. tum plenius alibi ejusd. Diss. Par. I. cap. 6. [ubi de eo Chronico sermo est] animadvertes.

Digitized by Google

ſtea Romae nomenclatio *Cardinalium diaconorum* inducta fuerit; ea tamen nec Neapoli, nec in pluribus aliis eccleſiis [niſi forſitan fero admodum] admiſſa videtur. De Neapoli quidem id ſatis ex duodecimi & ſequentium ſaeculor. ſubſcriptionibus, ex Vrſinianis Ritibus, ex Comiti libro, Stephano de Cajeta atque Hannibale de Capua ſupra Par. I. demonſtraſſe videmur: etſi ultima monumenta aliquo, uti poſtea dicetur, temperamento indigeant.

Nunc age de ceteris quibusdam eccleſiis [nec enim in omnibus prorſus ita factum eſſe auſim oſtendere] videamus. In finitima ſede Capuana non aliis quam presbyteris Cardinalatum fuiſſe tributum ſatis ſcio. Anno 979. bullae conſecrationis epiſcopi Cajacenſis apud Mich. Monachum in Sanctuario Capuano p. 575. poſt Gerbertum Capuae Archiep. duoſque epiſcopos ſuffraganeos, ſubſcribunt duo presbyteri cardinales his verbis: *Ego Bonus presbyter cardinalis ſanctae Capuanae eccleſiae me ſubſcripſi. Ego Joannes presbyter ſanctae Capuanae eccleſiae Cardinalis me ſubſcripſi.* Deinde diaconi ejuſd. ſedis ſine cardinalitia nomenclatione ſubſcribunt. Apud eumdem in Recogn. Sanctuarii pag. 84. in quodam inſtrumento anni 1065. fit mentio *Marii presbyteri Cardinalis*.

Idem quoque in Salernitana eccleſia valuit: in qua tantum presbyteri XX. cardinales ab initio fuere, diaconi non item; quamvis Salernitani ſcriptores etiam diaconis cardinalatum(26)falſo tribuerint. Poſtremo & in aliis pluribus eccleſiis non aliis niſi dumtaxat presbyteris cardinalatûs honor tributus fuit: de quo vide quae in imo margine (27) adnotamus. Sicubi vero diaconi juxta cum presbyteris cardinalatus honore emicuiſſe reperientur, id haud dubie tunc iis conceſſum reperietur, quando jam Romae ea dignitas communicari cum diaconis, imo & ſubdiaconis coepit. De quibus vide ſis imum (28) marginem.

At Neapolitana eccleſia ante ceteras omnes poſt Romanam decus Cardinalitium aſſecuta, Romanae inſtar non alios quam presbyteros cardinales habuit. Nam [ut omittam Stephani epiſcopi exemplum qui quemdam Maurunta *presbyterum cardinalem* ordinavit,] eadem ſedes quia jam inde ab IX. ſaeculo Cardinales ſeptem inſtar eccleſiae Romanae ab S. Athanaſio inſtitutore conſecuta fuerat, non niſi presbyteros ea appellatione dona-

(26) Si Salernitanos ſcriptores, & hos ſequentem Vghellum audias; hi Canonicos omnes Salernitanos habendos pro Cardinalibus uno ore praedicant. Verum ubi ſubſcriptiones diplomatum inſpicio; tantum presbyteros inſcribere ſe Cardinales video, non item Diaconos; etſi Diaconi ante Presbyteros [quod ſingulare eſt] ſua nomina ſignent. Exſtat apud Vghellum diploma Alfani Archiep. anni 1071. ubi poſt Archiep. ſubſcribitur: *Ego Alfanus Diaconus*: poſt hunc: *Ego Joannes presbyter & Cardinalis*.

Adhaec in charta anni 1163. apud eundem in Romualdo II. Canonici presbyteri millies vocantur aut *Presbyteri Cardinales* aut abſolute *Cardinales*, numquam Diaconi.

Apud eumdem in Matthaeo Archiep. exſtat ejuſdem Archiep. donatio anni 1272. cui ante canonicos presbyteros ſubſcribunt tres *Diaconi* ſine Cardinalis nomenclatura, deinde quinque *Presbyteri Cardinales*. Ac paſſim alia exſtant plura ejuſdem rei documenta, etiam citimorum temporum.

[27] Scio in pluribus Italiae ſedibus Cardinales fuiſſe, & etiam nunc eſſe, ut in Aquilejenſi, Beneventana, Piſana, Ravennate: in quibus mihi perſuadeo tantum presbyteros eo honore fulgere. Quibus ſatis eſt otii, facile ex Vghello, & ex chartis, quas plurimas afferre ſolet, id poterunt animadvertere. Mihi haec non vacavit excutere. Sed & extra Italiam Leo IX. anno 1051. in eccleſia Biſontina canonicos Cardinales ſeptem inſtituit, utique presbyteros, quippe ordinatos, ut *Cum dalmatica, mitra, ſandaliis, chirothecis .. Miſſas ibi facerent*, ut in bulla legitur, quam deſcripſit Chiffletius.

Alexander III. Papa epiſt. ad Philippum Colonienſem Archiep. *Statuimus, ut majus Altare . . . reverenter miniſtrando procurent ſeptem canonici Cardinales Presbyteri, induti dalmaticis & mitris ornati* &c.

(28) Memini in Vghelli Archiepiſcopis Mediolanenſib. legiſſe, in ea clariſſima ſede praeter Presbyteros, etiam Diaconos & ſubdiaconos eſſe *Cardinales*. Scriptor hiſtoriae Archiepiſcopatus Magdeburgenſis a Meibomio editae conceſſum tradit, ut ea ſedes *XII. Presbyteros, VII. Diaconos, XXIV. Subdiaconos Cardinales ad morem S. R. Eccl.* haberet.

Digitized by Google

donabat, propterea quia nec alii quam episcopi & presbyteri per ea tempora Romae *Cardinales* essent. Nec quia postea Romae is honor serpere latius coeperat; continuo Neapolis ab antiquo tunc saltem more decessit.

§. II.

Ostenditur, posterioribus saeculis Diaconos Neapolitanos ad cardinalitiae ἐπιπλησίας [nomenclaturae] communionem adscitos.

Tamen fatendum est, tum Cicci Loffredi epitaphio [cui medio XV. saeculo *Cardinalis* appellatio disertim adscribitur] tum haud paullo antiquiore Oratione pro Constantino, quam Par. I. recitavimus, Diaconorum nostrorum Cardinalatum solide fundari; ita ut ab eo tempore quo illa Oratio conscripta fuit [quod tamen ignoratur] aut saltem a Cicci Loffredi epitaphio ante annos CCC. scalpto eorum cardinalitia appellatio numerari ut minimum possit. Cui duplici irrefragabili testimonio nec Stephani de Cajeta, nec Hannibalis visitantis narratio obsunt. Nam quemadmodum hodie Presbyteri VII. non amant vocari se *Cardinales*, nec tamen continuo ea dignitate exciderunt; ita credendum est, sub Joanne Vrsino, ac porro usque ad Stephani de Cajeta aetatem consuevisse Diaconos discriminis causa eo cognomento abstinere, ut facilius a Presbyteris distinguerentur; nec tamen continuo de suo jure decessisse. At Stephanus de Cajeta [& siquis alius fuit] rerum Capituli Neap. haud penitissime gnarus, vix Vrsiniani Ritualis discriminibus appellationum animadversis, statim ore rotundo scripsit, id honoris septenûm Presbyterorum peculiare fuisse: plane sine ullo juris diaconorum detrimento; quibus praeter illam antiquiorem pro Constantino orationem, trecentorum minimum annorum a Loffredi titulo sepulcrali numerandorum possessio patrocinatur: ut proinde sinendi sint Levitae nostri longissimi temporis possessione frui, seque edicto *Vti possidetis* tueri. Accedit illud [quod est longe maximum cardinalatus discrimen] quod paribus Titulis juxta cum presbyteris insigniantur: quos Titulos supra Adnot. 11. recensivimus. Atqui sicuti Romae statim ac diaconiae inter titulos [i. e. *cardines*] numerari coeperunt, simul etiam Diaconi Cardinalium nomenclaturam arripuerunt; idem prorsus de hisce nostris dicendum est: quos adeo certum est, paribus semper cum Presbyteris honorificentiae gradibus incessisse, ut non defuerint, qui jactarent Presbyteris Diaconos fuisse praelatos. Quam tamen παραδοξολογίαν evellere prorsus ex animis jam aggredior.

CAPVT V.

An unquam Neapolitani Diaconi presbyteris honorabiliores fuerint.

Diu haec sententia valuit, VII. Neapolitanae ecclesiae diaconos per omnia presbyteris fuisse potiores. Ac sane videntur huic opinioni Ritus Vrsiniani cum Comiti libro prolixe patrocinari. Nam ex parte Archiepiscopi sedebant Diaconi, sicuti contra in adversa parte Primicerio ceterisque presbyteris subsellia parata erant. In procedendo quoque diaconi Archiepiscopo propiores gradiebantur. Postremo ubi Canonicorum classes in Vrsini Rituali & Comito sunt recensendae, primi semper *Diacones* nominantur, postea *Cardinales* [ii sunt VII. presbyteri praebendati] ultimo loco *Canonici*: quo nomine ceteri omnes supra XIV. primitivos veniunt. Itaque eo usque ea de diaconorum Neap. πρεσβείοις (*primatu*) opinio invaluit, ut ante hos XV. circiter annos Romani causidici eam diaconorum supra presbyteros honoris praerogativam [falso ceteroqui creditam] a CPolitana ecclesia arcesserent, eoque argumento Capitulum Neap. Graecanicum facerent. Quam calumniam in fine Dissertationis Historicae satis habui exemplo Salernitani Capituli dispellere. Vide ibi dicta sect. 4. §. 3. p. 194.

At si tunc satis attendissem; multo satius ac verius fuerat in totum negare, fuisse tempus ullum, quo Neapolitanae sedis diaconi potiores presbyteris haberentur. Itaque re melius expensa, id nunc agam, ut potius presbyteros, sicuti sunt, sic re vera Diaconis semper fuisse praelatos ostendam. Neque vero ex Cardinalitia appellatione [quae primitus

Digitized by Google

mitus dumtaxat presbyterorum erat] argumenta capiam; nam proxime a me obſervatum fuit, id inter utroſque vix plus quam nominis fuiſſe diſcrimen, ceterum Diaconos juxta cum VII. presbyteris, paribus ſemper praerogativis & inſignibus uſos. Verum ubi de primatu quaeſtio oboritur, ibi ad ſubſcriptiones eſt recurrendum: ex quarum ordine ordo etiam majoris minorisve dignitatis arguitur. Nunc autem in omnibus, quas equidem viderim [quarum etiam copioſam syllogen hic parte I. cap. 3. protuli] poſt Archiepiſcopum ſemper presbyteri cardinales ſua nomina primi ſubſcribunt, poſt quos Diaconi ceterique ſupra numerum canonici. At contra quia in Capitulo Salernitano diaconi priores presbyteris ſubſcribebant; dumtaxat in Salernitano Capitulo id ἄτοπον valuiſſe dicemus, ut Diaconi Presbyteris praeferrentur.

Ceterum quod ad ordinem ſedendi ac procedendi attinet; ejus pravae conſuetudinis, quam ſupra deſcripſi, ratio non aliunde eſt arceſſenda, quam quia Diaconos, utpote miniſtros epiſcopi, ſemper praeſuli proximos eſſe, conveniens putavit antiquitas. Ab eo factum ut ab eadem, qua Archiepiſcopus parte Diaconi conſiderent; & eidem ſemper propiores procederent, certe ut epiſcopo ſemper praeſto eſſent. Sicuti etiam nunc ii ſaltem duo Diaconi, quibus in aliqua actione ſacrâ Epiſcopo miniſtrare incumbit, Epiſcopo aſſident aut juxta procedunt, idque nullo cum detrimento praerogativae presbyterorum.

Sed tamen fatendum eſt, ea ſedendi & incedendi juxta Archiepiſcopum conſuetudine, qua Diaconi ex Vrſinianis Ritibus utebantur, poſtea eos abuſos in tantum fuiſſe, ut non ipſi tantum ſed & Subdiaconi in ceteris omnibus priorem presbyteris locum affectaverint, imo & aliquando occupaverint. Nam XVI. ſaeculo Diaconi & Subdiaconi non tantum ex parte Archiepiſcopi conſidebant, ſed & in proceſſionibus ipſi dextrum occupabant latus, presbyteris laevum relinquebant. At eam corruptelam eo exeunte ſaeculo Alfonſus Card. Geſualdus primum Archiepiſcopali auctoritate compreſſit, deinde auctoritate Apoſtolica funditus abſtulit. Exſtat de ea re Clementis VIII. diploma anno 1602. promulgatum, quo tum hactenus dictas, tum alias praeterea pravas conſuetudines ab eccleſia Neap. amolitur, praecipiens *Vt rejecto antiquo abuſu, qui forte EX ANTIQVA CHORI DISPOSITIONE ORIGINEM DVXISSE videtur* (illam *diſpoſitionem* intelligit, qua Diaconi ex parte Archiepiſcopi, Presbyteri ex adverſa ſedebant: id quod in miniſtrandi commodum introductum, ipſi in argumentum majoris praerogativae vertentes, in ceteris omnibus τὸ πρωτεῖον affectaverant) *Canonici presbyteri in poſterum, non a ſiniſtris ut antea, ſed a dextris Archiepiſcopi in cornu Evangelii, diaconi vero & ſubdiaconi, non ut huc uſque a dextris, ſed a ſiniſtris in cornu epiſtolae... ſederent: in proceſſionibus etiam & in inceſſionibus ſimiliter presbyteri, non a ſiniſtris diaconorum & ſubdiaconorum prout prius, ſed omnibus diaconis & ſubdiaconis praeferrentur* &c. Atque is putativae diaconorum praelationi, quae procedente tempore in pravam & abſurdiſſimam corruptelam degeneraverat, impoſitus finis fuit.

MONITVM

Ad ſequentem Diatribam.

Quae in hanc Diatribam contuli, ea Par. II. cap. 3. ſect. 2. ad calcem §. 3. danda fuerant; eo enim maxime pertinent. Verum ob eam cauſam, quam ibidem attulimus, illa omnia in locum alium reſervavimus. Exſpectabam ſcil. ab Eccleſia Salernitana notitiarum quarumdam ſubſidia, quibus conjecturae noſtrae fulcirentur. Verum poſtquam notitias illas diu multumque fruſtra exſpectavi; non committam ut judicium qualecumque meum de monumento, quod ad Neapolitanarum Confratriarum origines illuſtrandas evulgaturi ſumus, cupido lectori depereat.

DIATRIBA V.

Ad Par. II. cap. 3. ſect. 2. initio pag. 143. ac rurſum pag. 144-145. toto §. 3.

Qua BREVIS ORDO DIVINORVM OFFICIORVM, antiquitus in Fratriis Neapolitanis obſervatus, nunc primum editur:

Digitized by Google

cui judicium de eo monumento praemittitur, & animadverſiones aliquot ſubjiciuntur.

PROLOGVS

De eo monumento judicium.

Duplicis Comitis Neapolitani manu exarati notitia. Antiquioris ſuperſtitis analyſis: in quo etiam generales tractationes habent quaedam eccleſiae Neap. peculiaria. ORDO DIVINOR. OFFICIOR. qui ibi continetur, nec eccleſiis omnibus communis erat, nec Cathedrali, aut al cui Monaſterio peculiaris, ſed ejuſmodi fuit, qualis in omnibus Neapolitanis Fratriis, etiam in Salvatoris vetere confratria, obſervabatur. Videtur is Ordo Salerni in uſum confratriae S. Matthaei compoſitus: deinde una cum Fratriarum inſtituto Neapolim adportatus, & a fratriis uſurpatus.

1. In Capituli Neapolitani archivo prae ceteris quidam ritualis liber Ms. aſſervatur, qui vulgo *Comitus* dicitur; olim enim *Comes* is liber vocabatur, qui ritus adamuſſim praeſcriberet, qui poſtea *Comitus* dici coepit (imo in Hiſpanicis apud Freſnium chartis etiam *Comicus* aut *Commicus*) ſicuti & caeremoniarum magiſter in eo libro, acque ut in Vrſini Rituali, ſemper *Comitus* nuncupatur. Et is quidem Comiti liber olim duplex erat: unus recentior, ac facile vergente aut exeunte XVI. ſaeculo, in octava forma, dialecto Neapolitana compoſitus: quem me pluries ante hos XX. aut XXX. annos apud quemdam Canonicum vidiſſe & pervolutaſſe memini [qui nunc quo fato interciderit, haud ſcio: hoc ſcio, cum a capite ad calcem meros Eccleſiae Neap. ritus continuiſſe] alter vero, qui adhuc teritur, antiquior eſt, atque chartaceus in quarta forma minore: ex quo ille deperditus bona ex parte manaverat, mutatis mutandis.

2. Jam vero miſſo illo recentiore, [qui in hoc videbatur factus, ut caeremoniar. magiſtro facilius, utpote minor, ad manus eſſet: quem magno damno amiſſum lugemus] qui nunc exitat antiquior Comes ſub initia XVI. ſaeculi tranſcriptus videtur; uti conſtat, quod fol. 1. diligenter narratur proceſſio facta anno 1494. ad recipiendum Card. Montis Regalis, qui Regem Alfonſum II. coronatum is venit. Adhaec fol. 3. funus Beatricis Aragoniae Reginae Hungariae anno 1508. Poſtremo, ut cetera taceam, is qui copioſas de ordinandis feſtis rubricas compoſuit (quae a folio 154. ad finem uſque codicis, h. e. ad fol. uſque 194. progrediuntur) is inquam fol. 154. ſic de falſis menſium h. e. feſtorum rubricis conqueritur: *Que nempe rubrice menſium defectuoſe cum ſuis additionibus pro majori parte falſis in fine quorumdam breviariorum IMPRESSORVM collocantur.* Ergo diu poſt inventam typographiam haſce rubricas perſcripſit. At cave hinc concludas, quae in hoc codice ineunte XVI. ſaeculo tranſcripta reperiuntur, omnia tunc primum elucubrata fuiſſe: cum contra certiſſimum ſit, plura ibi monumenta reperiri longe antiquioris aevi. Quocirca in hominum noſtrorum gratiam ſyllabum eorum quae in hoc volumine continentur, hic libens ſubnectam.

3. A fol. 4. ad 40. Vrſinianae Rituum collectionis (de qua Par. I. cap. 3. ſect. 2. §. 5. dixi) florilegium eſt: idque proprie eſt Neap. eccleſiae caeremonialis liber; nam circa ea ferme verſatur, de quibus in caeremoniali Epiſcoporum agitur. A fol. 42. ad 45. anniverſaria & feſta eccleſiae Neapol. pertexuntur. Et hactenus nihil non peculiare cathedralis eccleſiae Neapolitanae jure dixeris. At quae ſequuntur, eorum pleraque communia omnium eccleſiarum dixeris: veluti fol. 53. Methodus generalis Confeſſionis: fol. 68. Doctrinae Chriſtianae informatio: fol. 77. Computi eccleſiaſtici ratio: fol. 88. Cantus plani praeceptiones: fol. 111. de benedicendis & conſecrandis virginibus: fol. 146. ad finem uſque prolixae de feſtis rubricae, quas ſupra nominavi.

4. Et tamen inter haec ipſa generalia omnibus eccleſiis opuſcula reperitur fol. 123. Officium S. Januarii Martyris, quod peculiare eccleſiarum Neapolis fuit: imo & eae ipſae, quas modo generales tractationes dixi, ad eccleſiae Neapolitanae uſum atque morem accommodantur. Veluti quod in Computo eccleſiaſtico jubetur Indictio a Kalendis Septembribus inchoari: quod quidem argumento eſt, Neapoli (quod ea urbs diu CPolitanis principibus paruiſſet) adhuc ſub initia XVI. ſaeculi Indictionem more CPolita-

Digitized by Google

litano a menſe Septembri inchoatam fuiſſe (imo etiam ſuperiore ſaeculo Neapolitanos tabelliones ita uſurpaſſe, me vir doctus ſubmonuit) cum tamen in pluribus Italiae & Europae partibus jam Indictio ab Januario inciperet. Pari modo in longis illis feſtorum rubricis fol. 155. a tergo v. 1. notatur, feſtum S. Baſilii epiſcopi, quamvis in Kalendas Januar. cadat, transferri debere, quia eſt de iis feſtis quae ſeparatim agi debent. At unde, rogo, didicerat, S. Baſilii depoſitionem in Kal. Januarias incidere, niſi ex Marmoreo Neapol. Eccleſiae Kalendario, quod nuper illuſtravimus? in quo cum Circumciſione Domini, etiam S. Baſilii Depoſitio ſignatur. Et haec quidem pauca caſu a me notata fuere; nec enim ea generalia, quae dixi opuſcula, perlegere curae fuit: quod ſi quis fecerit, non dubito, quin paſſim (ſaltem in prolixis feſtorum rubricis) plurima eccleſiae Neapolitanae propria ſit notaturus.

5. Haec vero pauca notaſſe non poenitet, ut de *Divinorum Officiorum ordine*, quem ex hoc noſtro codice ſum daturus, judicari poſſit, ſit ne Neapolitanar. eccleſiar. peculiaris, an communis omnium. Is quidem *Ordo* inter generalia quae dixi opuſcula fol. 83. inſeritur cum eo titulo, quem infra reperies (quamvis inepto: nam aptius inſcribi poſſet: *Ordo divinorum Officiorum, cujuſmodi in Neapolitanis Conſratriis uſurpatur*) inter generalia quidem opuſcula, is inquam, adnectitur; tamen cave putes, eum Ordinem pro communi eccleſiarum omnium haberi debere. Nam praeterquamquod nemo ignorat, in ſtando, ſedendo, genibus flectendis, cervice inclinanda, adhaec in dandis & intonandis antiphonis atque pſalmis, in lectionibus, reſponſoriis, orationibus, & id genus aliis ſive cantandis ſive recitandis, in Miſſae conventualis ritibus, &c. peculiares ſingulis Eccleſiis fuiſſe mores & etiam nunc eſſe: non tantum inquam ſedes ſingulae diverſis utebantur ritibus, verū etiam in una eademque urbe ſub uno epiſcopo in his rebus omnibus aliud aliae ſequebantur eccleſiae.

6. Ad quam igitur potiſſimum eccleſiam is Ordo pertinet? An ad Cathedralem Neapolitanam? Minime gentium. Nam quis ordo in noſtra Cathedrali uſurpatus olim fuerit, is ex Vrſinianis Ritibus intelligitur: eum quo pulchre Comitus noſter (qui initio codicis a me ſup. n. 3. recenſiti continetur) congruit; a quo hic Ordo longiſſime abit: ut omittam, quod in hoc Ordine, quem mox adſcribam, nulla prorſus Archiepiſcopi, nulla Canonicorum, nulla Comiti, Presbyterorum de choro, Hebdomadariorum &c. mentio injicitur.

7. Nec porro, quia in hoc Ordine a capite ad calcem perpetuo *Fratres* nominantur, deque benedictione menſae neſcio quid inſeritur, continuo decreveris, eum Ordinem alicujus monaſterii peculiarem fuiſſe. Qua enim de cauſa Ordini mere monaſtico in Comito Neapolitanae Cathedralis locus fuiſſet? Adhaec nulla uſquam *Abbatis*, nulla alterius mere monaſtici officii mentio.

8. Ergo circumſpicienti ſimul omnia videtur is Ordo in uſum Neapolitanarum Fratriarum, quibus nulla prorſus paroecia Neapolitana carebat, fuiſſe comparatus. Eo perpetua illa *Fratrum* mentio pertinet, & quod initio is, qui officium celebrat, *Hebdomadarius*, alibi *Sacerdos* vocatur. His Fratribus Neapoli clauſtrum unum, menſa communis erat: eoque menſae benedictio (de qua cap. 10) eſt referenda. In hoc igitur Ordine non aliud quam ea divinorum Officiorum methodus deſcribitur, quae & in Congregatione Fratrum Salvatoris quae in eccleſia Cathedrali erat, & in ceteris urbanis Fratriis obſervabatur; eoque hic Ordo merito inter vetera Neapolitani Comitis collectanea locum ſibi quaeſivit, quippe a Fratribus Salvatoris, ceteriſque Fratriis urbanis olim uſurpatus.

9. Qui ſane Ordo quantae ſit antiquitatis, ſatis ipſe ſcriptionis character declarat, & voces quaedam temporis indices. Et quia Neapolitanae Fratriae non videntur initio aliqua ſcripta divini ſervitii formula carere debuiſſe; facile intellectu erit, hoc ſcriptum ſi minus ipſo XI. ſaeculo (quo ea πολιτεία in Neapolitanas eccleſias inducta videtur) fuiſſe compoſitum, at ſummum labente XII. ante Anſelmi tempora: quo tempore

apud

apud hoſce Fratres vita adhuc vigebat communis, eoque a ceteris ſaecularibus clericis diverſi erant.

10. Verum illud incommodat quod cap. 10. ita B. Matthaei Apoſt. meminit, quaſi ſi divina officia ibi deſcripta in aliqua ejus Evangeliſtae eccleſia perſolverentur. Vide locum. Verum hic ipſe locus adeo non moleſtus eſt, ut potius & tempus ſcriptionis hujus, & locum unde hoc ſcriptum ſimul cum Fratriarum forſitan inſtituto Neapolim prorepſiſſe videatur, digito intento, niſi vehementer fallor, oſtendat. Vtut eſt, quid ſaltem haud temere conjecerim, pauciſ aperiam.

11. In Salernitana Cathedrali eccleſia fuiſſe olim quamdam perantiquam *Confratrum* Congregationem, nuper ex Ferdinando Vghello (1) didici, qui antiquum *Librum Confratrum* Salernitanae Cathedralis ex fide Prignani hiſtoriographi laudat. Quamvis autem is liber (qui vetuſtatis erat tantae, ut plurium retro ſaeculorum facta eo libro Prignanus confirmaret) nunc in archivo Capituli deſideretur; nec ab illuſtriſſ. Canonicis Salernitanis a me pluries rogatis quidquam extundere notitiae quiverim, ex qua ſive de antiquitatibus Confratrum Salernitanae Eccleſiae, ſive omnino exſtitiſſe olim XI. aut XII. ſaeculo in ea Sede Confratrum ſodalitatem aliquam, certior fierem; tamen Vghello in conſilium adhibito, charta quaedam ab eo producta abunde me quantum ſatis erat, edocuit.

12. Is ergo in Nicolao (qui anno 1181. Salerni Archiepiſcopatum iniit) chartam donationis Riccardi Comitis Ayelli, qui ejuſdem Archiepiſcopi frater erat, anno 1193. factam protulit: qua charta cuidam *Frateriae* (ſive Fratrum ſodalitati) donat (2) bona (3) quaedam, ut ex reditibus Miſſae pro anima ſua a Canonicis presbyteris decantentur, pro quo onere tareni 122. (4) quotannis perſolvantur; & quod reſiduum fuerit inter Frateriam communiter (5) dividatur,

(1) Ferd. Vghellus in Archiep. Salernitanis in Romualdo I. (col. 561. edit. Rom. lit. D.) laudat ex Jo: Baptiſtae Prignani hiſtoria Ms. (quae Romae in Biblioth. Angelica S. Auguſtini exſtat) quemdam manu exaratum *Librum Confratrum Cathedralis* Salernitanae: quem librum in Capitulari tabulario aſſervari ait. Quem tamen nuperrime Salernitani a me rogati fruſtra in Capituli archivo quaeſiverunt.

(2) Ea donatio ſic initio concipitur: *D. Riccardus* &c. *pro . . delictorum ſuorum remedio obtulit & tradidit in manu Abbatis Muſci Diaconi & archiſacriſtae ipſius Archiepiſcopii* (Salernitani) *pro parte Frateriae ejuſdem Salernitanae eccleſiae* plura bona, quae infra recenſentur. Quae verborum conceptio, *Pro parte Frateriae* &c. quamquam mira eſt, tamen non niſi Frateriae contemplatione donationem fuiſſe factam, ſive eſ ipſam fuiſſe donatariam oſtendit. Idq. clarius ex ſequentibus arguitur: *Ea ratione, ut integra ipſa oblatio & traditio ſemper ſit IN POTESTATE FRATERIAE ipſius Salernitanae Eccleſiae: ſic tamen ut ab ipſa Frateria nullo tempore vendi vel pignorari, obligari ſeu aliquo modo alienari poſſit.*

(3) In bonorum catalogo inter cetera legitur: *Cum planis macellariorum & aliis planis, in quibus alia negotiatio exercetur.* Quae omnino ſic corrige: *Cum plancis macellariorum, & aliis plancis, in quibus* &c. Nam in charta altera anni 1212. eodem pertinente, quae paullo poſt ſubjungitur, pluries hoc reperitur, *De reditibus plancarum* &c. quae ſine ulla controverſia illae ipſae ſunt, de quibus ſupra meminerat.

Porro *Plancae* Feſto ſunt *Tabulae planae*: cujuſmodi illae ſunt, in quibus macellarii carnes ſcindunt, quas emptoribus diſtribuunt. Eas hodiedum noſtri homines vocant *Le Chianche*. Quae vox [ſicuti & in hac charta *Plancae*] ad tabernam ipſam deſignandam transfertur; ut & vulgare *Il Chianchiere* lanium notat. Sed & in aliis vilioribus tabernis *plancae* ſimiles foribus objacent; eoque additur, *Et aliis plancis, in quibus alia negotiatio exercetur.*

(4) Haec ſumma tarenorum centum viginti duorum in altera ejuſdem argumenti charta anni 1212. ſic non ſemel exprimitur, *Duas uncias auri, & duos tarenos monetae Siciliae.* Ex quibus locis invicem collatis arguitur, ſexaginta tarenos Siculos ejuſdem fuiſſe valoris, atque auri unciam. Hoc notaſſe rei monetariae gratia proderit.

(5) Locus hic pulcherrimus eſt, quo initia diſtributionum, quae Confratribus Neapolitanis ſemper peculiares fuerunt, demonſtrantur. Dixi in Differt. Hiſt. Par. II. pag. 176. Adn. 76. hoc maxime inter matricum Neapolis Eccleſiarum Hebdomadas interque Fratantias interfuiſſe, quod Hebdomadarii praebendis fruerentur, diſtributionibus maſſaque communi carerent; contra ve-

ro

Digitized by Google

datur, ut *ipsa Frateria in Archiepiscopio conveniat, & memoriam* (*) *beatissimi Apostoli & Evangelistae Matthaei sollemniter faciat* &c. Non ultra progrediar, praesertim cum cuilibet facillimum sit eam totam donationem in Vghello legere, & cum altera charta anni 1212. conferre. Ergo haec illa Frateria est, in cujus usum Ordo iste divinorum officiorum, quem exhibituri sumus, initio conscriptus fuit; quippe cum in nostro Ordine cap. 10. uti videbis, peculiaris quidam S. Matthaei cultus Fratribus praescriptus animadvertatur. Vt rem uno verbo complectar: Frateria, de qua loquitur donatio Comitis Ayelli, eo instituta deprehenditur, ut cultui B. Matthaei vacaret, ejusque memoriam assidue coleret, uti satis ex modo recitatis chartae verbis intelligitur. Atqui & Ordo, quem daturi sumus, iis Fratribus praescriptus initio fuit, qui B. Matthaei peculiari cultui addicti essent. Quare haud dubie in Frateriae Salernitanae usum initio prodierit is divinorum officiorum ordo necesse est.

13. Imo & haec ipsa Comitis Ayelli *Frateria* minime diversa ab illa fuit, cujus *Liber Confratrum* Salernitanae cathedralis (a Prignano olim laudatus, nunc vero deperditus) historiam & privilegia antiqua narrabat. Et quamvis *Liber Confratrum* deperierit, adhuc tamen Frateria illa, quam ex Comitis Ayelli donatione novimus, in sede Salernitana durat; cujus Canonici Presbyteri Cardinales Salernitani, *Magistri* sunt: ut ex libello quodam deprehendi; qui inscribitur, *Ritus servandus in aggregatione Confratrum* &c. Neapoli editus anno 1665. In ejus libelli limine exstat Clementis VIII. diploma anni 1601. in quo ea sodalitas vocatur *Frataria* aut *Confraternitas Cruciatae*, & Canonici presb. Cardinales ejus *Fratariae Magistri* dicuntur, ac postremo eadem confraternitas *Canonice sub certis regulis & statutis instituta & approbata, nec non aliquibus privilegiis & gratiis (etiam a Sede Apostolica concessis) decorata* dicitur. Ex quibus verbis satis de antiquitate Fratariae constat, ut quae praeter Sedis Apostolicae gratias, alia plura privilegia, certe antiquiora, ostentaret.

14. Sane rogandi essent Salernitani ornatissimi viri, ut veteres chartas & privilegia Fratariae (si qua adhuc aetatem ferunt) excutiant, ex iis vero decernant, an non ea Frateria saeculo XI. B. Evangelistae Matthaei (cujus pretiosis exuviis eo vergente saeculo Salernitana sedes ditata fuit) perpetuo & indesinenti cultui, hortante praesertim (6) S. Gregorio VII. addicta fuerit. Id enim

ro Fratantiarii ex solis massae communis distributionibus victitarent, praebendis carentes. Cujus rei specimen hic profecto vides, ubi Fratres Salernitani inter se certo die communiter partiuntur id quod ex Comitis Ayelli donatione redibat. *Residuum vero*, inquit [quod scil. post erogatos in Missam, aut Missas tarenos CXXII. supererat] *inter ipsam Frateriam communiter dividatur die nativitatis ejusdem Comitis . . . qui est ultimus dies mens. Decemb.* (quo) *ipsa Frateria in Archiepiscopio conveniat, & memoriam beatissimi Apost. & Evang. Matthaei sollemniter faciat*. De eadem distributione mox infra iterum loquitur. Ex quo intelligimus, plane eamdem Frateriae hujus ac Neapolitanarum fuisse indolem [eodem quippe tempore, eodem ex ovo prorupisse videntur] ut proinde mirandum non sit, si communi Cursus ecclesiastici Ordine uterentur.

(*) *Memoriam . . . sollemniter facere*, nisi vehementer fallor est *Cursum ecclesiasticum* [cujus vocis ambitu Officium cum Missa continetur] in memoriam B. Matthaei compositum celebrare. Per id tempus non tantum Deiparae Virginis Cursus jamdiu compositus fuerat, verum etiam eorum Sanctorum, qui in singulis locis reliquiarum gratia peculiariter colebantur, plura circumferebantur officia. Pari ratione etiam conditorium reliquiarum, totumque adeo oratorium vocabatur *Memoria*.

(6) S. Gregorius VII. in ea epistola, qua S. Alfano Archiep. Salern. de inaestimabili reliquiarum Matthaei gaza acquisita gratulatur, sic loquitur: *De tanti thesauri revelatione tua fraternitas exsultet in Domino, beatiss. Reliquias DEBITAE VENERATIONIS OBSEQVIIS DIGNIS amplectens, gloriosum Ducem R.* (Robertum) *ipsiusque nobilissimam conjugem hortetur & moneat, quatenus tam insigni Patrono, qui se eis demonstrare dignatus est, reverentiam & honorem decenter adhibentes, ipsius gratiam & auxilium sibi suisque promereri nisibus summae devotionis contendant.*

Digitized by Google

enim tum *Ordinis* infra recitandi verba cap. 10. tum etiam quae ex donatione Comitis Ayelli sup. n. 12. adscripsi, indicare videntur. Deinde & illud decerni poterit, an non & eodem plane XI. saeculo Neapoli Frateriarum institutа in matricibus ecclesiis constabiliri coeperint. Petri certe Archiep. Neapolitani (7) charta id plane suadet. Verum utut ista se habeant; illud pro certo habeo, *Ordinem* istum quem ex libro Comiti Neapolitani adscribam, initio in usum Salernitanae Frateriae fuisse compositum; deinde cum & Fratriis Neapolitanis Ordo aliquis praescribendus esset; Salernitanum Ordinem minime displicuisse: eumque adeo inde arcessitum, Fratriis Neapolitanis fuisse propositum.

15. Et quidem ex ipsius Ordinis locutionibus vetustissimis, & quod Fratribus quo tempore scriptus hic Ordo fuit, adhuc mensa communis erat [ex qua mensae communitate quaenam antiquitatis auguria ceperim, infra Adn. 31. exposui] & ex aliis bene multis indiciis hujus monumenti conscriptio facile in XI. saeculi finem, aut initia duodecimi referri potest. Eo igitur tempore in usum Frateriae Salernitanae compositus fuisse videtur. Cumque, uti dixi, per eadem tempora jam Fratriarum institutum ante Petrum Archiepiscopum Neapoli vigere coepisset, eisque ordo aliquis in dirigendo ecclesiastico cursu proponendus esset; haud difficile fuit, hunc ipsum Ordinem, quem subjecturi sumus, Salerno adscisсere, eumque Fratriis Neapolitanis observandum tradere. Atque ea nostra est de hoc monumento conjectio.

ORDO DIVINORVM OFFICIORVM

Cujusmodi in Fratriis Neapolitanis antiquitus usurpabatur, ex lib. Comiti Neapolitani fol. 83. ad 85. erutus: cui sequens titulus ibi praemittitur,

In (8) *quibus festis cantores debent antiphonas insimul incipere, videl. in Majorib.* (9) *minorib. & semiduplicib. Numquam antiphona incipitur a duobus.*

1. Item. Quotiescumque Fratres debent in Capitulo (10) congregari, pulsetur campanella capituli ex una (11) parte tantum (12) prolixe, ad

(7) Petri Archiep. Neap. membrana, quam semilaceram Chioccarellus pag. 126. protulit, post notas chronologicas sic incipit: *Certum est, nos cunctas Congregationes sacerdotum & clericorum* . . . Deinde post hiatum notabilem sequitur: *Congregationis ecclesiae S. Restitutae* [illius antiquioris, quae Stephaniae h. e. S. Restitutae hodiernae adjacebat] . . *commutavimus* &c.

Has porro *Congregationes Sacerdotum & Clericorum* ejusd. generis ac Neapolitanas Fratantias, & Salernitanam Frateriam fuisse, possem pluribus ostendere, si id necesse esset. In his omnibus sacerdotes & clericos fuisse, & ex saepe laudata charta Comitis Ayelli liquido patet, & ex altera apud Ughellum anni 1212. & ex Anselmi Archiep. Neap. diplomate, quo Fratribus clericis immunitatem a collectis dedit, & ex eo Ordine quem hic afferimus in medium. Ac sane optandum esset, ut si cui sit otium, is tum ex laudatis modo chartis, tum ex pluribus aliis, quas forte Salernitani ac Neapolitani alicubi repererint, in harum fratriarum naturam & ingenium, & erigendarum occasionem sedulo inquirat.

(8) Index iste opusculi litteris rubricatis scriptus erat. Is vero ineptus ac recentior est opusculo: cujus loco alium [*Ordo divinor. officior.* &c.) praemisi.

(9) Plena locutio fuerat, *In duplicibus majoribus, duplicibus minoribus, & semid.*

(10) Locus, in quem Fratres conveniebant, *Capitulum* vocabatur, ab eo dictum, quod in eo *Capitulum regulae* legeretur. Hinc *Capituli Officium*, est id totum, quod in eo loco fiebat ad Primae complementum: de quo videbis quae mox ad cap. 10. animadvertero.

(11) *Pulsare campanellam ex una parte tantum* est id quod uno vocabulo Beletus dixit *Depulsare*: cujus locus ex cap. 86. de Divin. Offic. est ejusmodi: *Quod non debeamus in tota Quadragesima diebus profestis compulsare, nec depulsare* [*liceat*

Digitized by Google

ad quam pulsationem Fratres conveniant in capitulo sine mora. Congregatis in ecclesia fratribus ad omnes (13) horas, & ultimam (14) pulsatione finita, (15) Edomadarius (16) signum manu percutiens (17) formam, ut fratres prostrati, si sit ferialis dies, sin autem, inclinati, dominicam (18) orationem dicant. Qua finita, & signo surgendi ab eodem

[*liceat enim . . consuetis uti vocabulis*] *sed simpulsare i. e. simpliciter pulsare*. Cangius [in *Pulsare*] istud *Depulsare* exponit, *Ex altera tantum parte campanam pulsare*. Id Latine dixeris, *Campanam singultim percutere*. Itali uno verbo *Tintinnire* ex *Tinnio* id vocant, aut *Sonare a tocchi*: hoc ipsum Galli dicunt *Tinter*.

(12) In Ms. scribitur duabus litteris (*tm*) cum lineola supra M: quod saepissime in eo codice pro *Tantum* usurpatur, quod & huic loco convenire censui. Ceterum initio credideram eo compendio notari vocem *Tractim* [quod in Glossario S. Germani Paris. exponitur *Lente*] quae non tantum de psalmodia aut cantu a liturgicis scriptoribus usurpatur, sed etiam in signo dando. In Vlib. antiquis Ordinis Cisterc. cap. 119. *Et cum paratum fuerit, tabulam in claustro tractim percutere . . debet*. Poterat igitur hic per *tm* intelligi *Tractim*, nisi scirem, voces minus tritas integris litteris scribi consuevisse. Hic ipse ordo infra cap. 4. loquitur de psalmodia dicenda *distincte & tractim*: ubi tamen posterior vox ὁλογραμμάτως (*integre*) scribitur.

(13) Hoc est *ad singulas horas*: nam sejunctim unaquaeque suo tempore persolvebatur. Ergo ad omnes ac singulas horas valet haec regula.

(14) Tertia scilicet; id enim moris fuit: quod etiam nunc in Cathedrali Neapol. observatur. Etiam extra divina officia ter pulsari campana solebat. In Constit. Nicosiensib. cap. 26. *Ne* (clerici) *vadant de nocte, maxime post tertiam pulsationem*.

(15) Hoc toto opusculo is semper *Sacerdos* vocatur: hoc tantum loco *Hebdomadarius*. At integra appellatio erat *Hebdomadarius sacerdos*, quam habes in scriptorum locis a Cangio indicatis. Beletus cap. 24. sic hujus officium definit: *Cujus*, inquit, *est tota hebdomada in choro administrare officium*. Eoque significatu commune nomen est Canonicis, monachis, & nostrarum fratriarum confratribus. Nam Fratres isti plerumque clerici minores erant: nisi quod ex iis pauci ad presbyteratum promovebantur, & hebdomadarii dicebantur, ut scil. Officia & Missas publicas per singulas hebdomadas singuli celebrarent. Atque ea origo prima nostror. Hebdomadariorum fuit; qui per eam promotionem non desinebant *Fratres* esse ac vocari. At postea in beneficia haec redigi coepta, quorum alia *Hebdomadae*, alia simplices *Fratantiae* dicebantur. Vide Par. II. sect. 2. §. 3. initio, & alibi pluries.

(16) Lege: *In signum*. Artificiosa signa plurima monachis in usu fuere. Joan. monachus lib. 1. vitae S. Odonis Cluniac. *Adeo nempe inter eos excreverat ordo iste* [loquendi per signa] *ut, puto, si fine officio linguae essent, ad omnia necessaria significanda sufficere possent signa ipsa*. Plurima hujusmodi signa recensuit Vdalricus lib. 2. Consuet. Clun. cap. 4. quo scil. modo ea manu digitisve conficerent, quidve notarent: tanta profecto cura silentii erat. At apud hos Fratres [non monachos, sed monachorum imitatores] signa quaedam simpliciora in usu fuere: quale hoc est, quod in consurrectionis signum, manu forma percutiebatur: quod hodie nunc in usu est.

(17) *Forma* aut *Formula* est scamnum inclinatorium illud, quod ante sedilia in longum protenditur. Hinc illae locutiones aevi medii, *Procumbere ad formas*, aut *super formas*, *Curvari super formas* &c. Vide Fresnium in eo vocabulo: quod ab IX. saltem saeculo usurpatum ea notione cernitur.

(18) Videbatur hic locus ad aetatem opusculi hujus conjectandam valere posse. Ac primum quod Dominica oratio sine Salutationis Angelicae societate praemittatur, id mirum non est. Nam sero admodum utraque precationis formula copulari coepit [vide Mabillonium Praefat. ad saec. V. Bened. cap. 118. & seq.] multo vero serius utramque in principio Divinor. officior. sociari coepisse arbitror; etsi ejus rei tempus primum ignorem, ex antiquiorum Breviariorum collatione assequendum.

Ac ne illud quidem institutum videri vetustissimum debet, ut ab Oratione Dominica Cursus ecclesiasticus incipiatur. Joannes Beletus [qui medio XII. saeculo de Divinis scripsit officiis] cap. 24. *Pulsatis*, inquit, *campanis, hebdomadarius . . . alta voce incipit, DOMINE LABIA* &c. Interim de precatione Dominica verbum nullum. Ergo Ordo hic noster saeculo XII. sive aetate Beleti videtur posterior.

At vergente saec. XIII. quo Guil. Durandus de Div. Offic. scripsit (qui certe libri VIII. caput nonum anno 1286. se exarasse ostendit) jam mos

Digitized by Google

eodem facto, incipit officium in sede sua, verso vultu contra (19) altare, aliis fratribus consimili modo stantibus usque ad *Gloria Patri & Filio*. Et tunc vertant se e regione. Simili modo capitula & orationes dicantur a sacerdote in loco suo.

2. Item nota quod quotiescumque dicitur psalmodia plane & sine (20) nota, stare debent omnes erecti, preterquam in psalmodia mortuorum, in qua fratres sedeant.

3. Item quandocumque duo psalmi, vel quatuor dicuntur sub una antiphona, ille Corus debet stare, in quo inquoatur antiphona, praeterquam in Prima, tempore Paschali & in Completorio. In omnibus aliis sedeant & stent (21) alternatim, praeterquam in *Laudate Dominum de celis*, & *Laudate Dom. omnes gentes*, & *Quicumque vult salvus esse*, & Officium Beate Virginis & ejusdem letionibus plane dictis, *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*, & ymnis. In quibus omnibus stare debent erecti, sive cantentur, sive legantur.

4. Item psalmodia cum plane dicitur, distincte & tractim in officio beate Virginis & mortuorum. Quando vero non cantatur, non fiat (22) protractio in puncto metri, sed pausa convenientis & equalis.

De

praemittendi orationem Dominicam coeperat. Qui lib. V. cap. 2. n. 6. ait: *Laudabili consuetudine inductum est, ut sacerdos ante canonicarum horarum initia, & in fine Dominicam Orationem; & ante Horas B. Mariae, & in fine AVE MARIA &c. voce submissa praemittat.* Deinde celebrem canonem concilii Gerundensis affert, quo in fine Oratio Dominica pronuntiari jubetur.

Et hactenus a solo Hebdomadario ea Oratio praedicebatur. Quia ergo aetate Durandi adhuc a solo Hebdomadario ea pronuntiabatur; ex eo videtur intelligi, hunc nostrum Ordinem aliquanto posteriorem Durando fuisse, nec nisi exeunte XIII. saeculo, aut ineunte XIV. fuisse compositum.

Verum tota opusculi effigies, ejusdemque phraseologia huic tam recenti aetati refragatur, illudque in primis, quod intra de communi mensa illustris mentio exstitit: ad quem locum pauca commentabimur. Quare perpensis omnibus, aut dicendum erit, Neapoli saltem atque in vicinis locis morem praemittendae Officio orationis Dominicae, & quidem ab omnibus recitandae, fuisse longe, quam alibi, antiquiorem; aut si id minus placeat, videntur haec verba, quae ad eam Orationem ab omnibus pronuntiandam pertinent, diu postea ex recenti more adjecta fuisse.

(19) Conversiones hujusmodi, modo *contra Altare*, modo *e regione*, hodieque in Choro Neap. a clericis seminarii usurpantur, ex antiquo more transmissae.

(20) Istud *sine nota* pro *plane*, reperitur in Vitis abbatum S. Albani: *Missa*, inquit, *sine nota*. De notis hisce Vide Cangium in *Notae Musicae*.

(21) Hodie dum quidam regularium in choro alternatim stant atque sedent. Memini saltem Carmelitas id alicubi factitare.

(22) Si locum hunc recte capio, aliud est *Tractim dicere*, aliud *Protractio*. Verum ante omnia caput hoc leviter est partim supplendum, partim illustrandum. *Psalmodia*, inquit, *cum plane dicitur, distincte & tractim* (dicatur) .... *Quando vero* (istud VERO non est adversativum, sed ponitur pro *Quidem*) *non cantatur* [h. e. plane dicitur] *non fiat protractio in puncto metri, sed pausa convenienti & aequalis*.

His positis *tractim dicere*, est lente ac morose pronuntiare aut cantare. At *Protractio* est, ubi finalis syllaba longius protrahitur ac detinetur. Ordinarius Praemonstratensis apud Fresnium: *Finalis protrahitur .. in Graduali et versu suo finali protractio non omittatur*. Ea protractio usitatiore vocabulo dicebatur *Neuma*. Vide Fresnii Glossarium. At aliud est pausa, de qua mox. Vetat enim fieri *protractionem in puncto metri* (quod hodie *asteriscum* vocant) sed tantum *pausam* i. e. cessationem, eamque *convenientem* (quantum satis est scil.) & *aequalem*, omnibus simul interquiescentibus, simulque resumentibus.

Digitized by Google

De (23) *dandis antiphonis intonandis.*

5. Psalmis hic modus ubique servetur. In quibuslibet choro sint duo cantores, ut unus ex una parte, alter ex altera, qui distribuant singulas antiphonas per singulos fratres, unusquisque in parte sua, & cantor qui dat antiphonam, intonet psalmum, & solus reincipiat eamdem antiphonam post Psalmum; & cantetur comuniter ab utroque choro; & numquam antiphona incipiatur a duobus ante psalmum.

6. Item lectiones aut legantur in medio chori, vel alibi, ubi quo melius fieri poterit.

7. Responsoria diurna & nocturna cantent fratres in stallis suis, sicuti & antiphonas, ubi libri sufficienter habentur; ubi autem unus tantum habetur, vadant ad cantandum in medio chori comuniter. Cum autem perventum fuerit ad lectiones, lector petat benedictionem inclinato capite versus Altare, & Sacerdos sedens, praeterquam ad benedictionem (24) Evangelii, mediocri voce eam conferat. Benedictiones tam in diebus ferialibus, quam in diebus festivis in breviario (25) ibi sunt ordinate tam in festis quam in feriis, & terminentur in tono lectionis.

8. Orationes vero ad omnes horas diei, scil. prima, tertia, sexta & nona, & completorio terminentur in tono capitulorum. Et tunc Sacerdos qui dicit Orationem, dicat, *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino* in eodem tono; & respondeatur suspensive, (26) *Deo gratias*. In Vesperis autem & Matutinis semper orationes dicuntur sollenpniter, ut in Missa.

9. Tempore (27) generalis interdicti fratres legant officia & simpliciter & distincte sine nota.

10. Item nota quod in ferialibus diebus dum dicitur prima oratio, ab omnibus genuflecti debet usque ad *Per Dominum nostrum Jesum Christum* &c. Et idem fit in omnibus orationibus beate Virginis, & beati

(23) Hoc etiam littera rubra scriptum fuit.

(24) Eam intelligit, quam diaconus Evangelium decantaturus, non *inclinatus* (ut proxime ante lectiones fieri jussit) sed genuflectens benedictionem a sacerdote petit. Et hanc Sacerdos non sedens sed erectus dare debet.

(25) Corr. *In breviario, ubi*. Atqui *Breviarium* non illud intelligit, in quo tota divini Officii ἀκολουθία (*consequentia*) describitur, cujusmodi hodie utimur: verum intelligit plenarium ordinem tam Cursus ecclesiastici, sive Horarum canonicarum, quam Missae, qui utriusque rubricas tum generales, tum singulis festis peculiares complectitur. Cujusmodi est Breviarium Casinense circ. ann. 1100. scriptum; & quidam *Ordo atque anni circulus ... secundum consuetudinem majoris ecclesiae Capuanae*: quem ejusdem ferme, aut superioris temporis manu exaratum, precario commodatum habeo. Confer & Adnot. 33.

(26) Hoc est singultim ac syllabatim.

(27) *Generale Interdictum* jam inde ab X. aut saltem XI. saec. in usu esse coepit. Formula ista *legendi officia simpliciter* in Interdicto, tradita fuit ab Innoc. III. *Vt horas*, inquit, *canonicas valeant legere, non cantare*. cap. 11. *De poenit. et remiss.*

Digitized by Google

ti(28) MATTHEI APOSTOLI & Evangeliſte, tantum ad nomina ipſorum, preterquam in (29) *Pretioſa in conſpectu Domini* : & eidem quandocumque *Pater noſter* ſive in principio, ſive in (30) fine. Quando autem dicitur *Pater noſter* ante lectiones, & in benedictione (31) menſe, & in

(28) *Et idem fit in omnib. orationib. B. Virginis, et B. Matthaei Apoſt. et Evang.* Hic ille locus eſt, qui ſuadet, hunc Ordinem Salerni primum fuiſſe compoſitum, in illius ſcil. Frateriae uſum, quae poſt B. Matthaei Reliquias in Eccleſiam Salernitanam illatas inſtituta fuit, uti perpetem cultum S. Apoſtolo & Evangeliſtae exhiberet. Vide quid in Prologo a num. 10. ad finem de hac univerſa re haud temere judicaverim, praeſertim ex Comitis Ayelli donationis indicio. Ergo Salerni primum hic Ordo contextus, poſtea & a Neapolitanis fratribus adoptatus fuit.

(29) Modo dixerat, debere genuflecti ad nomina S. Mariae & S. Evangeliſtae Matthaei. Nunc excipit : *Praeterquam in PRETIOSA* &c. Nomine autem *Pretioſa* intelligenda videbatur. Martyrologii lectio, quod tunc in aliquot eccleſiis non ante, ſed poſt verſum *Pretioſa* adnuntiabatur. In Martene de Divin. Offic. cap. 8. pag. 51. media hic ordo in officio Primae ſervatur in antiquo Ordinario S. Martini Turonenſis. Poſtquam ſacerdos dixit *Pretioſa in conſpectu* &c. puer petita benedictione jubetur legere *lectionem martyrum*. Ergo noſter Ordo ex illo generali praeſcripto genuflectendi ad nomina S. Mariae & Matthaei, excipit cum illa poſt *Pretioſa* ex Martyrologio recitantur. Sic olim conjiciebam.

Sed cave de Martyrologio accipias : primum quia cum raro *Mariae* & *Matthaei* nomina in Martyrologio occurrant ; inanis fuiſſet exceptio ejus quod perraro accidit. Deinde juſſerat genuflecti *in orationibus* ad nomina *Mariae* & *Matthaei* : atqui cum Martyrologium non ſit oratio, ſed lectio, inepte excepiſſet, *Praeterquam* in Martyrologio. Ergo ne dubita quin nomine *Pretioſa* intelligatur ea quae ſtatim ſequitur Oratio, *Sancta Maria & omnes Sancti* : quae quidem non tantum in hodiernis officiis, ſed & in omnibus antiquis *Oratio* vocatur inſcribiturque : in quibus antiquis, ut dixi, ea plerumque Martyrologii lectionem antecedit, non ſubſequitur.

At inquies, cum ab hac oratione Matthaeus abſit, quis exceptioni locus erat ? Verum praeſtare audeo, in antiquo Salernitanae ſedis breviario, aut eo ſaltem, quo Frateria Salernitana antiquitus utebatur, hanc Orationem ſic fuiſſe conceptam : *Sancta Maria, S. Matthaeus Apoſt. & Evang. & omnes Sancti* &c. Hinc merito locus exceptioni illi fuit, *Praeterquam in Pretioſa*.

Atque hinc vides, quam non temere hunc Ordinem Salerni primum in uſum Frateriae Salernitanae fuiſſe compoſitum, in Prologo conjecerim, ac ſtatim a Fratriis Neapolitanis fuiſſe adoptatum.

(30) Confer Adnot. 18. ubi de *Pater noſter* in principio Officii pronuntiando dictum fuit. Ibi Ordo ſic praecipit : *Fratres proſtrati, ſi ſit ferialis dies, ſin autem, inclinati Dominicam orationem dicant*. Similiter hic plura copulantur Officii loca, ad quae ferialibus tantum diebus ſit genuflectendum. Vide ab initio hujus cap. 10. Eodem autem ſpectat & hic locus : *Et eidem* (cor. *Idem fit*) *quandocumque PATER NOSTER ſive in principio ſive in fine*. Ad utrunque enim ferialibus diebus eſt genu flectendum, ceteris vero diebus eſt inclinandum.

Orationis Dominicae in fine recitatio (a ſolo Sacerdote facienda) eſt ſatis antiqua : de qua exſtat canon Gerundenſis Concilii (ann. 517.) relatus a Gratiano de conſecr. diſt. 5. can. 14. his verbis : *Id ſemper placuit obſervari, ut omnibus diebus poſt Matutinas & Veſperas Oratio Dominica a ſacerdote proferatur*.

(31) Hinc palam eſt, hos fratres communi menſa utentes, vitam degiſſe in eodem clauſtro communem. Quod hic oblique tantum ſignificatur ; quia hujus ſcripti ſcopus non alius fuit, quam divina officia dirigere.

Hic porro locus perquam notabilis eſt : ex quo uno hujus Ordinis antiquitas aeſtimari poteſt. Sic enim rationes in eo. Hunc ordinem in uſum Frateriae Salernitanae (cujus meminit charta Comitis Ayelli, Liber Confratrum &c.) initio ſcriptum fuiſſe, ex peculiari cultu S. Matthaei docuimus. Haec autem Frateria anno 1193. (quo donatio a Comite Ayelli facta fuit, cujus verba in Prologo produximus) a vita communi jam deſciverat. Etenim ſi tunc vita communis inter eos viguiſſet, non communiter inter ſe reditus (ut in illa donatione dicitur) diviſiſſent, ſed communi menſa uſi fuiſſent. Atqui hic Ordo cum ſcriptus fuit, Fratres communiter omnes in eodem refectorio veſcebantur : id quod ex benedictione menſae hujus loci conſtat. Ergo ſaltem centum annis antiquior donatione Comitis Ayelli hic Ordo videtur : qui ſub initia Frateriae illius ſcribi debuit, exeunte facile XI. ſaeculo, ac paullo poſt reliquias S. Matthaei in Cathedrali illa repoſitas. Nam in ejus Apoſtoli cultum ea Fratria inſtituta fuit. Sic equidem rationes putandas cenſui.

Digitized by Google

& in agendis gratiis non genuflectitur nisi in ultimo *Pater noster*. Et post Gratias, & post *Pretiosa*, si dicatur (32) in Ecclesia, flectant fratres genua. Et quando dicitur Credo, & in suffragiis & precibus, sicut de eis in (33) breviario continetur. Sacerdos vero qui dicit orationes stet erectus, si cantando eas dicat.

11. In Missa autem prosternant se, cum dicitur prima collecta. Quando autem dicitur una prophetia vel plures, ad illas orationes non prosternant se fratres, nisi ad illam ad quam dicitur *Dominus vobiscum*: semper autem, sive sit festum sive non. Inter Offert. & (34) Grad. fratres stent erecti versis vultibus ad altare. Item prosternant se, dum differit Sacerdos *Orate fratres*, & surgant, cum differit *Per omnia secula seculorum*. Item dicto *Sanctus*, prosternant usque ad elevationem Corporis Christi. Et tunc surgant & depositis (35) mantellis, si qui habuerit, & nu-

(32) Notanda sunt haec verba, per quae innuitur, interdum *ad Pretiosa* unaque *ad S. Maria* & statim sequentem Martyrologii lectionem non in Ecclesia sed alibi nim. in Capitulo, dici consuevisse. Atque hoc demum est id quod olim vocabatur *Officium Capituli*, in libris liturgicis celeberrimum: de quo videatur supra laudatus Martenius de Div. Offic. cap. 8. pag. 49. 50. ubi ex plurimis Ordinibus antiquis id Officium describit. Rei summa huc redit. Post absolutum in Ecclesia Primae Officium, procedebatur in Capitulum, ubi lectio Martyrologii ac deinde alicujus Capituli Regulae S. Grodegangi, aut alicujus homiliae peragebatur; aut vero lectio Regulae praeibat, Mrologii sequebatur: unde interdum videas Mrologium ipsum vocari *Regulam*, quia in eodem libro utrumque legebatur. Omnino quae huc spectant, sunt scitu digniſſima, quae ex indicato Martenii loco petas censeo. At in aliquot locis Mrologium antea in ipsa Ecclesia legebatur, quo lecto procedebatur ad lectionem Regulae in Capitulo; ut ex eodem auctore pag. 50. patescit. Hinc non temere hic scribitur, *Post Pretiosa, si DICATVR IN ECCLESIA*. Nam alia alibi consuetudo servabatur: aut vero in eodem loco Mrologium modo in Ecclesia, modo in Capitulo legebatur: at Regulae Capitulum non nisi in eo loco legebatur, qui ab ea lectione sibi *Capituli* nomen quaesivit.

(33) Hinc rursus intelligis, *Breviarii* vocabulum accipi antiquiore significatu pro eo libro, quo rubricae per totum anni circulum praescribuntur: in quo inquam primario rubricae continentur; nam quae legenda aut cantanda, sive in Officio sive in Missa sunt, eorum dumtaxat initium adscribitur. De quo vide supra in Admot. 25. Omnino hoc inter hunc brevem ordinem adquem nunc commentamur, interque Breviarium longius intererat, quod in hoc Ordine rubricae tantum generales praescribuntur, at in longiore Breviario singillatim suis dieb. suae rubricae convenientes tradebantur; unde Capuanus Ordo, *Anni circulus* alio nomine vocabatur. Ad *Breviarium* vero hoc loco lector rejicitur, quia non poterat ea res hic generali praeceptione tradi.

(34) Hoc ordine & litterarum compendio haec in Cod. exhibentur. Verum luxata fuisse non est dubium; ac fuisse scribendum: *Inter Gradale* [sive *Graduale*] *& Offertorium*. Nam & olim & nunc illud prius, hoc posterius cani, quis ignorat?

(35) *Depositis*, inquit, *mantellis, & nudatis capitibus*. Nam mantellis (sicuti & canonicorum almutiis itemque cappis) sua erant capitia. In syllabo monasticorum signorum, quem ex Ms. S. Victoris Paris. edidit Fresnius in voce *Signum*, legitur: *Pro signo MANTELLI SEV PELLIVM, oram eorum tene*. Ex quo intelligitur, tum ex pellibus fuisse consutum mantellum, tum etiam monachis maximo in usu fuisse. Cave tamen, cum hic *Mantellum* audis, continuo hos fratres fuisse monachos meros decernas. *Mantellus* aut *Mantellum* (vox usurpata Plauto atque Lucilio) communis omnium vestis erat, non tantum monachis, sed & laicis (vide Falconem Benev. ad ann. 1122. in Murat. to. 5. pag. 98. C. ubi convicium illud legitur, *Mantellum tuum ego curtabo*) & etiam clericis. Certe in concilio Metensi ann. 888. c. 6. cavetur: *Nemo clericorum . . cottos vel mantellos sine cappa porter*. Quae verba si jungantur cum hoc cujusdam grammatici apud Fresnium versiculo:

Qui dedit in bruma mihi mantellum sine pluma:

Itemque:

Dixit mantellus, mihi nec pilus est neque vellus:

po-

Digitized by Google

& nudatis capitibus adorent humiliter & devote flectentes genua versus Corpus Christi, & interim sint prostrati usque ad *Per omnia* de *Pax domini*. Item a dicto *Agnus Dei* sint prostrati usque ad communionem.

12. Item nota, In diebus festivis fratres non prosternant se nisi ad Corporis Christi elevationem usque ad *Per omnia* ante *Pater noster*, quod in festis etiam dupplicibus observetur.

13. Item flectant genua fratres in ferialibus diebus in Missa de Spiritu sancto, quando dicitur *Veni sancte Spiritus*, & in tempore quando dicitur tractus, *Domine non secundum peccata nostra*, ad illum versum, *Adjuva nos*, & ad *Ave regina celorum*, in principio tantum, & ad versum illum, *O Crux ave spes unica*, in ferialibus diebus.

14. Item & nota, quod ubicumque in ferialibus diebus genuflectitur, in diebus festivis inclinatur, preterquam in precibus Prime & Completorii. In quibus fratres stent erecti, e regione conversi.

15. Item Invitatorium & omnes versiculi cum *Benedicamus* a b uno fratre tantum dicantur in sede in ferialibus diebus per totum annum, & ab octava (36) Resurrectionis usque ad Ascensionem.

16. Item in festis semiduplicibus & diebus dominicis oratio a Sacerdote dicatur a gradibus (37) ante Altare in utriusque vesperis & matutinis: Invitatorium, tertium, sextum & ultimum Responsorium & Grad. & Alleluya cantetur ad (38) pulpitum a duobus in medio chori: brevia vero responsoria, versiculi, & *Benedicamus Domino* in matutinis & in utriusque Vesperis dicantur a duobus ad gradus (39) ante Altare; & unus (40) cereus habeatur in utriusque vesperis & matutinis. Si vero in secundis vesperis a capitulo in antea fit festo simplici, totum fiat sicut in simplici festo.

17. Item in festo novem lectionum, invitatorium & ultimum responsorium, & Alleluya in Missa semper dicantur a duobus ad pulpitum in medio chori: versiculi vero & *Benedicamus Domino* ab uno dicatur in stallo.

DIA-

potest conjici, mantellum cum suo capitio ex pellibus villosis fuisse consutum, & cappae superpositum. Itaque cappa cum mantello villoso totum id erit, quod nunc *cappa pontificalis* (quae & Canonicis pluribus in usu est) vocatur. Hinc noster Comitus fol. 4. ex Jo: Vrtini Ritib. jubet Archiepiscopum in Dominicis Adventus Divinis interesse *Cum Mantello vel* [ubi *Vel* συνωνυμίαν notat] *cappa clausa*. Sic etiam & alibi. Porro quo tempore hic ordo scriptus, liberum omnibus erat his indumentis uti.

(36) Merito cavet, *Ab Octava Resurrect.* Nam intra eas octavas Invitatorium, & versiculi plerique omittebantur, sicuti & hodie.

(37) Hoc memini in Capuana Cathedrali ante hos 25. annos adhuc in Laudibus & in Vesperis fuisse factum. Oratio enim a canonico hebdomadario in diebus minus sollemnibus ante gradus Altaris ad pulpitum portatile canebatur. At post concessa a Benedicto XIII. pontificalia indumenta, canonici ad ritus Benerentanos se conformarunt.

(38) De hoc pulpito portatili vide Cangium.

(39) Hoc quoque Capuae fiebat, hodieq. fit.

(40) De hoc *cereo uno* amplius considerandum.

Digitized by Google

DIATRIBA VI.

Qua pervetustum Athanasiani hospitalis inventarium exponitur: ex quo, praeter cetera, Neapolitanos Hebdomadarios nihil cum S. Athanasio habuisse commune, eorumque recens admodum fundatio magis confirmatur.

Ad illustrationem Par. II. cap. 3. ubi de Hebdomadariis agitur.

PROLOGVS

Sequens Inventarium bonorum & onerum Athanasiani Xenodochii (quod idcirco nunc in tabulario Aedis Adnuntiatae adservatur, quod Athanasii hospitale postmodum ab Eugenio IV. Adnuntiatae adnexum fuerit) statueram inter ea pauca documenta, quae infra adscribam, inferere. Verum tanta mihi ejus bonitas, pretium & antiquitas visa fuit, & ad tam multa valere posse, ut ei ultro digniorem locum tribuerim, nec invitus fecerim, ut ei hanc Diatribam ultimam destinarem.

1. Nam de antiquitate si quaeras, non dubitavero id haud serius ineunte aut medio saeculo XIII. primum videri factum. Etenim Hilarius de Paludе in prooemio testatur, id a se scriptum fuisse anno 1336. h. e. sub Archiep. Joanne Vrsino, vigesimo post novae hujus Cathedralis encaenia. Idem vero in fine monumenti dicit sese *Omnia . . de verbo ad verbum copiare feciſſe de INVENTARIO ANTIQVO, prout jacet, nil diviſa, addito, vel mutato*. Ergo illud inventarium prius (quod Hilario tam antiquum videbatur, ut illud novo edito exemplo reficere, anno 1336. necesse duxerit) facile ducentorum annorum senio grandaevum tunc esse debuit, cum ad illud transcribendum Hilarius appulit animum. Itaque si duorum saeculorum aetatem tunc gesserit; medio XII. saeculo conditum initio fuit. At vel si minimam senectutem eidem illi tribueris, vel sic tamen ineunte aut summum medio XIII. saeculo primitus videtur compositum; stante nim. Stephania, diu ante hodiernam novam Cathedralem.

2. Deinde non solum ab antiquitate & sinceritate sese hoc monumentum commendat, sed ex eo multo maxime, quod partem non contemnendam continet generalis Inventarii omnium Ecclesiarum ab Joanne Vrsino accuratione summa conditi: de cujus amissione plories expostulavimus, in primis Par. II. pag. 156. 157. De Vrsino Chioccarellus in Archiep. Neap. pag. 223. sic loquitur. *Fecit Inventarium . . . bonorum eccleſiar. omnium civit. Neapolis ejuſque dioeceſis: in quo jura, reditus, privilegia ac fundationes (quo nempe tempore & a quo fuerint erectae) ſingillatim recenſebantur: idque regnantibus Ludovico ac Joanna Neap. Regibus anno 1353. die 2. Dec. Ind. VII. geſtum erat: quod quidem Inventarium praegrande erat ac in pergameno conſcriptum, & in Majori Neap. Eccleſia penes Archiepiſcopos ejus ſucceſſores aſſervabatur: ex quo aliquot exemplaria pro quibuſdam Eccleſiis a publicis tabellionibus excerpta vidimus . . . Sed diu eſt, quod ejus libri interitus deploratur* &c. Haec igitur bonorum, jurium, & onerum Hospitalis S. Athanasii recensio pars fuit illius praegrandis Inventarii, quod Joannes fieri jussit. Et quamvis ingens illud opus anno 1353. Vrsinus evulgasse dicatur; tamen diu antea singulis ejus Inventarii partibus insudari fecit. Itaque anno 1336. (qui fuit sextus decimus ante generale Inventarium evulgatum) particulare istud, quod jam ante exstabat [ut in fine Inventarii scribitur] refici diligentius jussit, ut in fine prooemii legitur. Et tamen opus illud tantum (cujus nunc hanc particulam specimini loco damus) auro gemmisque aestimabilius, posterorum supinitate nunc amissum lugemus.

3. Ex hoc autem accuratissimo Athanasiani hospitalis inventario [quod hic in specimen Vrsiniani generalis daturi sumus] partem illam longe diffusissimam abscidimus, qua recensio bonorum stabilium, jurium &c. continetur; non quin utilissima sit ad res sane plurimas, ac si non aliud, ad ejus aetatis locorum atque finium appellationes pernoscendas, sed quod ad eam describendam tempus defuerit. Quamquam ex facto per me indicio alios prolecturos spero, & integrum Inventarium aliqua do edituros. Ergo post prooemium, tam-

Digitized by Google

tantummodo partem, qua onera xenodochii sollertissime describuntur, subjiciemus.

4. Ex qua quidem parte tum multa antiquitatis aevi posterioris capita illustrantur, tum etiam Hebdomadariorum nostrorum commenta mirifica convelluntur, illudque in primis, quo se S. Athanasio patre & auctore sui generis gloriantur. Ac fruantur ii quidem (nec enim veto) suis somniis suavissimis, ne qua importunitate nostra expergefacti, beari desistant, ac juxta cum Horatiano illo Argivo conquerantur.

Pol me occidistis amici,
Non servastis, ait: cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim, mentis gratissimus error.

Itaque oblectent se tantisper viso suo: nihil obstrepam. Affabor interim sanos ac vigilantes. Estne, inquam, credibile, inter Athanasiani inventarii onera atque praestationes nullam ne verbo quidem Hebdomadariorum [si quidem hi nostri re vera Athanasio parente prognati fuissent] mentionem fuisse factam? annon Inofficiosi querelâ juste hi nostri se tuebuntur, quo se injuria praeteritos arguant? Atqui ita prorsus se res habet. Inventarium onerum, quod daturi sumus, Capituli in ipso prooemio & millies meminit, eiq. lautia ut illis temporibus perquam opima praeberi jubet: meminit praeterea & aliorum Ecclesiae Neapolitanae ministrorum: interim de Hebdomadariis neque vola neque vestigium. Ad festivitatem nullam, nullum convivium, ne in festo quidem eorum putativi parentis, hi praeclari Athanasii nepotes invitantur: nulla iis usquam praestatio penditur; ut plane certissimum haberi debeat, si quidem tempore scriptionis Inventarii istius jam Hebdomadarii fuerint, a nemine prorsus pro stirpe Athanasiana fuisse agnitos; ac postremo *sacerdotes Hebdomadarios* illos, quos Athanasii vita *juxta morem ecclesiae Romanae* institutos refert, haud alios fuisse, quam septem canonicos presbyteros Cardinales, dictos utique *Hebdomadarios* ob eam causam, quod in Neapolitana Ecclesia Salvatoris sic quotidie celebraturi essent, sicuti in Romana Salvatoris basilica septem Cardinales Hebdomadarii quotidie sacra faciebant. Merito canonicis, tamquam Athanasiano generi, saepe munusula aut pecunia erogabatur.

5. Quid quod ex miro de Hebdomadariis hodiernis silentio prorsus habendum pro explorato est, tempore primae confectionis Inventarii illos non dum editos in lucem fuisse? Ita plane. Nam si tunc plane existitissent; quoties Capitulum sive in festo S. Athanasii, & S. Andreae sive quovis alio tempore sacra hospitalis procurabat, hebdomadariorum apparitio minime defuisset.

6. Imo ne anno quidem 1336. [quo refectum hoc Inventarium fuit] Hebdomadarii in luminis auras prodierant; alioqui nominandi fuissent. Quocirca cum ex Ritib. Vrsini certum sit ante Kalendas Majas anni 1337. eos jam fuisse prognatos; dicendum erit, eorum natales sive in extrema anni 1336. post confectum inventarium incidisse, sive in priores quatuor anni 1337. menses. Verum de his rursum infra Adnot. 15. Nunc Monumentum ipsum inspiciamus.

PER VETVSTVM INVENTARIVM

Bonorum, jurium, & onerum Hospitalis Athanasiani, anno 1336. jussu (uti videtur) Archiep. Joannis (1) Vrsini ex alio longe (2) antiquiore descriptum, & accuratius (3) refectum. Cui numeros sectionum accommodate ad citandum adjunximus.

INventarium omnium Terrarum possessionum & aliorum redditiuum quorumcumque hospitalis Sancti Aethenasii de Neap., cujus est Abbas seu Rector Venerabilis Vir Dominus Mactheus de Longis de Pergamo, nec non omnium ad quae ex debito tenentur idem Rector ratione ejusdem Hospitalis, tam pro decima quam Domino Neapolitano Archiepiscopo ipsius Hospi-

Digitized by Google

Hoſpitalis (4) *Patrono, quam Capitulo* (5) *ejusdem Eccleſiae ſeu quibuſcumq. aliis. Editum, & compoſitum per Marium de Palude de Parma Procuratorem dicti Domini Macthei, In anno Domini milleſimo tercenteſimo, triceſimo ſexto IIII. Indictionis. Quae Terrae, & poſſeſſiones idem Procurator fecit omnes de novo paſſiare, & poni novos confines.*

In quo Inventario inter caeteras partitas continentur infraſcriptae (6).

Infraſcripta (7) *ſunt ea quae tenentur dictum Hoſpitale, ſeu ejus Rector ex debito.*

1. *In primis quando ſolvitur decima Papalis ſolvit unc.* (8) *VI.*

2. *Item pro Sacra navi* (9) *Archiepiſcopi Neapolitani unc. IIII.*

3. *Item ſemel in anno, quando Archiepiſcopus vadit ad balnea* (10) *unc. I.*

4. *Item Presbitero celebrat in Cappella ipſius Hoſpitalis tar. XXII.*

5. *Item*

(1) Vide in ſuperiore Prologo num. 2.

(2) De prioris inventarii antiquitate vide in eod. Prologo num 1.

(3) In eo ſaltem major accuratio conſiſtit, quod Hilarius de Palude procurator Rectoris hoſpitalis *terras & poſſeſſiones .. fecit omnes de novo paſſiare, & poni novos confines*, ut in fine procmii ſcribitur; idque ex formula quam ut arbitror Archiep. Vrſinus omnibus rectoribus eccleſiarum praeſcripſerat. Illud *Paſſiare* verbum eſt Neapolitanis agrimenſoribus tritum, h. e. terrarum menſuram ad paſſum illum ferreum, qui olim in Stephania, nunc in hac nova Cathedrali cuidam columnae affixus ſervatur, exigere.

(4) Jus patronatus ab S. Athanaſio xenodochii fundatore ad ſucceſſores optimo jure fluxerat: cujus patronatus ratione tenebatur rector decimam Archiepiſcopo perſolvere, praeter alia honoraria, quae eidem debita agnoſcuntur paſſim in hoc Inventario.

(5) Capitulo etiam haud pauca debebantur, de quibus tum infra variis locis, tum etiam in Comiti libro. Etiam nunc Gubernatores aedis Adnuntiatae quamdam pecuniae ſummam Capitulo ſolvunt: cujus documentum proferam inter Monumenta.

(6) Poſt haec verba in autographo, quod in tabulario Adnuntiatae aſſervatur, ſequitur ſane quam longiſſimus terrarum, poſſeſſionum, jurium catalogus: de quo, eſſet ne hic inſerendus, diu deliberavi. Sed tandem morae impatiens univerſam illam partem Inventarii potiſſimam, ex qua divitiae Hoſpitalis ejus (quas ſatis auctor vitae Athanaſianae in prooemio attigit) demonſtrantur, in totum omiſi. Erit profecto alius, qui & integrum Inventarium illud (non tantum utpote pretioſum veteris Stephaniae cimelium, verum etiam quod eo vetus regionum noſtrarum facies, & locorum antiquae nomenclationes in lucem proferuntur) cum aliis pluribus monumentis ſit aliquando producturus in lucem: mihi theſauri hujus indicium feciſſe ſit ſatis.

(7) Itaque omiſſa longiſſima bonorum recenſione, hanc tantum inventarii partem alteram breviorem, hinc incipientem, adſcripſi, qua continentur onera hoſpitalis ejuſdem.

(8) *Vncias* auri ſemper intellige. *Vncia auri* non unica moneta erat, ſed pecuniae quantitas, quae ſexaginta tarenis Siculis reſpondebat, uti Diatr. V. ad Ordinem divinor. Offic. ex charta Comitis Ayelli cum altero monumento anni 1212. collata oſtendi Adnot. 4. Etſi aliud reperi monumentum, in quo Vncia triginta tarenis par erat: certe quia tareni valor non ubique nec ſemper idem fuit. At vetus tarenus hodierni argentei valorem ſemper multis partibus ſuperabat.

(9) Cor. *Novi*. Archiepiſcopus a Capitulo electus, Romam conſecrandus proficiſcebatur. Cui pro expenſis ſubſidium ab eccleſiis perſolvebatur: quod hodie num in uſu eſt, ac *ſubſidium caritativum* vulgo vocatur. Differt ab altera *Sacra* de qua num. 6. quae poſterior anniverſarium conſecrationis (aut forſitan poſſeſſionis) Archiepiſcopi notat: pro qua una tantum uncia ab Hoſpitali dabatur.

(10) Inter Puteolana balnea celebre illud erat, quod FONS EPISCOPI dicebatur. Egit nuper de fonte hoc vir amiciſs. & pereleganti ingenii Paulus Maria Paciaudius Cl. Reg. in doctiſſimo opuſculo, quod inſcribitur *De ſacris Chriſtianorum balneis*. Occaſionem ei opuſculo praebuit Paulinus Codex, quo continetur millies editum illud poemation de balneis Puteolanis, in epigrammata totidem, quot ſunt balnea, diſtributum. Id poema in Paulino codice inſcribitur, *De balneis prope Neapolim*. Atqui e regione lavacri illius, quod *Fons epiſcopi* dicitur, inſeritur pictura, in qua Pontifices duo ſacris indumentis ornati clericis monachiſve inferne lavantibus imminent: quorum alterum (illum ſcil. qui dextrum occupans latus, lavantibus benedicit) pro Neapolitano Archiepiſcopo, alterum pro Praeſule Puteolano habuerim. Hac ergo pictura celebrem *fontem epiſcopi* exhiberi, ipſa etiam ſchematis inſcriptio (in qua legitur FONS EPISCOPI) docet. Nec, puto, ab re conjecerim, imminente

Digitized by Google

5. *Item quando ſolvitur* (11) *ſolvuntur pro dictis Beneficiis unc. I.*

6. *Et pro Sacra dicti Archiepiſcopi unc. I.*

7. *Item quibuſdam Diebus Dominicis et Jovis XII. Pauperibus, quolibet dictorum dierum de carnibus carolenum unum, & pro quolibet panem unum & unum urczeolum de vino, & ultra in feſto Nativitatis, Reſurrectionis & Sanctae Mariae de Auguſto & (12) carniprivo: ſi veniant in aliis diebus quam praedictis, dantur eis praedicta pro pietanczia: in ipſo Hoſpitali ſunt XII. lecta videlicet ſaccona plena palea, & carpitas* (13) *& de conſuetudine pauperes, & peregrini hoſpitantur ibidem per tres dies, poſtea datur eis licentia, & recipiuntur aliqui* (14) *ſi vero aliqui infirmantur dantur ſibi neceſſaria.*

8. *Item debet habere Hoſpitalarius deputatus ad cuſtodiam ipſius Hoſpitalis grani Th. XII.* *Th. XII.*

9. *Et vini ſalmas portatas ad ipſum Hoſpitale* *XII.*

10. *Et in Feſto Sancti Acthenaſii dantur carnes certis vicinis de conſuetudine antiquitus obſervata, & fit convivium Magiſtris* (15) *ſcolarum*

Canicula Neapolitanum Antiſtitem ad lavacra celebratiſſima (quae aliis *Puteolana*, aliis *Neapolitana* vocare placuit: quorum poſterius ejuſdem Paulini codicis praefert inſcriptio) fuiſſe invitatum, ut fontibus benediceret, ac, ſi vellet, ipſe primus ablueretur, aut ſaltem dicis cauſa ejus anni lavationem deſcenſu ſuo encaeniaret. Pro qua profectione Hoſpitalis rector unciam unam ei ſolvebat. Nec immerito, quippe languentium frequens multitudo ab eo noſocomio ad balnea mittebatur quotannis, uti languoribus ſuis remedia quaereret.

(11) Mutila ſcriptura ſic ex ſupradictis num. 1. ſuppleri debet: *Quando ſolvitur decima Papalis, ſolvuntur pro dictis beneficiis.* At ubinam quaeſo de beneficiis iſtis dixerat? In priore, opinor, inventarii parte (in qua bona, jura, etc. nec non beneficia hoſpitali annexa atque in praedium data recenſebantur) de beneficiis hujuſmodi dixerat.

(12) *Carniprivium* ſeu *Carnisprivium* vocabatur ſecunda Dominica Septuageſimae, ſive Dominica in Quinquageſima: a qua olim fideles carnibus ſeſe abſtinere incipiebant maxime clerici & Sacerdotes, unde ea *Carniprivium Sacerdotum* alicubi vocabatur. Videatur Cangius & alii.

(13) CARPITA quid ſit, docet Cruſca hodierna ſic interpretans, *Panno con pelo lungo . . panni villoſi genus*, χλαῖνα. A *carpendo* videtur dicta. Ex deſcriptione intelligis, eam, ut hic, vulgo valuiſſe ad lecti opertorium. Ibid. ex *Libr. cur. malatt.* ſic affertur: *Non tenga addoſſo, ſe non una leggier carpitella.* At in regula Templariorum non ad operiendum ſed ad ſubſternendum cubituris valebat; ſic enim cap. 70. legitur. *Carpitam habeat in lecto: qui ſacco, culcitra vel coopertorio carebit.* Sed & interdum ea vox videtur pro vili centone uſurpata, cujusmodi deſcribitur ab Academicis Cruſcanis apud Cangium: a quibus *Carpita* definitur: *Un apparato di tavola vile, compoſto di materie groſſe di lana, e di pezze di diverſi colori.* Id noſtris nunc hominibus *Schiavina* vocatur, nec tantum ad menſas inſternendas, ſed & in lectis uſurpatur. Ejuſmodi olim fuiſſe Carmelitarum pallium, idque *Carpitam* vocatum, oſtendit Papebrochius ad VIII. April. pag. 798. 799.

(14) Corr. *Alii*. Niſi vero id temporis *Aliquis* pro *Alius* uſurpabatur.

(15) Notabile hoc eſt, quod in hoc onerum Hoſpitalis Inventario *Magiſtri ſcholarum* memorantur, *Hebdomadarii* non item. Quod tamen minime mirum. Nam duos Magiſtros ſcholarum in Cathedrali Neap. fuiſſe Hebdomadariis antiquiores, tum ex funeraria Conſtitutione Joannis Vrſini conſtat, tum ex iis quae ad quamdam Capitularem ſuggeſtionem notavi pag. 169. in fine Adnot. 69. Quocirca certiſſimum eſt, quo tempore prius illud inventarium [ex quo deſcriptum eſt iſtud] initio conditum fuit, Hebdomadarios, quorum hic nulla mentio, non dum in lucem prodiiſſe. Quare commentum illud putidiſſimum [quod diutule poſt Hannibalem de Capua, qui de Hebdomadariorum origine ſollemne illud *Non liquere* Romano more pronuntiaverat ſonfictum fuit] quo eorum genus ad S. Athanaſium auctorem refertur, hoc Inventario prorſus exploditur. Nec enim fieri poterat, ut Athanaſiani nepotes in his Athanaſii veluti teſtamenti tabulis turpiter praeterirentur, dum interim Capituli & Canonicorum in ipſo ſtatim prooemio, ac paſſim in decurſu ratio habita perhonorifica cernitur.

Ad Hebdomadariorum autem verâ fundationem quod attinet, eos Kalendis Maii anni 1337. jam prognatos fuiſſe, ex Ritibus Vrſinianis eo die publicatis oſtendi pluries in Diſſert. parte altera: eoſdem vero anno 1334. dum Vrſinus funerariam Conſtitutionem ederet, nondum lucis uſuram cepiſſe. Quocirca intermediis XXX. menſibus inſtituendi fuerunt.

Nunc ſi quaeras utrum ante hoc inventarium [ann. 1336. ante finem Auguſti ab Hilario refectum] an poſt ipſum erecti Hebdomadarii fuerint; ajo utrumque impune affirmari poſſe. Etenim ex nulla

Digitized by Google

larum quorum quilibet debet ducere secum tres (16) *socios, Foresiariosque* (17) *comodat paramenta, & aliis qui faciunt officium dicta die. Quae carnes cum omnibus expensis dicti convivii possunt constare communiter, secundum pane, & vino unc. II. tar. XXV. nam solum carnes vaccinae, quae dantur ut dictum est constant unc. I. Et minus unum cantarium casei, quod datur Pauperibus dicte die ut inferius constat tar.* (18) *XV.*

11. *Item dantur dicta die Sancti Athenasii Domino Archiepiscopo Neapolitano Patrono ipsius Hospitalis paparae* (19) *duo.*

12. *Item in dicta die fit panis de XII. Thum grani quod datur Pauperibus excepto illo qui. expenditur pro dicto convivio, & de caseo cantarium I. qui per frustra inciditur, & omnibus Pauperibus affluentibus ipsa die ad ipsum hospitale, datur unus panis, & frustrius* (20) *casei, grani* *Th. XII.*

13. *Item datur ex debito in* (21) *Vigilia dicti Festi cuilibet Canonico Neapolitano carrafam unam de bono greco presenti in Civitate, & absenti.*

14. *Item in Vesperis dicti Festi dantur cuilibet Canonico dictae Ecclesiae veniente ad dictas Vesperas grana V., absentibus nihil, quantumcumque infirmi, vel alio quocumque justo impedimento deinceps* (22) *id potest ascendere communiter ad tar. X. vel circa* *tar. X.*

15. *Item notandum quod dictus Dominus Archiepiscopus tenetur dicta die per unum* (23) *Episcopum facere celebrari in Altari sito in Ecclesia Neapolitana* (24) *ubi est dignissimum corpus*

la Hebdomadariorum mentione non necessario sequitur, eos anno 1336. (quo transcriptum est inventarium) nondum fuisse recens tunc primulum institutos. Nam [ut omittam quod hoc Inventarium ex altero multo antiquiore, in quo nulla Hebdomadarior. fieri mentio potuerat, descriptum fuit] nulla necessitas incidit, cur eorum adhuc a partu rubentium hic mentio exsisteret. Quod si hoc sequi mavis, nostros hosce Hebdomadarios refecti inventarii tempore nondum lucem adspexisse; id etiam tuto affirmari potest: imo ex nulla eorum mentione verisimilius arbitror. Ergo satis erit, si intra menses octo, qui a Kal. Sept. anni 1336. ad Kal. Majas anni 1337. fluxerunt, vitales auras carpere inceperint. Cur, inquis, intra eos menses octo? Quia incertum est quonam mense anni 1336. ab Hilario de Palude refectum hoc inventarium fuerit. Nam quia scriptum fuit Indictione IV; ex Indictionis numero tantum constat, ante finem mensis Augusti ejusdem anni fuisse descriptum; quia a Kalendis Septembris ejus anni jam pro IV. Indictione Neapoli juxta cum CPolitanis Indictio V. decurrere inceperat.

Ergo eo demum res summa redit, ut Hebdomadarii nostri nec serius Kalendis Octob. anni 1337. prodierint, nec eosdem ante Kalendas Sept. anni 1336. progeneratos, praestare possimus.

(16) Comites hosce *Umbras* vocavit antiquitas, ut qui primario invitatum ita sequuntur, ut corpus umbra. Vide Horatium lib. 2. sat. 8. & lib. 1. ep. 5. At miranda est nostri scriptoris simplicitas: *Debet*, inquit, *ducere secum tres socios*: qui scribere debuisset, *Tres* [*non amplius*] *socios potest ducere.*

(17) *Foresiariios* haud alios intellige, quam *hospites*, qui Italis *Foresieri* vocantur. Ergo praeter comites ternos, quos poterant sibi Magistri scholarum adjungere, adducebant & alios *foresiarios* sive hospites. Quosnam? Sequens locus partim supplendus, partim est leviter emaculandus: *Foresiarios, qui commodant paramenta* [sacra scil. veluti calices, missalia, & sacra indumenta: qua notione ea vox est passim obvia] *& alios, qui faciunt officium dicta die.*

(18) Vt calculi recte procedant, reliqua omnia (praeter vaccinam, & casei minus quam unum cantarium, quod constare ait taren. XV.) constare debuerunt uncia I. taren. X. Porro de cantarii Neapolitani pondere fallitur Fresnius in Glossario, ubi XXV. libris definit. Nunc quidem quanto sit ponderosius, nostri homines norunt. At vel ex hoc inventario arguitur fuisse tunc longe gravius, ex pretio scil. taren. XV. Tarenus ille non est cum nostro comparabilis.

(19) Italis pulli anserini vocantur *Paperi* & *Papere*: quorum parentes dicuntur *Ochе*. Quam vocem frustra ab exteris quaesieris.

(20) Cor. *Frustum unum casei*, ut num. 17.

(21) *Vigilia* erat officium quoddam a Vesperis distinctum, quod adhuc saec. XV. in usu erat, ut ex libro Comiti in festo S. Andreae constat; ex quo plura descripsi in Anteloquio Adnot. 11. pag. IX. & X. quae cum hoc Inventario conferas censeo. Nec enim eadem bis recoquere est animus.

(22) Fort. *Devinctis* aut *detentis*. Nam *Deinceps* hic nihil est.

(23) Aliquem ex episcopis suffraganeis intelligit: qui pro illorum temporum disciplina Metropolitae suo semper apparebant, parebantque.

(24) Si haec sectio ab auctore antiquioris In-

Digitized by Google

corpus Sancti Athenasii Confessoris Episcopi, & ipsum Episcopum dicta die permanere in (25) *commestione.*

16. *Item dicta die tenetur Rector ejusd. Hospitalis Abbati Copulato & ejus haeredibus, & Domino Thomasio Gurigie & ejus haeredibus dare caponem unum, & carasam unam de greco quam recipiunt unus uno anno, & alter altero tantum, quare ignoro, nec nunquam scire potui vel scripturis, vel aliter, & etiam dicti recipientes ignorant nisi quod sic ab antiquo extitit observatum.*

17. *Item in Vigilia Beati Andreae Apostoli, in cujus honorem dictus Sanctus Athenasius Cappellam* (26) *juxta ipsum Hospitale hedificat, tenetur ex debito dare pro piscibus cuilibet Canonico presenti in vesperis, vel in Civitate* (27) *Neapolitana grana X, quae ascendunt ad tar. XV. vel circa. Item Diaconibus qui sunt septem in Civitate ipsa dantur pisces, & non pecunia, qui ascendere possunt ad tar VII vel circa. Item pro matutinis dantur tar. IIII. grana XIII. et 3.2. Item Domino Archiepiscopo Neapolitano dicta die pro redditu* (28) *debet habere a dicto Hospitali tar. II. grana XIIII. & 3.2. Item pro uno cantario casei pro dando Pauperibus tar. XXV. vel circa. Item de Th. XII. grani fit panis & datur dicta die omnibus Pauperibus confluentibus ad ipsum hospitale, videl. cuilibet panis unus cum uno frusto casei, ut supra in Festo Sancti Athenasii: comedunt aliqui Clerici cum Rectore ipsius Hospitalis seù Procuratore, qui faciunt officium: que omnia, & alia pro dicto festo, & solemnitate necessaria fienda, ex debito, & antiqua consuetudine possunt ascendere secundum diximus Th. grani VII* (29) *greco, & vino* (30) *qui non computantur in ista summa pecuniae ad uncias II.*

18. *Item tenetur dictus Rector dare anno quolibet Nobili viro Joanni Cantelmo vel ejus haeredibus,*

ventarii (quod stante adhuc Stephania conditum fuit) profecta, uti credo, fuit; tum *Ecclesiae Neapolitanae* nomine Stephania (h. e. hodierna S. Restituta) venit, in qua tunc Corpus S. Athanasii sub Altari suo recondebatur. Eadem vero sectio etiam tum locum habuit, cum inventarium illud transcriptum ab Hilario de Palude fuit: quo tempore in Altari familiae Galeotae (sub quo Reliquiae S. Athanasii collocatae fuerunt) quotannis de mandato Archiepiscopi unus ex episcopis suffraganeis die festo S. Athanasii sacra faciebat, ut hinc discimus.

(25) In hospitali ne, an apud Archiepiscopum, non dicitur. Verum ex ipso silentio arguimus, episcopum celebrantem in hospitali prandisse, in quo & tot aliis parabatur.

(26) Quae adhuc saeculo XVI. exstabat, hinc turri Campanariae (adhuc hodie superstiti, quamvis detruncatae, illinc hospitali attigua; uti constat ex libro Comiti. Vide Anteloq. pag. IX. & X.

(27) Canonicis [tum scil. VII. presbyteris praebendatis, tum ceteris supra numerum] dabantur grana dena pro piscibus, modo aut Vesperis interessent, aut saltem intra civitatem morarentur: at Diaconibus (sub eadem lege, dum ne a civitate abessent: quare post *Septem* levis distinctionis nota supplenda erit) dabantur pisces in specie (quae praestatio major erat, ut ex summa tarenor. VII. intelligitur) non in pecunia. Duo porro hic mihi facessunt negotium. I. Abest ab hoc toto Inventario celeberrima illa Capituli partitio, in *Diaconos*, in *Cardinales* atque *Canonicos*: quam in Vrsinianis Ritibus [certe hujus Hilarii aetate scriptis] celeberrimam fuisse Diatr. IV. dixi: cui partitioni hic saltem suus fuisset locus: imo nulla usquam hic *Cardinalium* nostror. fit mentio. Quid ita? Nempe id potius maximam antiquitatem priori inventario, ex quo suum descripsit Hilarius, conciliat; ut potuerit scil. saec. XII. fuisse primitus factum, quando nulli Canonicorum se *Cardinales* in diplomatibus subscribebant. II. Cur tanta Diaconorum supra VII. presbyteros praebendatos ceterosque canonicos habita sit ratio [nam hoc quoque mirum videbatur] ea mihi forsan videtur fuisse causa, quod septem urbis Diaconiarum [quarum hi Diaconi septem, rectores antea fuerant] bona si minus omnia, at pleraque processu temporis Hospitali Athanasiano (ut infra Adnot. 34. dicam) adnexa fuerint; in primis autem S. Andreae ad Nidum Diaconia, ut ibidem notavimus. Hinc non est mirandum, si in ejusd. S. Andreae vesperis longe opimius honorarium Diaconibus tribuatur. Sic saltem conjicio.

(28) Hoc est *pro annuo canone*, sive censu. Hodie dum apud nostros homines annuus canon vocatur, *Il rendito*; & is fundus ex quo debetur, *Redditizius* dicitur.

(29) Corrige *XII.* uti dixerat supra versu hinc decimo. Saepe in Mss. V. & X. alternant.

(30) Hoc sibi vult, praeter frumenti tumulos XII. & Graecum, & aliud vinum Graeco vino lectissimo vilius (*quae non computantur in ista summa pecuniae*) ceteras expensas omnes pervenire consuevisse ad uncias duas.

Digitized by Google

dibus, & successoribus in dicto Jure pro quibuscumque Terris, & possessionibus, quas tenet dictum Hospitale in Villa Cupuli & ejus pertinentiis pertinentiarum Aversae in festo Sanctae Mariae de Augusto barrile unum cum duobus coniis (31) *de bono greco, videl. & barrile, & tarenos duos de* (32) *Amalfia pro quibus dantur anno quolibet in Festo predicto auri tar. IIII.*

19. *Item Festo Nativitatis Domini tenetur idem Rector dare hominibus de Platea Sancti Januarii ad Jaconium* (33) *cujus Ecclesiae* (34) *dictus Abbas est Rector & ipsa Ecclesia subdita est ipsi Hospitali, petios de pane que tarali* (35) *nuncupantur facti ad modum manus XLII. longe pal . . . de canna & ponder. coctae lib. II. & de quibus recipit quilibet miles* (36) *digita duo, & alii digitum unum existentes in dicta Ecclesia ubi dicti tarali per presbiterum ejusdem Ecclesiae dispensantur ad quae vadunt Thumuli grani II. vel circa.*

20. *Item datur praedictis in edomada Sancta videlicet die . . . . quaedam Jocundi* (37) *& nuces* (38) *factae de nucibus & mele per domos dictae Plateae ad quae tenentur Riccardus Farra pro Terra quam tenet propterea a dicto Hospitali ad cantarello.*

21. *Item in Dominica Palmarum quando* (39) *crux dictae Ecclesiae portatur ad certa loca consueta tenetur idem Rector dare portanti grana decem* gr. X.

22. *Item in Festo Purificationis Beatae Mariae tenetur idem Rector dare hominibus seu stauritis Portae Sancti Januarii candelas de cera competentes factas ad manum de uno cubito XXX, & de dimidio cubito XL. quae esse possunt circa libre II ÷*

23. *Item in Dominica Palmarum tenetur Dominus Rector dare predictis hominibus qui ex debito vadunt ad Ecclesiam Sancti Felicis de Capite monte quae est subdita dicto Hospitali petios de pane, ponderis sicut unus panis trium denarium quae crudelas* (40) *vulgariter nuncupantur XXII. Sarsellas plenas de lupinis = XXII. Ad predictas petias crudelas, quae dantur ut premittitur predictis stauritis vadit thumulum grani I., vel circa, & ad lupinos gr. XV. vel circa.*

24. *Item Stauritae Portae Sancti Apostoli de Neapoli dicta Dominica palmarum totidem de crudelis lupinis* (41) *tamen ignoro, nec potui invenire per scripturas aliquas vel aliter quum dictus Rector nihil a dicta Staurita recipit, sicut a dicta Staurita Sancti Januarii, inveni tamen sic antiquitus observatum.*

25. *Item in Festo Resurrectionis Domini nostri Jesu*

(31) Mensura est vinaria, quae Italis *Cogno* vocatur, forsitan a Latiali *Congius*.

(32) Tareni Amalfitani celebres erant. Fuere & Siculi, Salernitani etc.

(33) Variis modis ea appellatio corrupta legitur; sed scribi debuit *Ad diaconiam*: hodie *S. Gennaro all' Olmo*.

(34) Diaconiae erant olim non aliud, quam totidem hospitales domus, pro singulis regionibus singulae. At postquam Athanasiani xenodochii fama percrebuit; optimum factu visum fuit, si ei pleraeque omnes urbis diaconiae adnecterentur. Eo factum, ut diaconia celeberrima S. Januarii transfusa cum suis reditibus in Athanasianum hospitale fuerit; ecclesia vero ejusd. S. Januarii titulus parochialis evaserit, ejusque rectoria penes Abbatem seu Rectorem Hospitalis fuerit. Ac forsitan idem diaconiae S. Andreae ad Nidum evenit. Eam VIII. saeculo Stephanus II. Episcopus concedi sibi ab Hadriano Papa petierat, ut in Diatr. IV. Adn. 16. dixi. Concessam vero videtur mox S. Athanasius suo xenodochio adnexuisse, eaque de causa S. Andreae capellam [ut in hoc inventario num. 17. v. 3. docetur] in proximo hospitalis aedificasse, ut supra initio sect. 17. scribitur.

(35) *Taralli* apud nostros genus est minutioris panificii, etiam nunc usitatissimum: quod summo mane ut *stomachi fultura ruentis* assumitur ad solvendum jejunium. Quam vetus id fuerit, hinc intelligitur. At forma illa manus nunc ignota est. Eratne panis buccellatus instar manus, cujus buccellae *digiti* vocabantur?

(36) *Miles* nobilitatis vocabulum erat.

(37) Novum vocabulum, quo generaliter notantur dulcia, seu dulciaria, tragematia, bellaria: Graecis τραγήματα, γλυκίσματα, ac postremo ἡδύσματα: quae ultima vox *Jocundis* sive *Jucundis* recta regione respondet.

(38) Nucum nuclei in mortario pinsebantur, massa cum melle subigebatur: ex qua deinde in formam nucis fingebantur boli.

(39) De quo confer Ritus Vrsinianos.

(40) *Crudelarum* nomen nusquam alibi legisse memini; sicuti & *Sarsellae* vox [de qua vel. leq.] nova est. Fuitne vimineus calathiscus, a *Sarcio*, quatenus aevo medio erat *Intexo*?

(41) Corr. *Totidem de crudelis de lupinis: tamen ignoro*. Crudelae illae de lupinis fiebant.

Digitized by Google

Jesu Christi vel ante per duos dies tenetur Rector ejusdem Hospitalis dare ex debito Domino Neapolitano Archiepiscopo patrono ejusdem Hospitalis montones (42) *duos bonos, & magnos vivos, & ipsos mictere ad domum ipsius, qui constant tarenum unum cum dimidio vel circa tar. unum ÷*

26. *Item in* (43) *eodem, Archiepiscopo in Festo Sancti Andreae . . . . tar. II. gr. XIII. &* (44) 3ª.

27. *Item in eodem Jure patronatus paparas in Festo Sancti Athenasii.*

28. *Nota quod dictus Dominus Mactheus tenetur ratione Beneficii Sancti Vincentii de Vico latronum de Neapoli subditi Monasterii Sancti Vincentii de Vulturno in Festo Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi Abbati Sanctae Mariae de Caraczulis montones duos constant tar. V. vel circa item alium montonem tar. II. ÷ vel circa debet dividere, seu dividi facere inter infrascriptos hoc modo Abbati Sergio de Puzolo terzo uno, Abbas* (45) *Nicolaus Spinellus Terzo uno, Domina Marocta Tomatamare Terzo uno, & reliquum Terzo* (46) *mezo Vxori Spenati Galioti, & Dominus Joannes Caraczolus aequali portione.*

29. *Item* (47) *quando solvitur decima Papalis pro beneficio debita, solvitur uncia una. unc. I.*

30. *Item pro Sacra novi Archiepiscopi unc. IIII.*

31. *Item quando Archiepiscopus vadit ad balnea unc. I.*

32. *Ad nonulla alia tenetur de Jure ex debito.*

33. *A modico* (48) *tempore citra ultra praedicta onera & debita dantur, et solvuntur annuatim in supradicto Festo Sancti Athenasii, Cuminarcha Ecclesiae Neapolitanae caput, seù testam unam de Vitella, seù Bacha, et unam aliam Comito dictae Ecclesiae Neapolitanae.*

34. *Bona* (49) *esset exonerare dictum Hospitale de*

(42) Cor. *Montones*, uti mox num. 28. Vox est Italis notissima.

(43) Supple, *In eodem jure patronatus*; sic enim statim num. seq.

(44) Quod cifram sive numeri notam Arabicam hic reperis, ut & in fine sectionis superioris (ubi ad ℘ *Semis* notandum, supra lineolam ℘ 1. infra ℘ 2. in Ms. more hodierno exhibetur) id argumento est, anno 1336. [quo hoc inventarium descriptum ex antiquiore fuit] cifras illas non passim, sed sensim sine sensu usurpari coeptas. Illas ab Indis Arabes didicerant, easque Mauris tradiderant: quas a Mauris porro acceptas Hispani Europam universam docuerunt. Earum usum paullo ante captam CPolim apud Europeos inductum, Vossius in Art. popul. ubi de Matheſi, scripsit. Sed id ex hujus Inventarii refectione (quae centum plus annis CPoli capta antiquior est) falsi arguitur: in qua notas 1. 2. 3. deprehendimus. His tamen tantum in numeris fractis designandis hoc Inventarium utitur; nam in solidis usurpat, uti vides, semper Romanas notas. Ergo, nisi vehementer fallor, primus cifrarum usus in fractis numeris valuit; nam quia incommodum erat supra infraque lineolam numeros Romanos pluribus notis constantes depingere, cifrae vero ad id commodissimae videbantur; hinc cifrarum usus in fractionibus ab hinc annos plus quadringentos invaluit. Deinde statim ut earumdem cifrarum mira commoditas in facultate logistica h. e. in putandis rationibus gustari coepit; etiá in integris numeris enotandis mox cifras usurpare coeperunt: quod haud diu postea invaluit.

(45) Cum hoc Inventarium ex alio antiquiore totidem verbis descriptum anno 1336. fuerit, hinc fit, hunc *Nicolaum Spinellum* non eum debere intelligi, qui Mariae Caroli II. viduae percarus, magnis ab ea honoribus affectus fuit, sed antiquiorem alium mihi ignotum.

[46] In his tertiis enumerandis conturbatae sunt rationes; nam ex hisce tertiis simul collectis plus uno solido *montone* confit, minus duobus. Quod si non speciem, sed pretium accipias; ne sic quidem rationes procedunt. Nisi forsitan hic pro *Terzo mezo* legatur *Tareno e mezo*. Nam ex Tareno uno singuli trientes tribus prioribus nominatis & eorum heredibus debebantur. Deinde ex tareno uno semis, duo exsistebant dodrantes, unus uxori Spenati Galioti, alter Joanni Caraczolo, dandi.

[47] Tres sectiones ex superioribus cur iterum hic repetantur, nescio. Haec sectio [nisi error in unciis irrepsit] non eadem ac num. 1. [nam ibi unciae VI. solvuntur] sed videtur eadem quae num. 5. Deinde sequens sectio reperitur num. 2. Postremo sectio 31. repetitur ex num. 3.

(48) Has ultimas sectiones videtur Hilarius de Palude, qui transcripsit, de suo addidisse. Quamquam id non praesto; quippe quod cum initio sectionis 35. (quae haud dubie ab Hilario est) forsitan pugnare videtur.

(49) Purus putus est Hebraismus (quo seminum pro neutro usurpatur) non ex Hebraeo tamen, sed ex Neapolitana dialecto tunc usitata transfusus. Nam hodie dum sic Neapolitani amant loqui: *Bona farria* pro *Bonum esset*. Ver su hinc quarto *Cuminarcha* est Cimeliarcha.

Digitized by Google

de tali ſervitio, et ſubjectione per viam Juris.

35. *Omnia ſupraſcripta prout ſunt ſcripta et ſignata de verbo ad verbum capiare feci de Inventario antiquo, pro ut jacet nil diviſo, adito, vel mutato* (50) *XLII. portionarii ſunt hodie quantum illi ſuperius nominati. Deo gratias.*

Extracta eſt praeſens copia a ſuo proprio Originali, quod aſſervatur in libro ex Pergameno, qui extat in Archivio noſtrae Sacrae Domus Sanctiſſimae Annuntiatae hujus Civitatis, cum quo facta collatione a primis verbis, quae incipiunt Inventarium omnium Terrarum, *uſque ad alia illa verba* Novos confines (ſup. pag. 273. v. ult.) *concordat; et item facta collatione ab illo verbo, quod incipit* Infraſcripta, *uſque ad alia illa verba* Deo gratias *etiam concordat ſalva ſemper etc.*
Neapoli die decimanono Menſis Junii 1752.
Sequitur *authentica*.

ADDENDA ET REFINGENDA QVAEDAM

In Diſſertatione hiſtorica De Cathedrali ſemper unica.

PAG. 17. verſu 14. pro *duobus & ſexaginta* repone *ſex & quinquaginta*, ut in Anteloquio pag. XVIII. diximus.

Ibidem Adnot. I. falſum eſt quod ultimis quatuor verſibus dixi, Athanaſianum hoſpitale in Orientem ſolem fuiſſe porrectum. Imo potius in occidentem extendebatur. Quare id totum pro non dicto habeas cenſeo. Res enim ſic ſe habet. Quamdiu Stephania & ejus atrium [quo atrio totus S. Januarii Theſaurus, & pars navis hodiernae Cathedralis occupabatur, uti copioſe in Anteloquio demonſtravimus] ſtetit; profecto hoſpitale Athanaſianum in Occidentem, non in orientem ſolem protendebatur. Deinde ubi inſertâ novae cathedralis navi, reliquus Stephaniae truncus ab atrii reliquiis abjunctus fuit; relictam illam auſtralem atrii partem hoſpitale occupavit: quod proinde tempore Eugenii IV. anno 1440. eccleſiae S. Andreae attiguum reperiebatur, ut ex Eugenii diplomate [quod infra inter Monumenta num. I. reperies] oſtenditur. Poſtremo ſuperiore ſaeculo tota illa vetus hoſpitalis Athanaſiani compages ab aede Adnuntiatae [cui Eugenius IV. adnexuerat] Excellentiſſ. Civitati Neap. conceſſa in emphyteuſim fuit, ut ibi Theſaurus conſtrueretur cum adhaerentibus aedificiis.

PAG. 18. §. *Niſi quod*, rurſus dixi, videri partem hodiernae crucis ab hoſpitali Athanaſiano & S. Andreae eccleſia fuiſſe olim occupata. Quod totum, haud ſecus ac proxime ſuperiora, revoco. Quae omnia in Anteloquio ſecundis curis reſinximus.

PAG. 19. v. 14. pro *revulſus* repone *ſervatus*: cetera dele uſque ad ejus periodi finem.

PAG. 20. col. 1. v. 37. & 38. de Joſephi hiſtoria recte habet; nam tota ea tabella, quae in plura ſegmenta dividitur, ejus Patriarchae res geſtas continet. Sed anaglyptum alterum alicubi quidem Sampſonem maxillâ aſini Philiſtaeos domantem exhibet: at ſegmenta cetera aliorſum pertinent, ut facile videatur miſcellanea hiſtoria.

PAG. 40. ad finem objectionis IV. adde.
„ Nec majoris momenti eſt, quod de ſepulcris Innocentii IV. & Archiepiſcopor.
„ ante hodiernam Cathedralem demortuor.
„ Serſalius objicit a pag. 19. ad 21. Nam
„ primum de Innocentii ſepultura haec
„ Cavenſis chronographus eorum tempo-
„ rum ſcriptor [apud Murator. tom. 7. pag.
„ 927.] ad annum 1254. ſcripſit: *Octavo*
„ *Non. Dec.* [i.e. die 28. Novemb.] *obiit In-*
„ *nocentius PP. IV. in civitate Neapoli; &*
„ *ſecundo die obiit idem* [cor. *Item* aut *Ibi-*
„ *dem*; nec enim Stephanus antea nomi-
„ natus fuerat] *Stephanus Cardinalis* [quem
„ Panvinius vult fuiſſe presb. Cardinalem
„ S. Mariae trans Tiberim titulo Calliſti]
„ *quorum corpora tumulata ſunt in MAIORI*
„ *ECCLESIA praedictae civitatis.* Vbi nunc
„ ii ſunt, qui Innocentium in celebri tem-
„ plo

[50] Quo pacto ex ſupra deſcriptis oneribus atque praeſtationibus portionarii XLII. colligantur, viderint quibus id per otium licuerit.

Digitized by Google

„ plo S.Laurentii tumulatum volunt? quod „ non nisi sub Carolo I. inceptum, demum „ a Carolo II. perfectum fuit. Nec alii „ melius, qui sacellum illud interpretantur, per quod ex Cruce hodiernae Cathedralis in Seminarii aedes commeatur, „ ubi volunt S.Laurentii Levitae basilicam „ ab Joanne II.episcopo aedificatam.Atqui „ Cavensis chronographus *in Majori ecclesia* „ conditum fuisse testatur, h. e. in vetere „ Cathedrali, quae non alia ab hodierna S. „ Restituta erat. Quod si hodie in novae „ Cathedralis cruce id sepulcrum cernitur, „ id Humberti Archiep. curae debetur, qui „ post novam hanc Cathedralem dedicatam, Innocentii sepulcrum ex priore loco in eam transtulit, & epigramma addidit, cujus hexameter ultimus talis est. *Hoc titulavit ita Humbertus metropolita*.

„ Porro rem ita, uti dixi, se habere, „ ostenditur ex simili sepulcro, quod idem „ Humbertus Ayglerio Archiepiscopo [qui „ in vetere Cathedrali, quae nunc S. Restituta dicitur, sine debito honore sepultus fuerat: de quo vide Chioccarell. p. „ 178.] in nova cathedrali paravit cum „ epigrammate, cujus hi ultimi versus sunt „ apud Chioccarell. ibid.

„ *Quem tumulavit ita Humbertus metropolita*
„ *Anno milleno, tercentum ter quoque quino*
„ *Praeteritis, membris bis ter de mense Novembris*.

„ Ergo Humbertus anno 1315. die VI. „ Novembris in Cathedralem novam „ [quam superiore anno dedicavit] tum „ Innocentii IV. tum etiam Aylerii corpora ex vetere Cathedrali transtulit, quibus & sumptuosa sepulcra exstruxit.

PAG. 45. praeter exempla Adnot. 36. & 37. a me producta, quibus probatur, XI. XII. & XIII. saeculo Neapolitanam Salvatoris ecclesiam saepe B. Januarii basilicam fuisse appellatam; notabile in primis est Henrici VI. Imp. & Siciliae Regis diploma in Anselmi Archiep. Neapolitani gratiam anno 1195. scriptum: quo diplomate Neapolitana Cathedralis vocatur, *Divi Martyris Januarii basilica*. Diploma illud antea ineditum, a viro Clarissimo & amicissimo Bernardino Tafurio patricio Neritonensi ad me transmissum, in Anteloquio reperies Parte III.in Anselmo Archiep. Adnot.23. Porro quod ibi modo memorata IANVARII BASILICA non alia sit quam cathedralis ecclesia, sequentia Imperatoris verba declarant. *Divi*, inquit, *Martyris Januarii basilicae, quae ipsius Neapolitani Archipraesulis CAPVT est*. Nam quam *Caput ecclesiarum Neapolitani archipraesulis* vocat, quid aliud quam Cathedralem significare quiverit? quae cathedralis quamvis Salvatori dicata, tamen ob S.Martyris sanctuarium, *B. Januarii basilica* dicebatur.

PAG.85. ultimam Sectionis V. periodum refinges atque amplificabis in hunc modum. „ Itaque quod a Constantino Magno hanc „ hodiernam S.Restitutam aedificatam narrant, in eo tantum vera praedicant, quatenus Magnus ille basilicam hanc Divino Salvatori primus aedificavit: quam „ deinde duo diverso tempore Stephani refecerunt, ob id *Stephaniam* vocatam. At „ si de ea ecclesia intelligunt, in quam primitus S. Restitutae reliquiae illatae fuerunt; sane diversus a Magno fuit ejus aedificator [nim. posterior alius Constantinus] diversaque S. Restitutae ecclesia „ fuit; nempe vetus illa S. Restitutae Memoria, quae olim in postico capellae „ S.Mariae de Principio erat.At quia postea „ circiter hodiernae Cathedralis encaenia, „ S.Restitutae reliquiae in hunc veteris Stephaniae lacerum truncum invectae fuerunt; ab eo tempore haec vetus Cathedralis in nomen & jura illius prioris ecclesiae S. Restitutae successit.

PAG.103. col. 1. proxime ante §. *Pergit vero*, adde. „ Video tamen quo Lasena „ spectarit, nempe ad Strabonis locum lib. „ V. quo Neapoli suo tempore celebratum „ fuisse dicit *Quinquennale sacrum certamen* „ *musicum & gymnicum*. At hunc locum „ Lasena cum altero Suetonii loco vellem „ junxisset, ubi cap.4. scripsit: *Instituit & „ quinquennale certamen . . triplex, musicum, „ equestre, gymnicum, & aliquanto plurium* „ *coronarum. Certabant etiam prosa oratione* „ *Graece Latineque*. Ex quo vides, non tan-

„ tum

Digitized by Google

„ tum trium, sed & *plurium coronarum* [h.e. „ concertationum] ludicrum illud Domi„ tiani fuisse : inter quas coronas etiam „ declamationem numerat, & quae praeterea addit. Quid mirum si in quinquen„ nali Neapolitanor. ludicro Graece pariter „ & Latine declamaretur aetate Philostrati? Verum ut quâ possim, cum Lasena „ in gratiam redeam, ac simul etiam Phi„ lostrati mens perspiciatur; ajo verbis Sophistae illis ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολιτ. ἀγὼν „ haud dubie celeberrimum illud fuisse „ Neapolitanorum quinquennale ludicrum, „ quod aetate Strabonis duarum coronarum erat, *musicum* nempe & *gymnicum*. „ At non multo post etiam declamandi „ aemulatio usurpari coepit, teste hoc loco „ Philostrati.

PAG. 118. Cum hoc caput scribere aggressus fui, haud providere potui in tantam id longitudinem excreturum. Itaque dum singula pittacia adhuc a partu rubentia statim prelo subjiciuntur, interim me incogitante, Caput hoc in molem tantam processit, ut par Dissertationi reliquae evaserit. Sane optimum factu fuerat, si ab hoc loco PARS TERTIA incepisset. Sed quando factum infectum fieri non potest; seros librarios moneo, ut si quando hoc opusculum recudendum sibi susceperint, hoc loco pro CAPVT III. scribere PARS III. malint: deinde quae nunc SECTIONES sunt, CAPITA fiant, tum pro ceteris subdivisionum titulis SECTIONES succedent.

PAG. 131. ubi agitur de Hebdomadarior. sigillo, sciendum est, exstare quamdam manu exaratam lucubrationem, a me ante hos plurimos annos visam: rō lectam [nunc quid ea factum sit, ignoro] a cujus auctore inter cetera demonstrari audio, ab Hebdomadariis sigillum aliquandiu post annum 1600. usurpari demum coepisse.

PAG. 145. initio §. IV. adde. „ Saeculo „ XII. [quo antiquius Athanasiani Hospitalis Inventarium scriptum fuisse oportuit] Hebdomadarii nondum erant; ut „ ex nulla Hebdomadariorum mentione in „ eo monumento invicte demonstravi in „ Appendice in Prologo Diatribae V.

PAG. 147. post Chioccarelli locum, reliqua hujus partis isagogicae infartis παρενθέσεσιν (*interpositionibus*) ita obfuscata fuerunt, ut si τὰ παρενθέματα, & verba supervacanea amoliaris, reliqua sperem satis fore dilucida. Vtinam id malum non & alibi pluries occurrisset. Verum difficile est, quae inter operarum festinationem adhuc calentia prelo committuntur, ea hujusmodi carere vitiis; quibus certe vacarent, si paullum modo antea refrixissent. Accedit & alia obscuritatis causa, quae tam loco huic, quam & aliis pluribus, ac praesertim toti huic de Hebdomadariis longissimae tractationi tenebras offudit. Initio Humbertum auctorem Hebdomadariorum fuisse ob hic traditas rationes conjeceram. Ea ubi scripseram, & jam jamque prelo tradenda erant; ecce tibi Vrsinianorum Rituū excerpta in meas incidere manus. Hic dum ex iis Ritibus fundationis Hebdomadariorum epocham extundere satago, novisque rationibus fractus, identidem muto sententiam; plane eadem ter quaterve non plane ab integro retractare [nec enim id tunc licebat] sed locis convenientibus resarcire coactus fui. Quo factum est, ut nonnulla parum ordinate ac luculenter scripta prodierint: quae si nunc demum ab integro ad incudem revocarentur, haud dubito quin & breviora multo, &, in quo caput est, luculentiora evaderent. Idem hoc malum & aliis haud paucis hujus Dissertationis, plurimis praeterea Commentarii ad Marmoreum Kalendarium Neap. locis, contigisse doleo.

PAG. 158. ad Constitutionis capita 5. 6. 15. notari debet, *duos Magistros scholarum* non cum Hebdomadariis natos, sed antiquiores fuisse. Hinc ubi pag. 168. & 169. Canonici dicunt; Hebdomadarios viginti (qui tamen XXII. sunt) a Capitulo fuisse dotatos; hoc recte dicunt, quia his viginti si duos scholar. Magistros [qui jam antea fuerant, ac postea Hebdomadariis aggregati fuere] adjideris, numerus duorum supra viginti absolvitur. Ceterum duo ab initio Magistri scholarum erant, totidemque diu fuerunt; nam tertius longe recentioris fundationis est. Vide pag. 169. ad finem Adnot. 69.

Digitized by Google

IBID. ex cap.9.intelligitur,Sacristae non nisi ratione Crucis tres candelas deberi;nam Sacristae S.Restitutae ita tres candelae erogabantur, si modo Crux inde procederet [puta in funere Canonicorum] quia ceteroqui frequentius Crux ex hodierna Cathedrali progrediebatur.

PAG.169. versus finem adde. „ Hactenus „ ostensum fuit, Hebdomadarios intra illos „ triginta menses, qui Kalendas Majas anni 1337.antecesserunt,necessario satos.At „ artandi magis hi termini fortassis erunt „ ad spatium circiter annuum, nim. a labente anno 1336. [nempe post jam refectum Athanasiani Hospitalis inventarium] ad Kal. Majas 1337. Ea conjectura quonam fundamento nitatur, videbis „ in Append. in Prologo Diatr. VI.

IBID. in fine Adnot. 69. sic adde. „ Id „ quoque hic in transitu moneo, ex hoc vicenario numero prorsus Canonicorum „ suggestionem verisimillimam evadere.Qui „ si suggessissent,a se XXII.Hebdomadarios „ fuisse dotatos; argui mendacii possent, „ quippe cum duo scholarum magistri jam „ olim antiquitus fundati, non nisi postea „ aggregati Hebdomadariis fuerint. Nunc „ cum viginti dumtaxat a se dotatos narrent, nae ii quae suggerunt, omnia ex „ vero praedicant.

PAG.193.§.*Sane* v.8. dele haec omnia: *Qui & Card. Ecclesiae Neap.alicubi meminit.*

PAG.195.in fine §.III.adde.„Atqui diaconos Neapolitanos numquam presbyteris fuisse praelatos, in Append. demonstratum reperies Diatr.IV.Par.2.cap.ult.

PAG.197.in fine Adnot.95.adde.„Franciscus de Magistris canonicus poenitentiarius nostrae Cathedralis [in Parte I. *Status Civitatis Neap.* quam ejus fratris filius post auctoris mortem edidit Neap. ann.1678.] pag.269.num.4. sic loquitur: „ *Habentque* [Canonici Neap.] *facultatem deferendi etiam mitram & baculum per INNOC. IV. & Pium V. concessam, ut in dicta p.2. lib.2. cap.1.* Nimirum ad sui operis *Partem alteram lib.2.* &c. [quae numquam edita fuit] lectorem rejicit. Ibi „ docturum se pollicetur, facultatem pontificalium, qua nostri Canonici pollent, „ quamque S. Pius V. ab immemorabili „ tempore arcessit, ab Innocentio IV. indultam fuisse. Id quidem satis verisimile „ est, praesertim exemplo Salernitanae „ ecclesiae, quae similia ornamenta obtinuit ab S. Gregorio VII. ibi e vivis sublato, sicuti Innocentius Neapoli e vivis „ excessit. Ac forsitan nostro Poenitentiario documenta verisimilitudine mera „ [quamvis perquam probabili] solidiora „ suppetebant: quibus nunc ob amissam „ *Partem II.* illam aegre caremus.

PAG.221.col.2. v.sexto ante finem scripsi per inconsiderantiam *infra duo millia*, ubi *infra tria millia* scribendum fuerat. Et hactenus error condonabilis fuerat. Nam quis non ex tota συνεχεία perspexisset, *Tria millia* in animo scribentis esse debuisse? Verum cum pag. 227. in fine Diatribae spatii modicum nactus essem; volui Monitum inferere, quo eam maculam abstergerem. At ejus rei cum sedulo satagerem; non tantum eumdem errorem confirmavi magis, sed & menda majore incogitans cumulavi. Utrumque locum si conferas, vix est ut risum teneas. Nimirum hoc illud est, *Lupi Mooerim videre priores.*

PAG.250. ad finem Adnot.XI. dixi, Canonicatuum XIV. titulos *ex intervallo variasse, & interdum unum alteri subrogatum.* Ne gratis id mihi sumpsisse videar; praeter exempla cetera,proderit Ecclesiam *S.Januarii ad diaconiam* [cujus saepe memini] in exemplum afferre. Ea ante hos CL. annos adhuc unus ex titulis nostrorum diaconorum canonicorum erat.Nam anno 1592. Vincentius Raius Eccles. nostrae Cathedr. canonicus praedictae ecclesiae *Abbas & Rector* inscribebatur: quo anno idem Raius usum ejus Ecclesiae publico instrumento concessit sacerdotibus Congregationis S.Mich. Archangeli. Nunc autem abbatia praedicta mensae parochiali adnexa cernitur. Hanc notitiam nuper didici ex doctissimo Canonico nostro anonymo apud Bollandistas ad diem III. Augusti in S.Asprene pag.207. n.53. Ibidem laudatus anonymus [ex quo plurimum in Asprenis rebus adjutos se socii erudi-

Digitized by Google

eruditissimi profitentur, ejus interim indulgentes modestiae, dum nomen tegunt: a quo eodem Canonico de collegis suis benemerentissimo pulcherrimum S. Asprenis ejusdem sacellum in S. Restitutae basilica nuper exstructum fuit, ut pag. 60. dixi] idem inquam anonymus scite observat, Joannem diaconum episcoporum nostror. chronographum, qui se *Diaconum* [diaconiae] *Sancti Januarii* vocat, haud dubie videri inter Canonicos diaconos ecclesiae cathedralis esse numerandum. Vtinam ab hoc tanto ingenio Ecclesiae nostrae origines illustrari aetas & valetudo sinerent.

Postremo in Erratorum recensione [quam ad Anteloquii calcem pag. XL. reperies] quaedam refingenda occurrent. Vt quod pag. 14. & seq. *Sarcophagum* neutro genere usurpatur; & quod pag. 221. pro *Duo millia* reponendum sit *Tria millia*. Et ubi p. 42. annus avecti corporis S. Januarii prave signatur; eam correctionem [quam ab illustriss. & eruditiss. Josepho Assemano, Bibl. Vatic. Praefecto didici] ibid. in Errat. reperies.

MONVMENTA QVAEDAM JAM ANTEA PROMISSA

Quibus varia Dissertationis historicae, & Anteloquii loca confirmantur.

MONVM. I.

EVGENII IV. diploma, quo Hospitale S. Athanasii cum attigua S. Andreae ecclesia Nosocomio Virginis Adnuntiatae adnexum fuit anno 1440.

Ad Anteloquii pag. IX. Adnot. 11. Et ad Dissert. pag. 17. Adnot. I.

EVgenius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Neapolitano, & Episcopo Puteolano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper Apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que Hospitalium, & aliorum piorum locorum, & in illis pro tempore degentium Personarum statui, & indemnitatibus valeant salubriter provideri. Accepimus siquidem, quod hospitale Pauperum Beatae Mariae Annuntiatae, in quo retroactis temporibus debita, & continua hospitalitas, suppetentibus tunc ejus facultatibus maxime observari, Paupereſque, & miserabiles Personae ad illud pro tempore declinantes caritative recipi, tractari, & in suis necessitatibus benigne foveri consueverunt, propter guerrarum turbines, & alia mala, quae partes illas, & praesertim Civitatem Neapolitanam miserabiliter afflixerunt, & affligunt, adeo in hujusmodi facultatibus diminutum extitit, quod non solum dicti Pauperes, & Personae ibidem hujusmodi caritativa fomenta solito modo recipere, sed nec ipsum hospitale, cum suis edificiis, & structuris, nec non possessionibus, & bonis satis manuteneri possint, in eorumdem hospitalis, & Pauperum desolationem, & gravissimum detrimentum: quodque, si hospitale Pauperum (1) Sancti Athanasii, juxta Ecclesiam Neapolitanam situm cum Cappella Sancti Andreae ei (2) contigua, in quo nullus residet, nullaque (3) hospitalitas ser-

(1) S. Athanasii hospitale in pauperum potissimum gratiam erectum fuisse, tum prologus vitae longioris alibi adscriptus declarat, tum passim Inventarium in Diatriba VI. insertum. Pauperum autem nomine omnes personae miserabiles veniunt, etiam aegroti.

(2) Antiquitus S. Andreae ecclesia, utpote turri campanariae attigua, latus atrii ortivum occupabat: at Athanasianum xenodochium medio atrii cavaedio ab dicta ecclesia dirimebatur; ut in Anteloquii Par. 2. in Stephaniae ichnographia exposuimus. At postquam Cathedralis hodierna Stephaniam detruncavit, & partem navis ac βορειοτέραν [magis borealem] atrii partem inde abscissam occupavit; ab eo tempore in australem atrii partem [ubi nunc S. Januarii Thesaurus est] Athanasianum xenodochium sese porrexit; eaque de causa istud sub Eugenio IV. Ecclesiae S. Andreae contiguum erat: quod & pluries alibi explicavimus.

(3) Quo tempore Inventarium onerum hospitalis ejus [quod superiore Diatr. exhibui] conditum fuit, vigebat quidem sed praeparca hospitalitas. Vide ibi num. 7. ubi pro pauperibus lecti XII. semper parati esse jubentur, iisq. per dies tres dabatur hospitalitas, praeter alia subsidia quae certis diebus pauperibus subministrari jubentur. At quid haec ad primaevam hospitalis liberalitatem? Et tamen ab hac ipsa parcimonia sensim deinde hominum vitio defectum fuit, in tantum ut sub Eugenio IV. nulla prorsus hospitalitas superesset.

Digitized by Google

vatur,& quod Dilectus Filius Philippus (4) *Filomarinus Clericus Neapolitanus in titulum perpetui beneficii* (5) *Eccleſiaſtici obtinere dicitur, praefato hoſpitali Beatae Mariae perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, poſſet premiſſis defectibus aliqualiter provideri. Nos igitur, qui in dicto hoſpitali Beatae Mariae decentem hoſpitalitatem, quantum fieri poſſit, vigere Pauperibus* (6) *quoq.,& aliis miſerabilibus Perſonis ad illud pro tempore declinantibus debite ſubveniri intenſis deſideriis affectamus, ac de praemiſſis certam notitiam non habemus, fructus, redditus, & proventus dicti hoſpitalis Beatae Mariae habentes praeſentibus pro expreſſis, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Fraternitati veſtrae per Apoſtolica ſcripta committimus,& mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum de praemiſſis omnibus, & ſingulis authoritate noſtra vos diligenter informetis,& ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe reperitis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus,hoſpitale Sancti Athanaſii, cum Cappella hujuſmodi, cujus fructus, redditus,& proventus decem unciarum carolenorum, ſecundum communem aextimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus modernis temporibus non excedunt,cum omnibus viribus* (7) *& pertinentiis ſuis, eidem hoſpitali Beatae Mariae in perpetuum unire, annectere, & incorporare curetis. Ita quod cedente, vel decedente hoſpitalis Sancti Athanaſii,& Cappellae praedictorum moderno Rectore, ſeu illa alias quomodolibet dimittente, liceat Dilectis Filiis, Rectoribus dicti hoſpitalis Beatae Mariae per plures Rectores, Magiſtros nuncupatos, gubernari ſoliti pro tempore exiſtentibus per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem hoſpitalis Sancti Athanaſii, & Cappellae, juriumque, & pertinentiarum praedictorum, poſſeſſionem authoritate propria libere apprehendere,& perpetuo retinere, eorumque fructus, redditus, & proventus in ſuſtentationem Pauperum, & Infirmorum, nec non alias in utilitatem hoſpitalium, & Cappellae praedictorum convertere, & habere,Dioeceſani loci,& cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita condeſcendo* (8). *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliqui ſuper commiſſionibus, & proviſionibus ſibi faciendis de hoſpitalibus, ac hujuſmodi,vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicae Sedis, vel legatorum ejus licteras impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem licteras, & proceſſus habitos per eaſdem, & quaecumque inde ſequuta ad hoſpitale Sancti Athanaſii, & Cappellam hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad executionem hoſpitalium, aut beneficiorum aliorum praejudicium generari, & quibuslibet privilegiis,indulgentiis, & licteris Apoſtolicis ſpecialibus,vel generalibus quorumcumque tenorum exiſtant,per quae, praeſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris licteris mentio ſpecialis. Proviſo,quod dictum hoſpitale Sancti Athanaſii propter unionem hujuſmodi ad profanos uſus* (9) *minime deducatur, ipsaque Cappella* (10) *debitis*

(4) Ille idem qui anno 1450. h. e. decennio poſt canonicus diaconus erat: quo anno interfuit inſtrumento cuidam, quod mox num. III. recitabimus.

(5) Is beneficiarius *Abbas ſeu Rector* vocatur in toties laudato inventario. Sed & infra *Rector* ab Eugenio dicitur.

(6) Adnot. 1. dixi Athanaſianum hoſpitale vocatum fuiſſe *Hoſpitale pauperum S. Athanaſii*. Ex hoc autem loco diſcimus Hoſpitale Adnuntiatae ſub Eugenio nihilo minus pauperibus & miſerabilibus perſonis deſtinatum fuiſſe. Quam pridem autem hoc alterum in aegrotantium tantum ſubſidia converſum fuerit, alii viderint. Hodie certe non aliis quam languentibus is locus largiter auxiliatur.

(7) Cor. *JURIBUS*, ut infra verſu hinc duodecimo, ubi legitur: *Juriumque & pertinentiarum* etc.

(8) Cor. *Compeſcendo*.

(9) Duo vetat: primum ne quando Hoſpitale Athanaſianum in profanos uſus vertatur [idque ſanctiſſime obſervatum fuit; nec enim niſi ad conſtruendum S. Januarii Theſaurum, & adjuncta concluvia abhinc ferme CL. annos Excellentiſſi-

Ci-

Digitized by Google

bitis non fraudetur obsequiis, sed debite supportentur eorum onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attemptari. Datum Florentiae Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quadringentesimo quadragesimo. Undecimo Kalendas Octobris Pontificatus nostri anno decimo = cum solitis subscriptionibus, & sigillo plumbeo pendente a cordula canapis more Romanae Curiae in similibus.

Extracta est praesens copia a suo proprio Originali in Pergameno, quod conservatur in Archivio nostrae Sacrae Domus Sanctissimae Annuntiatae hujus Civitatis, cum quo facta collatione concordat, meliori semper salva &c. Neap die decimonono mensis Junii 1751. &c.

Extat porro & longissimum diploma investiturae ab episcopo Puteolano [eodem an sequenti anno?] Aedi Virginis Adnuntiatae datum: ex quo nihilo plus, quam ex Eugenio ipso discas; eoque id omisimus.

MONVM. II.

Pars Instrumenti celebrati anno 1450. coram Archiep. Gaspare de Diano inter partes infra scriptas circa domum quamdam S. Salvatoris Veteris reficiendam.

Ad Part. I. cap. 3. pag. 22. §. Ad ultimum, & pag. 35. Et ad Part. II. cap. 3. ad finem paginae 132. Et pag. 179. ante finem.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1450. *regnante Serenissimo, & Illustrissimo Domino nostro, Domino Alfonso Dei gratia Rege Aragonum, Siciliae citra, & ultra Farum, Valentiae, Hungariae, Hierusalem, Appendarum* [1] *Sardiniae, & Corsicae, Comite Barchinonae, Duce Athenarum & Neopatriae ac etiam Comite Rosilionis & Ceretaniae, regnorum vero ejus Anno, hujus regni exalio citra Farum anno sexto decimo, aliorum vero regnorum suorum anno tricesimo quinto, feliciter Amen. Die Ultimo* [2] *mensis Octobris X V. Indictionis Neapoli Nos Antonius Falconus de Neapoli ad contractus judex, Marinus Nauclerius de Agerulo habitator Neapoli, publicus ubilibet per totum Regnum Siciliae reginali authoritate notarius, & testes subscripti ad hoc specialiter vocati & rogati, praesenti scripto publico declaramus, notum facimus & testamur, quod praedicta die nobis praefatis Judice, Notario & subscriptis testibus personaliter accessitis ad Archiepiscopale Palatium Neapolitanum, situm, & positum in platea Capuana Civitatis*

Civitati Neap. in emphyteusim permissum fuit? tum ne capella debitis defraudetur obsequiis: de quo vide in seq. Adnot.

(10) Loquitur de Capella S. Andreae quae quoad stetit, debitis mirime caruit obsequiis. Vide Comitis Neap. locum, quem ff. Anteloq. pag. IX. in Adnot. 11. adscripsi.

[1] In Processu, unde haec descripsimus, nescitur utrum *Appendarum*, an *Appendarum* scriptum fuerit. Sed posterius malim, quod & in alia quadam Regum nostrorum charta, si probe memini, scriptum reperi. Istud vero *Appendarum* tantumdem mihi videtur, quod *Appendentiarum*. Porro *Appendentiae* aut *Appenditiae* aevo isto dicebantur, quas nunc vulgo *Dependentias* vocamus, h. e. ea dominia, quae cum alio principali dominio conserta erant, & ab eo dependebant. Multi vero hujusmodi erant principatus ac dynastiae ab Hierosolymitano regno dependentes, variis titulis insignitae: quae hic, nisi fallor, *Appendae* nuncupantur.

Mox statim *Parthinonae* corrupte pro *Barcinonae* [nam sic alibi scribitur] sive rectius *Barcinonae*. Deinde illud *Neopatriae* in Regum nostrorum chartis pissim cum ducatu Athenarum jungitur.

[2] Hinc apparet non recte Chioccarellum die 29. Aprilis hujus anni 1450. ex quibusdam rerum gestarum diariis obitum Gasparis de Diano Archiepiscopi consignasse; cum hinc constet, hoc instrumentum confectum fuisse coram Gaspare Archiepiscopo die 31. Octob. ejusd. anni 1450. celebratum. Nec potest hic in anno menda esse, quia recte is annus cum Ind. XIV. in hoc instrumento signata concurrit. Nam a Kal. Sept. anni 1450. Indictio XIV. more Cl'olitano & Neapolitano [quem saepissime alibi notavimus] incipiebat. Itaque magis est ut in diariis illis pro anno 1451. [quod scribi debuit] annus 1450. irrepserit. At percommode id accidit, quod ex eisdem diariis diem emortualem Gasparis discimus, qui fuit dies 29. Aprilis, maxime cum in diariis addatur, *Die Sancti Petri Martyris*. Ergo ex laudatis Diariis diem emortualem discimus: ex hoc vero instrumento annum obitus, puta 1451. certo assequimur. Nec enim ultra extremum Aprilem anni 1451. vivere Gaspar potuit; quia statim IV. Id. Majas ejus anni Raynaldus Piscicellus designatus successor fuit. Vide Chioccarellum in utroq. Archiep.

Digitized by Google

tatis Neapolis juxta viam publicam a tribus partibus [3] *juxta ipsam Majorem Ecclesiam Neapolitanam, & alios confines, precibus, & requisitione Nobis factis pro parte Partium infrascriptarum et existentibus nobis in quadam camera paramenti* [4] *ipsius Palatii ante praesentiam Reverendissimi in Christo Patris, et Domini, Domini Gasparis miseratione Divina Archiepiscopi Neapolitani, et constitutis coram nobis discreto viro Joanne Aurello de Pasitano cappellano, ut dixit, Altaris S. Salvatoris Veteris praefatae Majoris Ecclesiae Neap. agente pro se, et suis successoribus in dicta Cappellania, ac cum consensu, et voluntate egregii militis Domini Hectoris Galiotae de Neapoli patroni dicti altaris tam proprio nomine quam nomine et pro parte aliorum Nobilium de Galiotis de Neapoli ibidem praesentis, et ad omnia et singula infrascripta consentientis ex parte una, et venerabilibus viris Dominis Philippo Filimarino, Cicco* [5] *de Loffredo, Presbytero Petro Cola de Marchisio, Presbytero Massotta Riccia, et Presbytero Gulielmo Calore, canonicis praefatae Ecclesiae Neapolitanae agentibus pro se ipsis, ac nomine, et pro parte aliorum Canonicorum dictae Majoris Ecclesiae Neapolitanae, et eor. successoribus in dicto Capitulo ex parte* [6] *altera, agentibus ipsis partibus, quibus supra nominibus, eum auctoritate, consensu, beneplacito, et decreto praefati Domini Archiepiscopi, ibidem praesentis, ut supra, et omnia et singula infrascripta auctorizantis, consentientibus partibus ipsis quibus supra nominibus, prius et ante omnia in Nos praefatos Judicem, et Notarium, tamquam in suos, quatenus est pro cautela, cum sciret expresse Nos suos in hac parte non esse nostram jurisdictionem et officium in iis voluntarie, propterea prorogando praefatus Presbyter Joannes Cappellanus, quo supra nomine, adseruit coram Nobis, et ipsis Dominis Philippo, Cicco, Petro Cola, Massotta, et Gulielmo, Canonicis, quibus supra nominibus, praesentibus, audientibus, intelligentibus, ipsum Presbyterum Joannem Cappellanum, quo supra nomine, et ipsum Altare S. Salvatoris habere, tenere, et possidere per se, et alios eor. nomine tenentes, et possidentes quasdam domos dirutas prostratas ad terram, sitas, et positas in civitate Neapolis in loco ubi dicitur lo Fundico del Grano juxta domos heredum quondam Domini Jacobi Mele de Neapoli, juxta domos heredum quon-*

[3] Confer superiorem Differt. histor. Par. I. pag. 35. ubi ostendimus ab Henr. Minutulo Archiepiscopale hospitium ibi fuisse constitutum, ubi nunc aedes Seminarii visuntur: quod aperte fines hic descripti ostendunt.

[4] *Camera paramenti* quid sit, non video, nisi illa sit, in qua Praesul tamquam judex pro tribunali sedebat. Hac enim notione usurpasse videtur hanc vocem Hincmarus Remensis ad Carolum regem de coercendis militum rapinis scribens his verbis: *Et antequam de PARAMENTO vestro ad mansiones* [suas] *redeant, commonete eos* etc. Infra: *Qui antea hanc admonitionem non audierint, eis quotidie, quando ad paramentum vestrum venerint*, relegat. Vbi Fresnius monet, *Paramentum* videri esse tribunal *paratum* sive adornatum. Itaque in Archiep. palatio videtur fuisse cubiculum aliquod, in quo cathedra sive thronus Archiepiscopalis consuetis aulaeis *paratus* erat, in quo Antistes consideret, ubi aliquid juridice agendum esset: eaque demum *Camera paramenti* vocabatur. Etiam nunc in ampliore palatii Archiep. aula is thronus sive *paramentum* dicis causa cernitur: eaque opinor *Camera paramenti* est.

[5] Hic Cicco ille Loffredus est, qui se in arca sui sepulcri [quae etiam nunc juxta gentilitium S. Georgii altare visitur] *primum diaconum Cardinalem* inscribit, hic autem cum Philippo Filimarino item diacono ante presbyteros scribitur: utrumque praeter morem. Nam nec ante Loffredum diaconus ullus *Cardinalis* titulo insignitus fuerat [etsi, ut Diatr. V. dixi, id juris competisse diaconis jam posteriorib. saeculis videatur] ac multo minus usquam in chartis diaconi presbyteris praeponebantur. Itaque hoc alterum nec ante nec postea usurpatum usquam cernitur. Vide ejusd. Diatribae caput ultimum.

[6] Valde notabile est, quod cum Hebdomadarii Neapolitani sese *Confratres Salvatoris Veteris* inscribant; tamen in tota hujus instrumenti serie nullus eorum compareat, nullus ne nominetur quidem; sed res tota coram Archiepiscopo inter partes duas transigatur: ex una parte inter Cappellanum tamquam beneficiarium, & Hectorem Galeotam tamquam patronum, ex altera vero parte Canonicos. Ergo illa *Confratrum Salvatoris Veteris* appellatio non alio pertinet, quam quod iis Confratribus in postico ejus Capellae locus ad conveniendum precario concessus aliquando fuerit, uti diximus Parte II. cap. 3. pag. 132. initio, & pag. 179. ante finem, & Par. I. pag. 35.

Digitized by Google

quondam Pulilli de Alexio, juxta Cappellam S. Viti, juxta domos Magistri Ferri de Angelo de Neapoli auri fabri, juxta viam publicam, et alios confines si qui sunt, legatas siquidem domos ipsas, ut dixerunt per quondam Dominum Nicolaum de Thucta Frigius de Neapoli dicto Altari pro celebrandis Missis altari praedicto, et pro uno anniversario fiendo anno quolibet in perpetuum, per Canonicos, et Capitulum Majoris Ecclesiae Neapolitanae cum cottis, et candelis, ac pulsatione Campanar. in dicta Ecclesia Neapolitana ante imaginem Salvatoris de tarenis 24. de carolenis argenti et de fructibus, et pensione dictarum domor. proventuris anno quolibet, Canonici et Capitulum dictae Majoris Ecclesiae Neap. soliti erant percipere pro dicto anniversario fiendo modo praemisso anno quolibet in perpetuum dictos tarenos 24. de carolenis praefatis dividendos inter ipsos secundum consuetudinem dictorum Canonicorum et Capituli subscriptum sit ipse principalis Joannes Cappellanus, quo supra nomine, in sua assertione praefata, quod ipse non habet aurum, nec argentum, aut alias res mobiles unde posset reparationi ipsar. domor. providere: tractatumque habuerit cum dicto Domino Hectore patrono, quo supra nomine, dictas domos dandi, et concedendi alicui ad emphiteusim ad certum annuum canonem redditum, sive censum etc. [7].

MONVM. III.

Ad pag. 132. §. *Postremo* & ad pag. . . .

In processu Capellaniae S. Salvatoris Vet. seu S. Athanasii Metrop. Ecclesiae de jure patronatus familiae Galeotae, qui reperitur in Archivo Archiepiscopalis Curiae Reg. S. Sc. 78. M. 3. N. I. = in quibusdam articulis die V. Sept. ann. 1598. Neapoli per Fabium & Lud. Capycios Galiota principales propositis legitur fol. 34. num 12.

Item come in piede della Cona grande, & antiqua che sta in detta Cappella e proprio sotto a' piedi dell' Imagine del SS. Salvatore che sta depinta in detta Cona ci sta descritto di pittura l' infrascritto Epitafio videl. Cappellae domus Galiote cum voluntate dictor. patronor. hoc opus fieri fecit Donnus Marchus Chionus hebdomadarius Eccl. Neap. & Cappellanus praedicti altaris ann. (1) 1484.

Et numero 18. *Item, come detta Capella in rubrica descritta è devotissima sì per l'Immagine antiqua della Madonna Santissima* (2) *con nostro Signore in braccio, che stà nel quadro di sopra, come per quella, che si chiama, Del Santissimo Salvatore vecchio, che stà in la Cona grande di sotto con la figura di S. Attanasio alla destra, & di S. Gennaro alla sinistra, che sono pitture antique, & molto divote, come anche per esservi conservati sotto l'altare di detta Cappella dui corpi di Santi, delli quali l' uno è il Corpo di S. Attanasio* (3) *Vescovo, come è certo, e cosha a quelli, che li hanno visto, & lo sanno, & ne è publica voce, & fama per tutta la Città di Napoli, & magior parte di essa &c.*

Sequitur legalis auctoritas.

MO-

[7] Cetera instrumenti hujus [cujus hac vix quinta parte contenti fuimus] qui cupit, reperiet in archivo Curiae Archiep. in processu originali beneficiali Capellae S. Salvatoris Veteris. Reg. lit. S. sc. 78. M. 3. n. 1. fol. 47. alias 126.

(1) Picturae, quarum hic mentio est, adhuc a tergo Altaris illius (in quo nunc SS. Eucharistia asservatur) depositae jacent. Tabula una superior est, in qua opere antiquissimo Divinus Salvator exhibetur, jam tum haud dubie depictus, quando ea capella nomen sibi Salvatoris veteris adscivit, h. e. ab ipso anno 1379. de quo confer dicta in Dissert. Histor. Par. 2. cap. 3. sect. 2. §. 6. num. V. & ibi num. 2. pag. . . .

Huic vero Servatoris tabulae subjacent duae aliae posterioris opificii: quarum dexterior S. Athanasium episc. Neap. exhibet, laeva S. Januarium Mart. Haec eo dixi, ut intelligatur annum 1484. in inscriptione notatum (quae inscriptio hodie nusquam conspicitur, quia Divini Salvatoris tabulae inductis novis coloribus interpolatae videtur) non ad superiorem Salvatoris picturam, sed ad inferiorem SS. Athanasii & Januarii pertinere.

(2) Haec imago deperiit.

(3) Quia sub Altari S. Athanasii reliquiae condebantur, ob eam causam in his tabulis S. Athanasius dextrum, Januarius, etsi Martyr, laevum occupat latus.

Digitized by Google

MONVM. IV.

DISCVSSIO PLENIOR DE NON LIQVET *Hannibalis de Capua : in qua plura ejusd. generis documenta excutiuntur : adhaec origines Hebdomadariorum ab Athanasio petitae prima initia panduntur.*

Ad Adn. 29. pag. 131. col. 1. v. 9.

Pag. 130. & 131. cum ex Visitatione Hannibalis de Capua ea Praesulis visitantis Hebdomadarios verba, *Nec mihi liquet quo tempore & a quo fuerit institutum* [Hebdomadarior. collegium] retulissem ; in Adn. 29. subjeci, hanc professam sollertissimi Visitatoris ignorationem ab Hebdomadariis nunc temporis oppugnari. Quibus id porro artibus fiat, videamus.

SECTIO I.

De intempestiva Cancellarii αὐθεντίας censura.

Nam primo id cuniculis agitur, dum Cancellarium tribunalis sanctae Visitationis producunt in sua αὐθεντίαν [*auctoritate legali*] non notarii personam, sed disceptatoris fungentem. Itaque operae pretium fuerit totam illam insolitam atque inauditam Cancellarii nostri Carmini Lanzettae, viri ceteroqui optimi & peritiss. αὐθεντίαν [quam vulgo *legalitatem* vocant] huc adscribere.

Fateor ego subscriptus Archiepiscopalis curiae Neap. S. Visitationis Cancellarius, qualiter percontato volumine S. Visitationis Metropol. Ecclesiae Neap. tempore praesulatus Cl. Mem. Annibalis de Capua Archiep. Neap. peractae anno 1580. & seq. usq. ad 1583. reperi post Acta praedictae S. Visitationis quamdam scripturam chartarum duodecim in fine praefati voluminis ejusd. Visitationis ASSVTAM & INSERTAM a fol. 782. ad 793. de qua NESCITVR quisnam fuerit AVCTOR vel scriptor, utpote quia nullam continet subscriptionem, cuique titulus adest = Brevis enarratio status Metrop. Ecclesiae Neap. de anno 1582. = *Et inter cetera ibidem contenta sub titulo* = Collegii Hebdomadariorum *fol. 785. sequentia adnotata reperiuntur* = In praedicta Majori Ecclesia est collegium Presbyterorum numero viginti duorum, qui nuncupantur Hebdomadarii, ex eo quia per hebdomadam deserviunt. NEC MIHI LIQVET QVO TEMPORE ET A QVO FVERIT INSTITVTVM etc. *Prout videre est ex recensito volumine sistente in Archivo tribunalis S. Visitationis Archiepiscopalis Curiae praedictae, cui me refero, et in fidem etc. Neapoli die V. Januarii* 1751.

D. Carminus Lanzetta S. V. Cancellarius.

Atque ea est perquam sane lepida & erudita Cancellarii suam legalem auctoritatem interponentis περιεργίαν [*curiositas*] : in qua tamen ipsa non obscura partium studia arguerem, nisi aliunde hominis integritas satis perspecta esset. A quo cum nihil aliud requireretur, quam ut ejus, quod in Hannibalianae Visitationis volumine reperit, auctor prodiret ; is sese intempestive criticum profitetur, quantumque in ea facultate possit, serio experitur ; easq. criticae artis opes explicat & ostentat, quas nemo ab eo expetiverat. Nam quid rogo aliud testari debuisset, nisi se folio tali ea scripta reperisse, quae descripsit ? Nunc mire se excruciat, dum ea folia ASSVTA & INSERTA sanctissime affirmat. Atqui istud sodes (utrum scil. ea folia assuta, an adnata ceteris videantur) relinque litigatoribus integrum : quibus disceptare de his rebus fas & jura sinunt : tu, si videtur, Cancellarii partes atque decorum sustine. Nam poteras ab antiquioribus viris integerrimis ac peritissimis veram ac planissimam formam legalis auctoritatis vel in hoc ipso Monumento integro interponendae edisscere : quam in imo margine [1] adscripsi. Aut vero ubi judicis officio interpellatus fueris, tum demum tuam profitere peritiam.

At ne hac quidem tenus se Noster continuit,

(1) Postea quam Lanzetta noster ex Archivo S. Visitationis particulam illam, quam supra adscripsi, non tam sua legali auctoritate firmaverat, quam critico sale perfricuerat, in Archivo Capituli eadem illa *Brevis enarratio status Metrop. eccl. Neap.* reperta fuit : quam ante hos XXX. annos Antonius Bottonius Cancellarius & Act. Magister ex volumine Hannibalianae Visitationis erutam integram, suaque αὐθεντίᾳ roboraverat. Eam utpote a viro callentissimo, & hujusmet monu-

nuit, verum ſuper haec etiam eo ultro procedit, ut quis auctor *Brevis enarrationis* fuerit, curioſe & anxie rimetur: forſan quod neſcio quid ei ſuboluit, quod cum Hannibalis aut ejus Viſitatorum ſtylo non pulchre conſentiat. Sane fateor nihil me uſquam gentium vidiſſe aeque mirificum, ut criticam iſtam noſtri Cancellarii *δυθεντίαν* [*legalem auctoritatem*] quam libebit jam particulatim expendere.

Reperi, inquit, *poſt Acta praedictae S. Viſitationis*. Imo teſtari ſic debuiſſet, *Reperi inter* (non *poſt*) *Acta S. Viſitationis in fine voluminis a folio illo ad illud folium*. Nec enim extra Acta enarratio illa recenſeri dicēda erit, quae eâdem continenti foliorum recenſione comprehenditur, quaeq. ad Cathedralis Viſitationem intime pertinet.

Pergit critica hujus Noſtri ſubtilitas: *Quamdam*, inquit, *ſcripturam aſſutam et inſertam*. At rogo te, quaenam extrarii panni in purpuram inſerti veſtigia deprehendiſti? Volumen illud totum a capite ad calcem nihil ſartile aut inſutitium habet, ſed opere glutinatoris librarii (2) totum eſt juxta cum illa *Brevi enarratione* compactum. Hic tu *Aſſutam et inſertam* teſtaris? cui quaeſo facinus tantum licuiſſet, ut volumini Viſitationis quidquam extraneum aut adulterinum infueret? praeſertim cum ea volumina nemini extra archivi conclave aſportare quoquam permittatur.

Poſtremo quis te ſodes de auctore ejus ſcriptionis quaeſierat? *De qua*, inquis, *neſcitur, quiſnam fuerit auctor vel ſcriptor, utpote quia nullam continet ſubſcriptionem*. Tametſi vero ſatis auctorem ſcio; non dico (forſan aliis in [3] aurem dixero) niſi prius perſonam critici depoſueris: quod genus univerſum inviſum habeo. Verum amoto joco, ad ſubſcriptionem quod attinet; S. Viſitationis cancellarium latere minime decuiſſet, ſubſcriptiones Archiepiſcopi, aut alterius Viſitatoris in decretis quidem aut iis, quae vim decreti habent, requiri, non in notitiis meris, quibus volumina viſitationum ſcatent. Ad ultimum quid ultra tricamur? quaecumq. in Viſitationum digeſtis occurrunt,

monumenti, quo de agitur, gratia perſcriptam, non piguit adtexere. Ea ſic incipit.

Inter cetera contenta in volumine Viſitationis (Hannibalianae ſcil.) .. *a fol. 782. ad dictum folium ultimum 793. adſunt infraſcriptae particulae vidl.* Proxime enim ſequitur illa tota quanta eſt, *Brevis enarratio Metrop. Eccl. Neap.* a capite ad calcem eiſdem fideliter verbis tranſcripta. Qua abſoluta, hanc Cancellarius legalem *αὐθεντίαν* ſimplicitſimam, ut viri ſolent, impertit. *Extracta eſt praeſens copia ab actis originalibus, ut ſup. expreſſis, ſiſtentibus in Archivo Curiae Archiep. Neap.* (in eo enim generali archivo tunc repoſita erant, antequam Eminentiſſ. Card. Spinellus peculiare quoddam tabularium in tribunali S. Viſitationis paraſſet, in quod Viſitationum volumina tranſtulit) *& facta collatione* &c. .. *hac die octava menſ. Januar. 1720. Ant. Bottone primus C. Actorum Mag.* Hactenus legalis auctoritas.

Quodnam hic obſecro criticae cenſurae veſtigium reperis? Nimirum enim caſca illa Bottonii ſimplicitas cancellarium, non criticum agere (niſi ſiquando *peritia*, quam vocant, profitenda eſſet) didicerat.

(2) Volui volumen illud ingens, quod totam Cathedralis hodiernae viſitationem ab anno 1580. ad 1583. complectitur, contemplari. Nihil prorſus, crede mihi, inſutitium in *Brevi enarratione* deprehenditur, ſed eodem prorſus modo, ſicuti & cetera folia, ſe habet, caeteriſq. foliis artiſſime adhaeret & adnaſcitur. Id volumen non in actorum judicialium morem [quorum ſingula folia in ſingulos dies ceteris adſuuntur] ſed opere librario juxta cum illa *Brevi enarratione* compactum eſt, & quidem eo opificii genere, quod librarii vocant, *Ligatura alla ruſtica*.

(3) Verus Brevis enarrationis, quae in extrema viſitatione cernitur, ſcriptor fuit Anellus Ruſſus Canonicus Neap. qui in Codice ſtatus generalis Eccl. Neap. (ex quo hic alter, qui in Viſitatione legitur, fluxit: de quo generali Statu infra dicam) in recenſione canonicorum tempore Viſitationis viventium ſic inſcribitur: *Anellus Ruſſus Viſitator* (hic porro unus ex omnib. canonicis in ea recenſione *Viſitator* inſcribitur, qui re vera tota in Viſitatione Hannibalis locis omnibus viſendus adeſt, actiſque omnibus praeeſt) *unus ex majoribus poenitentiariis, & oeconomus majoris eccleſiae*. Ab hujus, inquam, calamo eam Enarrationem ſtatus profectam (praeterquamquod veriſimillimum erat, cum is unus totius Viſitationis ejus prora & puppis fuerit) id ex ejuſdem Enarrationis informationibus duabus conſtat, quas manu ipſiuſmet Anelli Ruſſi pluribus in locis reflectas vidi, ut infra declarabitur.

Digitized by Google

runt, omnia ad unum illum referuntur, cujus sub nomine visitatum fuit, a quocumq. demum illa omnia elucubrata fuerint.

SECTIO II.

Diluitur objectio difficilior, qua Enarrationem illam cum suo NON LIQVET abjudicare Hannibali adversarii conantur.

Hactenus cum natione critica pugnae prolusio fuit. Nunc aperto marte legiones irruunt. Agite, viri simus. Nam quo pacto (insultant scil. adversarii) illa enarratio, quae in fine Visitationis compacta cernitur, ad Hannibalem prorsus referri potest, cum is *Bonae Memoriae* vocetur, haud certe aliter quam qui ad plures abiere, nuncupari solent? Nam qua parte de Canonicorum ecclesiastica servitute agitur, cum de antiquo eorum interno (h. e. intra S. Restitutam) servitio dictum fuisset; sic subjicitur: *Novissime tamen praecedentibus litteris declaratoriis Sac. Congr. Trid. Concilii, per b. me.* [i. e. *bonae memoriae*] *Annibalem Archiepiscopum in Dioecesana*[4] *Synodo fuit servitium praedictum moderatum*. Tum demum ergo ad Hannibalem ea Enarratio spectaverit, ubi hunc ἐκ μηχανῆς Pythonica resuscitatum ad dictandum Ecclesiae Statum dicemus, quo suam Visitationem omnibus numeris absolutam daret.

Ne diu lectorem teneam: scio non defuisse, qui hanc fabam in amanuensi cuderent: cujus oscitantia illud *b. me.* insertum, conjiciunt. Quibus minime assentior. Nam equidem hujus Brevis enarrationis, quae ad calcem Visit. Hannibalianae legitur, informationes priores in tabulario curiae Archiep. vidi duas junctim compactas: quae quidem sine controversia canonicum Anellum Russum [illum ipsum dico, qui in visitatione Hannibaliana Cathedralis unicus Visitator fuit: cujus diligentiae pleraque operosissimae illius Visitationis debentur] Anellum, inquam, Russum auctorem habent; cujus etiam manu quaedam in margine rescripta leguntur. In priore informationum istarum sic manu Anelli laudati scribitur: *Ex decreto tamen Trid. Conc. adjecta decretatione Sac. Congr. & consensu dioecesanae Synodi novissime Annibal est moderatus servitium* [internum Canonicorum] *praedictum, ita ut ad 52. tantum anniversaria in singulos annos, & ad duo tantum ordinaria in singulos menses* (Canonici) *teneantur*. Ea prior adnotatio Anelli fuit, vivente adhuc Hannibale scripta, quippe abest illud *bonae memoriae*. At idem Anellus paullo post in informatione posteriore, manu item sua, ea ipsa verba ne syllaba minus allevit, quae superius ex volumine Visit. Hannib. produxi: in quibus illud *b. me.* disertim legitur. Quocirca ultro fateor, exemplum quod ad calcem Visitationis Hannibalis exstat, post ejus mortem fuisse transcriptum: at nego post ejus fata ultima fuisse elucubratum, sed jam ante, adhuc vivo ac vidente Hannibale compositum diuque elimatum. Quo circa non invitus faciam, ut de pluribus hujus, de qua tamdiu disputo Brevis enarrationis statu Cathedralis Ecclesiae Neap. exemplis a me visis & attente consideratis narrem, & quo temporis ordine ea scripta fuerint, quidve sit inter ea discriminis, accurate notem: tanti profecto interest, ne de Hannibaliani hujus NON LIQVET veritate sollemne illud fori Romani *Non liquere* temere quis forte pronuntiet.

SECTIO III.

Disquisitio subtilior de quinque diversis Statûs Cathedralis ecclesiae Neap. exemplis, & quo temporis ordine scripta fuerint.

Initio si quis forte expostulet, se rebus frivolis, exsuccis, insuavibus teneri nimium; huic dictum volo, subtiliora ista non nisi in cupidorum scribi gratiam: quos satis scio in iis maxime delicias agere, quae sordent aliis, quos horum cura nulla incessit. Ista interim exiliora incurioси vitent censeo; ne porro, quamquam praemoniti, postea insonti male dicant.

1. Exemplum omnium tum tempore tum digni-

(4) Hannibalianam hanc dioecesanam synodum (quam, ut se tam operosae Visitationis praeludia dedere, fuisse accuratissimam necesse est) magno Ecclesiae Neap. malo amissam dolemus. Ac jamdiu est, quod ea caremus. Sane cum ejus nulla a Chioccarello mentio facta fuerit; dubito an non jam tum ex tabulario Archiep. curiae avolaverit.

Digitized by Google

dignitate primum illud ſtatuo, quod in Archivo curiae Archiep. reperitur initio codicis, cujus index [5] longior eſt: ſed tamen diſcriminis cauſa *Codex ſtatus Eccleſiae Neap.* aut breviore nomenclatura *Status generalis* poſthac vocabitur. In eo codice agmen agit illa, quae ad calcem Viſitationis Hannibalianae cernitur, *Brevis enarratio ſtatus Metrop. Eccl. Neap.* Ac prorſus illa ipſiſſima eſt: niſi quod ab hoc ſtatu generali pauciſſima abſunt, quae in Viſitationis *Brevi Enarratione* leguntur; & inter cetera totum illud abeſt, quod de Canonicorum ſervitio *per BONAE MEMORIAE Hannibalem in ſynodo dioeceſana moderato* illic leguntur. Nam procul dubio non modo ante mortem Hannibalis, ſed & ante ejuſdem ſynodum dioeceſanam ſcriptus hic Status generalis fuit, ac prorſus prioribus ejus Viſitationis annis, plane ut eo codice tamquam manuductore Hannibal in luſtrandis praecipuis Eccleſiis uteretur, quarum Status in codice illo recenſetur. Contra vero haud pauca in eo Statu generali circa cathedralem, quae in Viſitatione Hannibaliana incaſſum requiras, reperiuntur; & quaedam in primis, ex quibus hunc codicem generalem vivo ac vidente Hannibale fuiſſe elimatum, certo arguitur. Nam ut cetera taceam: quis hunc *Coditem ſtatus* ſub ipſo Hannibale conſcriptum negaverit, cum eo loci, quo canonici tunc viventes recenſentur, illi ipſi canonici in catalogum referantur, quos ſub Hannibale in Neap. capitulo claruiſſe, ex archivi capitularis necrologiis conſtat? Qui mihi parum fidunt, iis integrum erit periculum facere.

Quandoquidem autem illud Hannibalianum NON LIQVET ad hanc me operoſam exemplorum collationem compulit; ne iterum redire ad hunc *Codicem Status*, ſive *Statum generalem* cogar; ſciendum eſt, ibi fol. 4. diſertiſſimis verbis illud ſcribi: *Nec mihi liquet, quo tempore & a quo* (Hebdomadarior. collegium proxime memoratum) *fuerit conſtitutum*. Atqui [nequis forte calumniari velit, hanc ſaltem particulam ꝛc NEC LIQVET poſt Hannibalem ſcribi potuiſſe] ſciendum eſt hanc particulam in tergo folii quarti exſtare, in cujus ipſius folii quarti fronte plurimi illorum Canonicorum leguntur, quos conſtat ſub Hannibale floruiſſe: in iis autem *Paulus Taſſus & Carolus Baldinus*, quos ambos, ubi diu ſub Hannibale Canonici noſtri fuiſſent, tandem ante Hannibalis obitum Archiepiſcopos fuiſſe factos, ex Vghello (6) diſcimus. Poteſt ne amplius dubitari quin ꝛc NEC LIQVET vere Hannibalianum fuerit?

2. 3. Sequuntur informationes duae in unum libellum compactae, & manu Anelli Ruffi Viſitatoris praecipui inter lineas aut in margine variis locis refictae. His Anelli correctionibus informatio poſterior prae priore magis ſcatet. Et haec quidem exempla duo, *Informatio prior & poſterior* poſthac vocabuntur: plane quia priorem illarum vivo Hannibale (nam abeſt ꝛc *b. me.*) ſed poſt celebratam ab eo dioeceſanam ſynodum [ac facile circ. [7] ann. 1594.

(5) Ejus fol. 1. corum quae continentur index praemittitur. *Status cathedralis Eccleſ. Neap.* praecit: deinde ſequitur *Status eccleſiar. Parochialium*, aliarumque praecipuarum, aliorumque mox locorum & operum, quae ad Viſitatoris curam pertinebant. Ac ſatis ubique apparet, eum codicem (qui in Archivo Curiae Archiep. reperitur litt. N. faſciculo 1. Num. 15.) ſervente operoſiſſima Viſitatione Hannibaliana fuiſſe conſcriptum; ac *Rationarium Eccleſiae Neap.* (exemplo Auguſtei illius Rationarii imperii) jure appellari poſſe.

(6) Hannibal de Capua immortalis memoriae Praeſul anno 1595. poſtrid. Kal. Sept. fato functus eſt.

At Paulus Taſſus anno 1588. ex Canonico Neap. Archiep. Anxanenſis (vulgo *Lanciamenſis*) factus fuerat. Vide Vghellum.

Item Carolus Baldinus canonicus Neap. & in Neapolitano Gymnaſio primarius canonum profeſſor anno 1591. Archiep. Surrentinus creatus fuit, teſte eodem Vghello.

(7) Quam dixi epocham, ea ſic adumbrari poteſt. In laudata Informatione priore fol. 1. ſic ſcribitur: *Sed quo tamen tempore, & a quo inſtitutus fuit Primiceriatus, incompertum eſt mihi. Ex augmento tamen dotis annuor. ducator. viginti quinque, octuaginta* (amanuenſis ſcripſerat *Quadraginta*, ſed ſuperne correctum fuit *Octuaginta*) *circiter abhinc annis de jure patronatus quorumdam nobilium familiae de Januariis ſedi-*

Digitized by Google

1594.] ſcriptam fuiſſe conſtat: alteram vero proxime poſt Hannibalis obitum. Nam quia mors Praeſulis intervenerat; locum illum de moderato ſervitio Anellus refinxit, & ꝯ *b. me.* adjecit. In harum priore diſertim ꝯ *Nec liquet* legitur: in poſteriore non legitur, quia amanuenſis dum a fronte folii 8. ad ejuſdem tergum tranſitum faceret, extremas Canonicorum, ac primores Hebdomadariorum notitias (in quibus illud *Nec liquet* continebatur) foeda ſupinitate tranſiluit: nullo id ſane diſpendio, cum ſatis eae voculae duae cum notitiis ceteris, tum ex informatione priore, tum ex *Statu generali*, ceterorum matrice, ſuppleantur.

4. Quartum eſt exemplum illud, quod in calce Hannibalianae viſitationis legitur ex duabus modo deſcriptis Informationibus, ſed magis ex poſteriore propagatum. In quo, ut ſupra oſtenſum fuit, ꝯ NEC LIQVET legitur: ſed in fine *Inſtitutum* juxta cum Informatione priore, non *Conſtitutum* cum Codice ſtatus generalis legitur. Vides quanto diligentiae immedicabilis morbo laborem, cui notaſſe tam ſubtilia curae fuerit.

Antequam vero ab exemplo hoc quarto abeo; dicent, me jam victum dediſſe manus, dum fateor exemplum quartum ex Informatione poſteriore propagatum, ac proinde poſt Hannibalis fata fuiſſe deſcriptum. Eſto. Quid tum? Ergo, inquient, illud Viſitationis decantatum NEC LIQVET non eſt Hannibalianum. Age, non ſit: modo conſtet illud, quod in *Codice ſtatûs*, quodq. in priore Informatione occurrit, eſſe ex Hannibalis mente profectum. Imo quid ultra diſſimulo? Cum certo conſtet prius illud NEC LIQVET [quod in *Statu generali* circ. an. 1580. ſcripto reperitur] vere ab Hannibale auctore prodiiſſe; laetamur profecto, ſi quidem illa *Brevis enarratio ſtatûs*, quae in calce Viſitationis Hannibalianae viſitur, poſtuma fuerit. Sic enim ad tempora Alphonſi Geſualdi (qui anno 1596. iniit) pertinebit; eoq. ꝯ NEC LIQVET recentior teſtis exſiſtet: ex quo illud *Non liquere* ad finem uſque ejus ſaeculi perduraſſe intelligemus.

Hic vero forſitan & Cancellarius noſter reſumpto ſpiritu turbas ciebit. An non hoc, inquiet, illud eſt, quod initio dixeram, fuiſſe totam illam Enarrationem *Aſſutam & inſertam*? Certe ut olfactu primo ſuboluerat atque praedixeram, ita poſtremo prorſus compertum fuit. Nam quae enarratio poſt fata Hannibalis ſcripta fuit, eam quia nunc in extremo volumine Hannibalianae Viſitationis cernimus, non niſi poſtea *aſſutam & inſertam* oportuit.

Quid ſi contra oſtendo, univerſam illam quadriennem Cathedralis Viſitationem non niſi Hannibale extincto, tum demum in unum volumen fuiſſe compactam? Quid enim? Enarratio ſtatus quae in fine legitur, Hannibale jam frigido & exſangui [ut qui *b. me.* praenominatur] conſcripta fuit. Atqui eadem *Enarratio* non modo non aſſuta

&

lis Portus eſſe dicitur. Quae verba annum, quo ſcripta haec Informatio fuit, proxime verum adumbrant. Porro jus illud patronatus familiae de Januariis a Leone X. (qui ab anno 1513. ad 1521. ſedit) conceſſum fuit. Nec mihi curae fuit, ut annum conceſſionis ejus ſedulus nunc inquirerem. Sed ponamus id anno circ. 1515. fuiſſe a Leone indultum. Ab eo ſi annos octoginta numeres, exſiſtet annus 1595. quo ipſo anno menſe Sept. Hannibal e vivis exceſſit. Itaq. hoc ipſo aut ſuperiore 1594. haec ſcripſiſſe Anellus videtur.

Mitto autem quod in modo adſcriptis verbis auctor ſe prodit. Nam quid intererat in *Brevi enarratione Status* haec tam minuta ac ſubtilia de primiceriatu notaſſe, niſi quia ille ipſe Anellus Ruſſus, qui ſine dubio haec ſcripſit, ſibi Primiceriatum a Rom. Curia impetraverat? Vnde diuturna inter Anellum & patronos lis exarſit.

At in Informatione altera, ubi de Primiceriatu agitur, amanuenſis quidem ita prorſus, uti ſupra expreſſum habes, ex priore exemplo deſcripſerat. At Anellus manu ſua poſt *Ducatorum viginti quinque* ſic refinxit, ut tolleret ꝯ *Octuaginta circiter abhinc annis* (certe quod aliquot jam anni tunc excurrerant) ſcriberetq. in hunc modum: *a Leone X. de jure patr. quorund. nobil. famil. de Januar. ſed. Port. eſt effectus*: ac praeterea ſua quoq. manu adjiceret: *Licet de hoc pendeat lis in ſacro Rom. auditorio*. Quae ultima verba plane Anellum produnt. Et ad poſteriorem quidem reformationem (exceptis verbis ultimis, *Licet de hoc* &c.) exemplum illud quod ad calcem Viſitationis exſtat, in hoc loco ſe conformavit.

Digitized by Google

& inserta cernitur, sed toti corpori intime adnascitur. Quid ergo restat, nisi ut Acta illa Visitationis operosissimae post mortem ab Antistite tanto obitam junctim in volumen unum coaluerint? Nec aliter fieri plerumque usuvenit. Nam quamdiu Visitator vivit, plura identidem singularum ecclesiarum visitationibus Monumenta, notitiae plures adjungi solent. Nec finis ullus est; donec Visitatore extincto, tunc demum extincta simul & Visitatio dicatur. Ac tum demum Visitationum digesta simul glutinatori compingenda traduntur.

5. Restat exemplum quintum & ultimum eorum quae ego viderim: quod certe facile ex Canonicis [8] qui in eo recensentur, perspici potest, non nisi post initia XVII. saeculi sub Octavio Card. Aquaviva Archiepiscopo concinnatum. Id ex eo tantum memorabile est, quod ibi primum leve quoddam conjecturae vestigium signatum apparet de Hebdomadariis ab S. Athanasio propagatis. De quo jam seorsum in gratiam nostrorum Hebdomadariorum est differendum seorsum Sect. seq. Interim siquid aliud praeter jam expositia discrimina inter ea exempla quinque intersit, id inferne [9] adnotatum reperies.

SECTIO IV.

Hebdomadariorum originis ab S. Athanasio falso repetitae epocha.

Ordiar ergo ab exempli quinti (quod extrema superiore Sect. nominavi) notitia: quod sic inscribitur: *Enarratio status Eccles. Metrop. civit. Neap.* Decem tantum constat foliis in unum quinternionem assutis: quem quinternionem intra Codicem illum generalem status Eccles. Neap. (de quo sect. 3. num. 1.) inclusum reperi: non quidem cū eo codice assutum, sed vagantem. In eodem codice & Informationes duae illae (de quibus modo sect. 3. num. 2. 3. dixi) inclusae vagantur. Verum ut ad nostrum exemplum quintum redeam; id post descriptionem Capituli, Hebdomadariorum, *aut* Quadraginta, & aliorum officiorum, nec non ecclesiae Cathedralis & S. Restitutae cum suis capellis, pauca de Tribunali Archiep. habet: ac postremo parochias quasdam matrices describit cum suis filiabus, non tamen omnes; nam hic Status non videtur plane integer, foliis ut opinor aliquot, aut altero integro quinternione deficiente. Hoc vero, de quo loquor, exemplum, primario ex illo codice Status generalis manavit. Documento sit, quod in Canonicatuum recensione, ut modo Adn. 9. notabam, sic solet procedere. *Canonicatus quem obtinebat D. Jo: Vicecomes* (qui scil. in illo Cod. Status notatur) *nunc Joan. Longus* &c. Et sic semper possessori veteri, quem codex status nominaverat, recentem opponit. Ergo hic Status primario quidem ex illo Statu generali fluxit; at ex ceteris etiam posterioribus statibus, & ex tota Visitatione Hannibaliana plura passim delibavit. Atq. ea est levis exempli istius adumbratio & effigies.

Nunc de tempore scripti exempli hujus praestabit pauca adnotasse. Certum est, id posterius anno 1602. fuisse. Nam in folii quinti tergo ubi dixisset, primum Diaconum olim Presbyteris praecessisse, & in dextera chori parte consedisse; statim addit. *At anno 1602. ab Ill. Card. Alph. Gesualdo Archiep. vigore decreti Congr. sacror. Rit. & Brevis SS. Dni mandatum fuit ut primus Diaconus cum reliquis sederet a sinistra parte chori, & amplius non praecederet Canon. Presb.* Quanto vero post annum 1602. intervallo hic *Status* elaboratus fuerit, non dum habeo dicere; quippe

(8) Verbi causa initio folii 2. sic notatur: *Canonicatus quem obtinebat D. Jo. Vicecomes* (nec prorsus alia de causa sic designatur canonicatus iste, quam quia in Codice illo status generalis, quem sect. 3. primo loco descripsi, *Vicecomes* ille possessor illius canonicatus fuit) *nunc vero Joannes Longus, habet ducatos quinquaginta* &c. Nec alia methodo canonicatus ceteri designantur. Confer & initium Adnot. 11.

(9) Omnium commune hoc est, ut eisdem fere verbis eadem concipiantur: nisi quod quaedam alicubi sint, quae ab aliis absunt. Deinde *Codex* generalis *status eccles. Neap.* omnium antiquissimus & fons ceterorum est. Postremo, ut cetera taceam, ea *Brevis enarratio status* quae, in calce Visitationis Hannibal. adnectitur, *ἀμίσως* ab illis, quarum characterem descripsi, informationibus duabus ab Anello Ruffo in margine correctis transcripta fuit, ac maxime ex altera.

Digitized by Google

quippe quem non ſuſtinui a capite ad calcem totum perlegere. Nec tanti res erat. Hoc unum praeſto, hunc ſtatum anno 1623. (quo Caeſar de Engenio ſuam Neap. Sac. edidit) antiquiorem fuiſſe. Quia Caeſar ſine ullo temperamento Hebdomadariorum originem ad S. Athanaſium auctorem retulit: cujus verba recitavi ſupra in Differt. hiſtor. Par. 2. pag. 130. Adnot. 27. At Status hujus ſcriptor ita Hebdomadarios ad eumd. Athanaſium conditorem refert, ut id tamen in ambiguo relinquat. Praeſtabit verba Statûs hujus ex folii 7. initio huc afferre: *Hebdomadarii ſunt numero 22. qui FORSAN a D. Athanaſio . . . (10) . . inſtituti fuerunt.*

At pulchre eſt quod mihi tandem & auctor hujus Exempli V. ac ſimul tempus ſcriptionis enotuit. Qui nunc homines in Archiep. Curia peritiâ ſcripturarum habent, ii hanc ſcriptionem ad Alexandrum Ruſſum Canonicum Neap. referunt, qui ſub Archiep. Octavio Aquaviva Viſitator & Viſitationis ſecretarius erat, ac demum Ariani Epiſcopus creatus fuit. Et in hunc auctorem pulchre omnia conveniunt. Aquavivae vero pontificatus inter annum 1605. & 1612. ſpatiatur. Intra hoc igitur ſeptenne intervallum hunc Statum, qui Exemplo V. continetur, elucubratum praeſtare poſſumus.

Quid ſi artioribus dumtaxat biennii ſpatiis (nempe inter ann. 1605. & 1607.) hujus Status ſcriptionem concludo? Id vero tametſi mihi fore expeditiſſimum demonſtratu video; tamen hujus compertae aetatis argumentum exploratiſſimum, ne in ſtadii fine adhuc currentem morer, in paginam (11) imam conjeci. Et haec quidem in Hebdomadariorum gratiam adnotaſſe libuit, ut a Canonicis ipſi diſcant, quis primus ortus, quiſve progreſſus ejus opinionis fuerit, quo Hebdomadarii ab Athanaſio orti falſo praedicantur.

His enim gradibus ea perſuaſio proceſſit. Sub initia Viſitationis ſuae Hannibal ſuum NON LIQVERE pronuntiaverat, idq. in Codice Status generalis Eccl. Neap. circa ann. 1580. ſcripto teſtatum eſſe voluerat. Poſt id tempus Informatio prior *Brevis enarrationis ſtatus* &c. ab Anello Ruſſo circ. ann. 1594. prodiit, in qua idem iſtud NEC LIQVET repetitur. Poſtremo & poſt fata Hannibalis, circa exordia Geſualdi h. e. paullo poſt ann. 1596. in Brevi enerratione Status, quae ad calcem Hannibalianae Viſit. compacta viſitur, nihilo ſecius ſollemne iſtud NEC LIQVET inculcatur. At ad ultimum ſub Archiep. Octavio Aquaviva, ann. 1606. aut 1607. repertus eſt aliquis, cujus viſcera tandem Hebdomadariorum obſcuritatis natalium miſericordia tetigit. Iſq. uti diximus, canonicus Alexander Ruſſus fuit: nimirum ut non aliunde quam a Canonicis, quidquid meritorum uſquam eſt, in hos profectum reperiatur. Is credo ex vita Athanaſiana comperit, quoſdam Hebdomadarios ab

(10) Vbi lacunam ſignavi, ibi ſcriptum erat, *Anno* 1700. Quod ad amanuenſis errorem refer, numeros in autographo haud ſatis clare expreſſos infeliciter interpretati. At ab auctore Statûs hujus ſcriptum fuiſſe videtur, *Anno* 870. Quippe Athanaſius anno 872. ad Superos emigravit.

(11) Dixi in Adnot. 8. in hoc Statu ſic recenſeri canonicatus, ut poſſeſſoribus iis, quos in Codice Status generalis notatos ſcriptor animadverterat, ſubnectat eos, qui ſuo tempore eiſd. canonicatibus potiebantur. Itaq. in folii 1. tergo extremo ubi ſcripſiſſet, *Canonicatus diaconalis, quem obtinebat Paulus Taſſus* ... nec tamen Taſſi ſucceſſores adjeciſſet; tandem in margine ſic adnotavit: *Ad praeſens obtinet D. Julius Maſſus, tandem Octavius Avitabilis.* Itaq. non longo tempore Taſſus duos ſucceſſores habuit. Hoc obiter.

Nunc eadem ſuperiora verba adſcribam integra. *Canonicatus*, inquit, *diaconalis, quem obtinebat Paulus Taſſus, nunc Archiep. Lancianenſis, cui annexa eſt rectoria S. Georgii villae Afragolae* &c. Hinc patet, haec ſcripta fuiſſe vivente adhuc Paulo Taſſo: *Nunc*, inquit enim, *Archiep. Lancian.* Atqui ex Vghello hunc IV. Non. Sept. anni 1607. diem ſuum obiiſſe diſcimus. Ergo ante hoc tempus ſcriptus hic Status fuit. Idem vero quia ſub Oct. Aquaviva elucubrari debuit (qui Praeſul die 10. Sept. anni 1605. poſſeſſionem iniit) non potuit alio conſcribi tempore, quam inter Septembrem anni 1605. & menſem item Septembrem anni 1607. hoc eſt veriſimillime anno 1606. aut ſequenti. Tanti profecto fuit ea FORSAN iſtius (ex quo poſtea gradus ad confeſſam perſuaſionem temere factus eſt) epocham figere.

Digitized by Google

ab Athanasio fuisse creatos. Nec tamen hunc parentem aperte assignare est ausus Hebdomadariis (quippe repugnante Hannibale & tot aliis doctis viris, e quibus vita Athanasii perlecta fuerat) quocirca foedam Hebdomadariorum ἀταξίαν sic cū συνταξίᾳ temperavit, ut ope ac FORSAN adhuc judicium sustineret. Ad extremum autem exorti sunt homines, qui ex semita, ut ille ait, facerent viam. Quanti enim laboris erat *Forsan* illud expungere? Quod ubi obelo transfixum fuit; jam primo apud Caesarem de Engenio (virum egregie industrium, sed pinguioris ingenii) mox apud Chioccarellum, ac forsitan (12) alios palam pro Athanasianis ambulant & salutantur Hebdomadarii. Sane mortalium felicissimi, si moderate uti fortuna sua didicissent. Nunc quia distenti nimium tam antiquis clarisque natalibus, nec aliis nec ipsi sibi ferendi evaserunt; quid mirum si hinc Athanasius illos haud satis animo suo moderantes, tamquam alienos repudiet, illine sibi eosdem Joannes Vrsinus cum Capitulo suo arroget, atque a se auctore recens satos, nunc demum agnitis genitivis notis, palam demonstret, idque in censualibus ecclesiae tabulis perscribi jubeat?

ALIA QVAEDAM MONVMENTA CARPTIM EXPOSITA

Non quidem promissa, sed opportuna tamen, quibus Dissertationis loca quaedam sive illustrantur sive refinguntur.

MONVMENTVM V.

Excerpta ex antiquioribus Capituli Neap. Statutis ante annos CCXX. conditis.

Ad pag. 180. num. V.

SECTIO I. *Antiquiorum Statutorum notitia.*

Antiquiora Statuta voco illa quae anno 1534. condita, in Visitatione S. Restitutae Hannibalis de Capua integra describuntur. Horum exstat autographum in Capituli tabulario, nempe illud ipsum, ex quo exemplum in Hannibalianam Visitationem traductum fuit. Exstat in eodem archivo & editio prior, anno 1662. formis Novelli de Bonis senioris a Josepho Saggesio & Matthaeo Renzio Canonicis cellarariis procurata in parvi libelli formam: quem libellum videram jam olim ante hos XL. annos apud virum sanctiss. Petrum Marcum Gyptium, Ecclesiae Neap. Canonicum Theologum ac singulare decus, Seminarii a se perdiu recti, & clericalis disciplinae strenuiss. assertorem. Is porro libellus sic inscribitur: *Constitutiones & Statuta &c. sub an. 1534. compilata, reformata* (1) *autem an. 1662.* &c. Postremo quae Statuta, anno 1712. edita cum hoc indice, *Constitutiones Capituli* &c. nunc omnibus manibus teruntur, ea ex antiquiore anni 1662. editione manarant, sed plu-

(12) Forsitan, inquam, & apud alios: sed tamen meris obscurioris. Nam siquis paullo cultioris & acutioris ingenii fuit, is non videtur id quivisse concoquere. Certe Ant. Caracciolus, qui biennio post Chioccarellum sua sacra Monumenta vulgavit, pag. 358. & seq. ubi de rebus ab Athanasio in Episcopatu gestis, & de Ecclesiae Neapolitanae aevi Athanasiani statu agit, nihil prorsus de Hebdomadariis hodiernis ab Athanasio creatis narrat. Et tamen eo loci Caracciolus ex eadem illa longiore Athanasii vita omnia plena manu depromit. Itaque ex eo silentio colligo, Hannibalianum NON LIQVET multo praestabilius Caracciolo visum, quam sive illud FORSAN Alexandri Russi, sive multo deteriorem Caesaris de Engenio & Chioccarelli ajentium asseverationem improvidam. Verum quid Caraccioli silentium obtrudo? cum idem vir doctissimus alibi apertissime nō alios pro Athanasianis Sacerdotibus Hebdomadariis agnoscat, quā Capituli Neapolitani Canonicos? Verum is locus in monumento ultimo a me proferetur.

(1) Mihi quidem non vacavit vetera anni 1534. statuta cum hac anni 1662. editione conferre. Verum quantum fugientibus oculis perspicere potui, leves admodum mutationes factae fuere tales, quae moribus superioris saeculi medii congruerent; veluti quoties de Canonicorum vestibus sermo est, pro almutio cappa subrogatur etc. Si: & in tituli *de ordine exsequiarum* tribus prioribus Statutis mutationes quasdam temporibus congruas obiter animadverti, plures alibi animadversurus, si fuisset otium.

Digitized by Google

pluribus adhuc in locis reformata & moribus hodiernis accommodata : quae demum in eum, quo nunc cernuntur, modum refícta, in Concilio Provinciali Card. Cantelmi anno 1669. proxime adprobata fuerant.

At antiquiorum illor. (quae in Hannibalianam S. Reſtitutae Viſitationem inſerta dixi, quacq. in Capitulari ejus Viſitationis apographo a fol. 378. incipiunt) exordium tale eſt. *A partu Virginis currente anno MDXXXIII. luce XXVII. menſ. Octobris Indict.* (2) *VII. infraſcripti Rev. Domini in Eccleſia S. Reſtitutae in loco Capitulari ſimul congregati compoſitioni ac ſtipulationi infraſcriptorum Statutorum interfuerunt. Quorum nomina ſunt haec videl.* Deinde nomina XXVII. canonicorum, qui affuere, ſubjiciuntur; ac porro Statuta ipſa ſequuntur.

Ad quorum omnium calcem ſic ſubnotatur. *Ad ejus laudem qui omnium principium eſt et finis, ejuſq. glorioſae Matris ac B. Reſtitutae Virg. et Mart. finiunt Statuta almi atq. Rev. Capituli Neap. per Ant.* (3) *Laureum V. J. D. minimum inter Canonicos Neapolitanos compilata, et ad ordinem et decorem reducta, labente Sal. anno MDXXXIIII. Indict. VII. Pontificatus vero Clementis Papae VII. an. XI. exiſtentibus Cellarariis in Capitule Rev. viris Joan. Ant. Carraſa,* (4) *et Paulo Ant. de Belhomo, qui vere Patres et Capituli Reſtauratores nuncupandi ſunt. Adeo enim religioſe circa divinum cultum, adeo apte et diligenter circa rem Capituli tutandam augendamq. ſe geſſerunt, quod aeternum ſibi nomen comparaverint. Finis. Deo gratias.*

Porro ex praenotatione & ſubnotatione inter ſe comparatis intelligimus, die quidem XXVII. Octob. anni 1533. conveniſſe canonicos, & ſtipulationi ſtatutorum jam tum ruditer informatorum (quas informationes inter ſchedas tabularii noſtri vidi) interfuiſſe: at demum non niſi anno 1534. (quo menſe non dicitur: ſed ante Kal. Sept. id contigiſſe neceſſe eſt, quia adhuc Indictio VII. decurrebat; quae alioqui ab ineunte Septembri jam Octava Neapoli numerabatur) eadem Statuta fuiſſe expolita atq. in mundum redacta. Imo quid dico ante Kal. Sept. perfecta fuiſſe, cum potius neceſſe ſit ante exeuntem Martium ejuſd. anni 1534. ea fuiſſe elimata? Quod ex eo poteſt intelligi, quod poſt ſuperiorem clauſulam ſequitur *Statutum extravagans circa beneficia quae ſunt ad collationem Rev. Capituli Neap. plane* (5) *ſingula-*

(2) Anno 1533. Indictio VI. decurrebat: verum, ut alibi toties inculcavimus, Neapoli more CPolitano a Kal. Septembribus jam ſeptima proceſſerat.

(3) *Ant.* iſte *Laureus* (aliter *de Lauro*) Amantea oriundus, noſter Canonicus, ſub haec Regius Capellanus Major, ac demum anno 1562. epiſcopus Stabienſis factus eſt. Ejus exſtat ſepulcrum Neapoli in S. Mariae Gratiarum cum hoc epigrammate a Caeſare de Engenio in Neap. Sacra pag. 208. recitato. *D. O. M. Antonius Laureus nobili familia Amanthea oriundus, Stabienſium epiſcopus, Regii ſacelli Antiſtes, publici Gymnaſii praefectus, Neapol. Collegii primarius, vetere juris prudentia, conſilii magnitudine, ſpectata in rebus maximis fide, Philippo Regi a conſiliis, & patriae aeque carus hic ſitus eſt. Vix. ann. LXXIX. Obiit anno 1577. Bartholomaeus, Carolus, & Jacobus Laurei patruo B. M. cum lacrymis P P.* videatur praeterea Vghellus in Stabienſibus, & quos ſcriptores de Laureo cum laude loquentes ibi Veneta Vghelli editio memorat.

(4) Hi ſunt duoviri illi, qui hodiernum chronicon S. Mariae de Principio (ſive verius Officia quaedam cum praevia Eccleſiae notitia) deſcribi eodem anno ex codice vetuſtiore fecerunt. Nam (ut Parte I. cap. 6. notavi) ejus chronici fol. 43. ſic littera rubra notatur: *Hic liber eſt Capituli matris Eccleſiae Neap. in quo S. Mariae de Principio: ſanctaeque Reſtitutae ſollemnia: & ſacra mortuor. officia continentur: quae omnia ex vetuſtiſſimo codice: ejusdem Capituli ſumptibus: ad verbum fuere tranſcripta: Joanne Antonio Carrapha, Pauloque Antonio Belbomo cellariis. Anno humanae ſalutis 1533.* Ex hoc anno, & eo qui in clauſula Statutorum notatur, vides Cellararios hoſce in annum 1534. fuiſſe refectos: quod agi cum diligentiſſimis Canonicis conſueviſſe, ipſa Statuta ſuo loco indicant.

(5) In eo id ſtatutum ſingulare eſt, quod beneficia vacantia conferuntur hoc modo ipſis Canonicis. Schedulae ſingulorum canonicorum in arcula reconduntur. Deinde convocatis Canonicis, *Si unum* inquit, *vel plura ſunt beneficia vacantia, ad collationem Capituli ſpectantia, tot chartulae a dicta arcula* [ſorte] *capiantur, quot fuerint beneficia vacata, illisque Canonicis conferantur ſingula, quorum nomina dictis chartulis fuerint deſcripta... Quando introitus vacati beneficii non excedunt ſummam ducator. ſex, tunc beneficium inte-*

Digitized by Google

gulare: in cujus tandem fine ſcribitur: *Haec* (iſtud *Haec* non ad praecedens dumtaxat *Extravagans*, ſed etiam ad Statuta omnia ſuperiora uno ſyntagmate comprehenſa eſt omnino referendum) *Haec*, inquit, *ſtatuerunt Rev. Domini Canonici Majoris Eccl. Neap. in Eccleſia S. Reſtitutae in loco capitulari ſimul congregati luce XXIII. Martii, currente anno ab Orbe redempto MDXXXIIII. Ind. VII. praeſente notario Conſtantino Ferrario, et de illis inſtrumentum publicum faciente.*

Poſtremo poſt hanc ultimam ſubnotationem ſequuntur tria alia (quae etiam *Extravagantia* vocare liceat) Statuta: quorum primum (6) ſane quam notabile eſt. Ad horum vero finem poſtremo ſcriptum eſt: FINIS STATVTORVM REV. CAPITVLI NEAP. Nec aliter in Capituli autographo, ex quo Statuta iſta in Viſitationem tranſmiſſa fuerunt, notatum reperi.

SECTIO II.

Statutum I. expenditur: in quo CAPPELLANI non alii videntur, quam Neap. Hebdomadarii, quos biennio poſt Paulus Papa III. itidem Cappellanos vocaverat.

Statutorum initio titulus exſtat. *De re-*

integrum uni conferatur; ſi vero exceſſerint, tunc uni Canonico conferatur beneficium, alteri ſecundo Canonico penſio reſervetur .. quae penſio uſq. ad ſummam medietatis fructuum aſcendat & non ultra. Iſtud poſtea penſionis onus ab uſu receſſit; nam in Statutis anno 1712. editis non reperitur. At illa ſuperiora de beneficiorum ſortitione non tantum in autographo, & in editis anno 1662. leguntur, verum etiam in Statutis editionis ultimae, quae in Provinciali Synodo Card. Cantelmi confirmata fuerunt. Hanc ſynodalem confirmationem idcirco hic memoro, quod abſq. ea fuiſſet, beneficiorum ſortitio habenda eſſet illicita, utpote repugnans capiti *Sortes* tit. *De ſortil.*

Mox in eod. Statuto Cellararіis permittitur, uti *Fratantias* ipſi injuſſu Capituli conferant.

(6) Agitur eo Statuto de Apoſtatis ſive a religione ſive a clericatu in Capitulum non recipiendis. *Apoſtatae a clericatu* notantur Triburienſi (anni 895.) can. 27. *Si poſtmodum relicto clericatus habitu, a caſtris Dominicis, quibus adſcriptus eſt, profugus & apoſtata elabitur & ad ſaeculum egreditur* &c. Iidem taxantur in Remenſi Conc. anni 1049. cap. 8. Porro iſtos tempore conditi

ligione et cultu divino: in quo poſt ſatis longam praefationem, in qua de pſalmodia religioſe perſolvenda in primis agitur, *Statutum I.* hujuſmodi legitur: *Quod Cellararii, qui pro tempore fuerint, curam attente habeant circa cultum divinum, ut tam intus quam foris Eccleſiam S. Reſtitutae, tam a Dominis Canonicis quam a CAPPELLANIS et Diaconibus Divina celebrentur eo ordine et decoro, prout cultui convenit divino.*

Porro de *Diaconibus* non eſt dubitandum, quin ii ſint qui corrupte alibi paſſim *Jaconi* nuncupantur, minores ſcil. clerici (interdum & ii, qui nullo inſigniti ordine, *Clerici ſylvatici* vocabantur) qui tum choro, tum etiam Miſſis planis deſervirent. At *Capellani* quinam ſint intelligendi, dubitari poteſt.

Ac principio minime dubium videbatur, quin ii capiendi eſſent, qui Miſſas in Capellis ſive quotidie ſive ſtatis diebus celebrare tenentur; praeſertim cum de iis aperte loquatur Statutum II. *Capellani*, inquit, *non celebrantes aſtringantur*. Sane quibus eadem notione *Capellanos* Statuti I. accipere cordi fuerit (ſicuti re vera in editione anni 1712. addita huic Statuto quaedam fuerunt, ex quibus videas *Capellanos* iſtos plane ex ingenio hujus ſaeculi acceptos

 fuiſſe)

Statuti hujus magna apud probos flagraſſe infamia, initium Statuti declarat, quod tale eſt: *Cum apoſtata tam a religione quam etiam a clericatu, tametſi Sedis Apoſt. ampliſſimo munere eccleſiaſticis exutus eſſet cenſuris atque nodis* (facile de clericorum majorum deſertione agitur) *non tamen per hoc ceſſat, quin apud homines ejus conditio non ſit ita gravata, ut quanto quis ſit probior, tanto magis illum ludibrio habeat: Statuimus* &c. Statuitur autem ut nemo talis in Canonicum recipiatur; omneſque tactis Evangeliis Sacramento ſe adigunt, ne quem talem, ne poenis quidem compulſi, unquam recipiant, idque ſub poena amiſſionis vocis activae & paſſivae, privationis fructuum etc. Sane quidem tanta hujus Statuti ſeveritas dat intelligere, illo infelici tempore nec apoſtatas iſtos fuiſſe raros, & coactos interdum canonicos, ut eorum aliquem (cenſuris, uti par eſt, antea ſolutum) recipercnt in Capitulum. Illud magis miror, hoc totum in Statutis anno 1662. reformatis, ac poſtremo in ultimis anno 1699. in Cantelmiano Conc. Provinciali confirmatis fuiſſe retentum.

Digitized by Google

fuisse) iis minime reluctabor.

At equidem Hebdomadarios nostros esse eo nomine capiendos prorsus puto, ac simul in eorum gratiam, illud quod videbatur insolitum *Capellanorum* vocabulum, quo in Pauli III. charta ii donantur (vide p. 180. num.V.) non inusitatum eo tempore fuisse ostendo, his potissimum de causis.

I.Inter haec Statuta jam anno 1534.perfecta, & chartam Pauli III. Papae anno 1536. signatam, quam pag. 180. num. V. protuli, biennium interfuit. In hac porro expositio sic incipit: *Conquesti sunt nobis Hebdomadarii, seu Congregatio Cappellanorum Ecclesiae Neapolitanae, quod Abbatissa* etc. Nemo igitur mihi succenseat, si in Statutis Capituli biennio ante factis *Capellani* vocentur ii,qui usitatiore nomine alias *Hebdomadarii* nuncupati reperiuntur. Quocirca ea nunc retracto, quae eâd. pag. 180. post Pontificis verba notaveram. *Si quaeris*, ajebam, *cur eos sic Pontifex appellaverit; prompta est responsio, quod ipsi Hebdomadarii sic se priores in libello supplici nuncupaverint*. Hactenus non male. Verum addere debuissem: *Et quod sic passim ab aliis etiam tunc temporis appellarentur*. Verum nondum Statutum istud tunc legeram. Et hactenus quidem dicta hoc tantum efficiunt, Capellanorum nomine posse Hebdomadarios venire. Nunc non alios quam eosdem in hoc statuto capi debere, porro suadeamus.

II. Etenim si tituli I.qui *De Religione & cultu Divino* inscribitur συνεχεια [*textura*] simul tota spectetur, dubium nullum erit, quin ejus tituli Statutum I. de divinis officiis in choro persolvendis,non vero de Missis agat, proinde *Capellani* non alii intelligi debeant, quam qui Hebdomadarii usitatiore vocabulo dicebantur.Longissima enim illa de psalmodia divina praefatio[quae duo implet folia] his verbis concluditur: *Quia igitur totis viribus, tota mente & voce & opere psallendum est Deo; IDEO praedicti Rev Canonici primo circa religionem divini cultus divinorumque officiorum celebrationem devote statuerunt*. Post quae verba statim sequitur Statutum illud primum, quod supra adscripsimus. Quod primum Statutum, cum ultima praefationis periocha per particulam QVOD arte connectitur. *Statuerunt* [mox incipit Stat. 1.] *Quod Cellararii curam habeant circa cultum divinum*. Finge nunc *Capellanos* qui Statuto I. memorantur, non alios esse quam illos, a quibus Missae planae in Capellis celebrantur: ecqua rogo cohaesio in hoc verborum contextu erit? *Quia*, inquit, animitus *Deo psallendum est, IDEO Canonici circa divinorum officiorum celebrationem statuerunt*. Quidnam rogo statuerunt? Nempe, inquient, ut Missae planae a Canonicis & Capellanis *celebrentur eo ordine et decoro, prout cultui convenit divino.* Ridicula ac prorsus ἀσύστατος cohaesio. Imo potius de psalmodia in choro persolvenda Statutum illud primum esse debuit, quod ex illo IDEO aptum & connexum dependet, cum quo etiam per QVOD initiale deligatur, uniusque periodi ambitu continetur.

III. Nunc age statutum ipsum primum propius inspiciamus. Quia [inquit extrema praefatio] psalmodia rite peragenda est, IDEO Canonici statuerunt. Quid? nempe *Quod Cellararii qui pro tempore fuerint* (his autem divinorum officiorum inspectio & procuratio tota incumbembat,quia nondum praefecti choro, non dum Canonici oeconomi ecclesiae instituti fuerant: nec cellararii a choro tunc abesse licebat, quippe divinorum inspectoribus & moderatoribus) *curam attente habeant circa cultum divinum* (cultus autem divini nomine toto hoc titulo non aliud nisi divina chori officia veniunt; vide prae ceteris Statutum IV.) *ut tam intus quam foris ecclesiam S. Restitutae* (ubi nunc ii sunt, qui inter Canonicos interque Hebdomadarios fecere dividias, ut illi sanctae Restitutae septis se dumtaxat continerent, hi vero in tota hodierna Cathedrali spatiarentur atque regnarent? cum hic aperte videamus, non nisi Capituli cellararii totius chori & ipsorum Hebdomadariorum regimen incumbere) *tam intus*, inquit, *quam foris . . tam a DOMINIS CANONICIS quam a CAPELLANIS* (h. e. Hebdomadariis, Paulo III. Papa interprete) *& DIACONIBVS* (h.e. *clericis de Choro*, quorum

Digitized by Google

rum in Vrſinianis & Comito crebra eſt mentio) *Divina celebrentur EO ORDINE* (*Ordo* autem non tam in Miſſis planis, quam in toto curſu divinorum officiorum ſpectatur, praeſertim ut omnes pariter ſtent, ſedeant, genuflectant: nam in Miſſa plana *Ordo* quis poteſt intelligi?) *EO*, inquit, *ordine & decoro* (*Decorum* quoque in curſus eccleſiaſtici majeſtate locum habet) *prout cultui convenit divino*, h.e. divinis officiis publice ab univerſo eccleſiae coetu celebratis.

IV. Cum his vero & cetera tituli hujus Statuta conſentiunt, quae omnia (excepto tantum ſecundo, quo cavetur, ut obligationibus Capellaniarum, quae a Capitulo conferuntur, ſatis fiat) omnia inquam eo pertinent, uti divina officia cum honore debito peragantur.

SECTIO III. *Cur* Capellanorum *nomen Hebdomadariis haeſerit.*

Hoc alii viderint. Mihi jam tum olim (pag. 181. ineunte) meam appellationis hujus ignorationem profeſſo, nunc quidem non plane alia ſuccurrit ratio veriſimilior, quam quod re vera tot illae innumerabiles capellaniae, quae intra Cathedralem eccleſiam a Capitulo conferebantur (quarum exſtat in eadem Hannibaliana Viſitatione praelongus catalogus, ſicuti & in Statibus eccleſiae Neap. quorum ſuperiore Monumento eſt facta mentio) eae ad ſublevandam ſtipendiorum Miſſarum inopiam, qua ſemper Bernardo (7) Archiepiſcopo teſte, Hebdomadarii laborarunt, pleraeque omnes non aliis quam noſtris [8] Hebdomadariis conferri a Capitulo coeperint. Tantumdem credo & ab Archiepiſcopis fuiſſe factitatum. Hinc ortum puto, ut tunc maxime temporis, quo Hebdomadarii capellaniis iſtis capitularibus augebantur, in ejus benefacti memoriam eiſdem Hebdomadariis nomen *Congregationis Capellanorum* (quo nomine in Pauli III. charta utuntur) imponi placuerit. Verum cum id beneficium deminui poſtea coepiſſet (nam jamdiu eſt, quod non plane omnes ad hos unos deferuntur, propterea quod proceſſu temporis auctiores hiſce ſtipendiis hi Noſtri evaſiſſent) hinc nomen illud *Capellanorum* haud plane perpetuum fuit, ſed paullatim poſtea exolevit.

SECTIO IV. *In eadem antiquiora Statuta pauculae admodum animadverſiones.*

Titulus I. qui *de Relig. & cultu divino* inſcribitur, Humberti conſtitutionem, quam Par. II. expoſuimus, imitatur: ſicuti & ſequens tit. [cujus index eſt *De ordine exſequiarum*] paſſim ex Vrſini exſequiali Conſtitutione, & ex Ritibus haurit. Porro hujus alterius tituli Statutum I. ſic incipit: *Quia juxta Eutitianum ſtatutum non licet Dei ſervos ſine habitu convenienti ſepelire*; idcirco jubetur Canonicus mortuus ſacris veſtibus ordini convenientibus ornari, circumpoſitis libris ſuae profeſſionis. Hic vero quid ſit inſolens iſtud *Eutitianum ſtatutum* [quod non tantum in autographo anni 1534. ſed & in editione anni 1662. perinde legitur: abeſt vero ab edit. anni 1712.] ab aliis libenter didicero. Interim de ea re quid cenſeam, inferne [9] aperio.

(7) Vide ſup. Parte II. ubi Bernardus Archiepiſcopus ſuo diplomate ſic anno 1378. alloquebatur Hebdomadarios: *Pro veſtra parte fuit expoſitum . . . quod propter tenuitatem fructuum . . . non poteſtis Matutinos, Miſſas & Horas & alia divina celebrare officia; quodq. propter neceſſitatem . . . in diverſis aliis eccleſiis civit. Neap. vos pro ſtipendiis licet modicis Miſſas celebrare oportet, propter quod eccleſia Neap. ſaepius ſolitis & ſollemnibus defraudatur obſequiis; Nobiſq. ſupplicari feciſtis &c.*

(8) In Capituli certe tabulario plurimae Cappellaniae, uti vocant, Hebdomadariis delatae a ſaeculo uſque XV. ac deinceps reperiuntur: quarum & bullae exſtant.

(9) *Quid ſit EVTITIANVM STATVTVM.* Mihi ſane videtur *Eutychius* Papa animo Antonii Laurei haec ſcribentis fuiſſe obverſatus (nam pro more ejus ſaeculi litterae C & T permutabantur) itaq. *Eutitianum ſtatutum* (pro *Euticianum*, hoc vero pro *Eutychianum*) ſcriptum reperiſſe, ac peraeque ipſe ſcripſiſſe. Exſtant in Concilior. collectionib. *Eutychii*, aliter *Eutychiani* Papae (qui ab anno 275. ſedit) *Decreta* ſuppoſititia, eaq. de rebu hujus generi s tenuiſſimis: in quibus (leviter quamvis & carptim a me percurſis) deeſſe videtur hic locus. His in Biniana Concilior. editione adduntur ea, quae a Gratiano & Ivone eidem Pontifici tribuuntur: verum ne in his quidem reperi quidquam, quod huc referri

Ejusd. tituli Statuto V. (tam in autographo, quam in edit. ann. 1662.) praemissa Sanctuarii Vet. foederis descriptione, in quo Sanctum Sanctorum medio velo ab antica Sacrae Domus parte secernebatur, sic subjicitur: *A quo . . nostra materialis ecclesia formam sumpsit: in cujus parte anteriori populus audit & orat, in parte vero interiori Clerus orat, praedicat & ministrat. Vnde dum a Canonicis intus ecclesiam S. Restitutae Divina celebrantur, IANVA CHORI stet clausa durante officio.* Nec secus in editione anni 1662. legitur: at illud de *Chori janua* occludenda ab editione anni 1712. abest. Hoc vero totum cum vetere cathedralium forma congruit. Chorus in media navi, sed propius Sanctuario quam Basilicae valvis, erat. Sic Capuae usq. ad Card. Bellarmini pontificatum erat: sic in hodierna Neap. cathedrali ante hos decem annos: sic hodie dum Salerni chorus positus est. Porro idem chorus ab omni parte [praeterquam versus sanctuarium] muro, cui adhaerebant subsellia, septus erat. Verum in medio muri ejus, qui chorum ab reliqua navi dividebat, porta quaedam januas Basilicae spectans patebat, quae, prout usus, referari occludive poterat. Ergo S. Restitutae [h.e. veteris Cathedralis] usque ad annum 1534. [quo haec Statuta fuere condita] eadem quae ceterarum cathedralium structura fuit. De Ambonibus Parte I. vidimus.

Tituli 3. [qui inscribitur *de modo possessionis novi canonici*] statuto I. & II. nulli possessio dari permittitur, nisi prius examinatus a capitulo fuerit, ac repertus idoneus: quod non secus in edit. an. 1662. & 1712. legitur. Illud quoque in Statuto 2. singulare est, quod ante novi canonici receptionem quatuor illi capitulares conventus, qui nunc quoque praemittuntur, *Anniversaria* nuncupantur. Itaque primo *Anniversario* bullae novi canonici exhibentur, earumque examen committitur: altero *Anniversario* committitur examen ipsius novi canonici. Mitto cetera. Nec secus in edit. anni 1662.: at in editione anni 1612. pro *Anniversariorum* vocabulo subrogata vox *Capituli* fuit. Cur porro conventus ii [qui *Capitula* nunc appellantur] hic *Anniversaria* dicantur, non alia mihi vera videtur causa ab ea, quam exponam. Ex omnibus conventibus capitularibus is erat celeberrimus, qui ad creandos Cellararios aliosque Officiales cogebatur postridie *Anniversarii* omnium Fid. defunctor. Is conventus tam celebris habebatur, ut ei sollemnis Missa de Spiritu Sancto olim praemitteretur, & nunc quoque praemittatur: de quo in tit. *de elect. Cellararior.* sic loquitur Statutum I. *Primo scil. die ANNIVERSARII post commemorationem & officium mortuor.* [h. e. postridie ejus diei, quo fit *Anniversarium* mortuor.] *in mense Novemb. . . . antequam Canonici intrent Capitulum* [h. e. aulam capitularem] *cellararios creaturi . . . celebretur Missa Spiritus sancti* &c. Ergo is conventus omnium celebratissimus erat: quem quia post anniversariam defunctorum commemorationem [quae passim una vocula *Anniversarium* per excellentiam nuncupabatur] statim cogi necesse erat; ab eo mos inolevit, ut is conventus *Anniversarium* vocari coeperit; ac mox eadem abusio vocabuli ad ceteros Capituli conventus, maxime insigniores, traducta fuerit. Porro eadem *Anniversarii* vox haud secius in edit. anni 1662. reperitur: at in edit. anni 1672. non item.

Ex Tituli, qui inscribitur *De modo votandi in Capitulo*, Statuto 2. colligitur, tunc moris fuisse, ut quas nunc vocant Conclusiones capitulares perpetuo valituras, olim vero *Statuta*, de iis arcessito notario publicum instrumentum conficeretur. Itaque in hoc

ferri possit. Nec tamen de sententia decedo; nec facile alium quam Eutychium a Laureo citatum arbitror. Erat hic Laureis insignis *Decretorum doctor*: cui nimirum praeter Gratiani Decretum, cetera quoque innumera ejusdem furfuris collectanea (quae usitato tunc vocabulo *Decreta* nuncupabantur) nocturna versare manu, versare diurna in deliciis erat. Atq. in aliquo certe hujusmodi collectaneo illud *Eutitianum* sive potius Eutychianum Statutum ab eo repertum fuit. Postremo de T passim usurpato pro C his temporibus, idq. maxime in propriis nominibus, possem millena exempla proferre, si esset opus.

Digitized by Google

hoc Stat. 2. sic legitur: *Et de eo* [statuto] *a notario Joan. Ant. de Angrisanis instrumentum publicum confectum anno* 1526. &c. quod hoc Statutorum capitularium digesto iterum firmari dicitur.

MONVMENTVM VI.

Excerpta ex Capitulari conventu per Alphonsum Card. Carafam in fine Synodi suae coacto.

I. Ad calcem Synodi dioecesanae Alphonsi Card. Carafae anno 1565. celebratae [quam peregregiam synodum raro nunc esse obviam doleo] extant Acta illa celeberrima conventûs capitularis Alphonso praesidente coacti: quo conventu plura ad Concilii Tridentini recens absoluti normam in Capitulo Neapolitano ordinata fuerunt; illudque in primis cautum, ut omnes Canonici sacros ordines suo gradui congruos adipiscerentur. Itaque post maturam discussionem statutum fuit, uti canonici XX. ex parte Primicerii ad presbyteratum promoverentur, ex aliis vero viginti [namtum Canonici numero XL. erant] ex parte Primi Diaconi, deni cogerentur ad Diaconatus ordinem, item deni ad Subdiaconatum ascendere. Ita quidem ad ultimum nemine discrepante constitutum fuit. At initio cum sententiae a singulis canonicis dicerentur, notabilis illa Eustorgii de Bellante fuit exsequendae in nostro Capitulo Tridentinae legis dissuasio: qui post plura sic censuit: *Istud nostrum Capitulum est satis ab omnibus Capitulis diversum: & non est* (aliud) *Capitulum uti nostrum. Unde sacrum Tridentinum Concilium non poterit intelligi de nostro. CANONICI enim NOSTRI NON TENENTVR Ecclesiae SERVITIO* [quotidiano scilicet: nam ceteroqui millies hoc alibi fassi sunt, & infra fatentur, teneri se certis celebritatibus convenire in Cathedralis chorum] .... *Vt quid Canonicatibus sacri Ordines sunt annectendi? ... Canonicatus nostri nunquam tale onus* [sacrorum Ordinum] *sustinuerunt ... Vnde sum voti, non esse eisd. Canonicatibus sacros ordines annectendos. Ipse autem* [ne cui forte videar meam agere causam] *jamdiu in presbyteratus ordine constitutus exsisto.* Secundum quam sententiam ex parte & alii etiam non nulli censuerunt. Verum, ut initio dixi, sacrorum ordinum adnexio ad ultimum plenis omnium suffragiis admissa fuit.

II. Sub haec [pag. 210. & seq.] Tridentini Conc. caput XII. de Reform. Sess. XXIV. jussu Alphonsi perlegi ab Julio Sanctorio (1) viro doctissimo, Alphonsi Locumtenente coepit, ad singulas interim periochas subsistente Alphonso, atque hortante Canonicos. Porro ubi ventum ad ea verba Concilii fuit, *Praeterea obtinentibus .. dignitates, canonicatus*, &c. *non liceat .. ultra tres menses .. quolibet anno abesse: salvis .. ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*; Jul. Sanctorius dixit: *In hoc nihil innovandum est; sunt enim STATVTA hujus CAPITVLI, quae longius servitii tempus requirunt. Respondit Primus diaconus, Habemus STATVTA nostra quae id mandant.* Haec porro sunt illa ipsa Statuta antiquiora, ad quae proxime [vide superius Monum.] commentabar. Nam eo spectat titulus, qui inscribitur *De licentia canonicis danda vel non danda*: quo negatur canonicis ultra dies quindecim vacatio servitii, quae a cellarario indulgebatur. His vero diebus quindecim addere praeterea licebit statas ferias, per quas non uni tantum alte-

(1) Julius iste Sanctorius a Mich. Monacho in Sanctuario Capuano p. 207. nomenclatione plena vocatur *Julius Antonius Sanctorius*. Fuit quidem domo Casertanus eodem teste; qui tamen subjicit: *Capuanae ecclesiae filius & clericus, Sanctae Severinae Archiep. an.* 1566. (h. e. eo anno, qui hanc Synodi celebrationem est subsecutus) *deinde S. R. E. presb. Cardinalis a Pio V. creatus anno* 1570. *Obiit anno* 1602. Claruere mox tres alii Sanctorii. Franciscus Ant. frater Cardinalis, prius renuntiante Cardinali Archiepiscopus S. Severinae, tandem Materae factus. Paulus Aemilius Julii Cardinalis ex fratre nepos, vir doctissimus, & operibus editis clarus, Archiepiscopus Cosentinus, tandem Urbinas. Julius Antonius ex fratris sui Pauli Aemilii renuntiatione Archiep. Cosentinus. Haec ferme Monachus ibidem. Exstat adhuc in agro Casertano quaedam *Villa Sanctoria*, sane permodica: in qua platanum annosissimam, jam jamq. interituram, ante hosce XL. annos vidi, in praedioli vero conclavibus horum omnium clarorum Antistitum imagines satis vetustas parietibus affixas.

Digitized by Google

alterive canonico per dies XV. sed in commune omnibus abesse licitum erat. Exstat de his in Statutis titulus *De feriis*. Hi porro erant feriati dies: I. Vindemiales feriae a XIX. Sept. ad XX. Octobris: II. post Missam Nativit. Domini usque ad VII. Januarii, seu ad priores vesperas S. M. de Principio: III. ab ultimo die Jovis carnisprivii [hodie *Giovedì morzillo*] ad Quadragesimam: IV. per octavas Paschatis. Quod omne tempus multo est trimestri angustius. Porro in hisce Feriis recensendis non temere Statuta a mense Septembri ordiuntur. Nimirum enim Neapoli more CPolitano Indictio [ac proinde anni exordium] a Kalendis Sept. non Januariis incipiebat.

III. Secundum haec processum ad ea Tridentini verba fuit: *Omnes vero divina per se & non per substitutos compellantur obire officia*. Ad quae verba Canonicis, hoc a se praestari testantibus, *Respondit Sanctorius: Praestatis, sed non prorsus . . . Cum enim capitulares Missae vel anniversaria a vobis celebrantur . . Sacrista vester* (S. Restitutae) *ad nutum amovibilis, & qui de capitulo non est, Missas cantat, vel* [Officium] *celebrat, vobis respondentibus & illi in Officio aut cantu ministrantibus. Nonne dignior celebrantis locus est, quam ministrantium in divinis? Cur non potius Canonicus cantet* (2) *vel celebret?* &c. . . *Primus Diaconus dixit: Consuetudo antiqua est apud nos, ut Sacrista noster officium sacrum peragat*. Antiquam consuetudinem falso obtendisse primum Diaconum Capituli (3) Statuta ostendunt: quocirca recte refutatus a Sanctorio Primus Diaconus fuit. Nam in Actis sic sequitur: *Sanctorius respondit: Abusio est, digna quae per vos VIROS NOBILES & PRVDENTISSIMOS corrigatur*. Tamen monitione tenus tunc quidem processum fuit; nec nisi biennio post ea corruptela per Constitutionem S. Pii eradicata fuit, ut in Monum. seq. observabimus.

IV. Jam vero lectione continuata, ubi perventum fuisset ad ea verba, *Et episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere & inservire*; ad eum locum, ut in Actis legitur, *Dominus Cardinalis vehementer admonuit Dominos Canonicos, ut omnino sibi celebranti vel in ecclesia praesenti assisterent: se quandoque Canonicorum comitatu caruisse, & [vix] a nonnullis a palatio in Ecclesiam deductum, ab eis dein recedentibus relictum, conquerens . . chorum vacuum saepe conspici, & ornatissimo Canonicorum coetu destitutum saepius videri. Non enim decet Praelatum in Ecclesia sine Capitulo manere: unde de cetero decernerent, se non defuturos: alias se juris remediis opportunis in eos, qui haec ipsa contemnerent, processurum, testatus est. Possem, inquit, & de QVOTIDIANO ecclesiae SERVITIO per vos gerendo etiam agere: sed MISSVM MODO HOC FACIO: restat tantum ut mihi in Ecclesia praesenti vel celebranti assistere non negligatis*. Deinde sequitur, Canonicos omnes sancte fuisse pollicitos, sese officio suo non defuturos. Porro de quotidiano servitio, quod tunc Alphonsus non temere *missum fecit*, ejus successor Marius tamdiu S. Pio intitit, ut Pontifex biennio post ad id Canonicos adstrinxerit: de quo ad Monum. seq.

V. Dixi non temere Alphonsum id tunc *missum fecisse*. Quas porro ejus tolerantiae causas Praesul optimus habuerit, declarat numquam satis laudatus Alphonsi vicarius Julius Sanctorius qui statim lectis sequentibus Tridentini verbis illis, *Atque in choro ad psallendum instituto hymnis atque canticis Dei*

(2) Ex liturgica dialecto hic loquitur Sanctorius: secundum quam *Cantare* absolute positum de Missa sollemni usurpatur, *Celebrare* vero de Officio sollemni. Sic paullo superius idem Julius dixerat, *Missas cantat, vel* (supple officium) *celebrat*. Ac mox: *Vobis . . illi* (Sacristae) *in Officio aut Cantu* (i. e. Missa cantata) *ministrantibus*.

(3) In tituli *De Relig. & cultu divino* Statuto VI. post nonnullas cantus Ecclesiastici laudes sic sancitur: *Ideoq. Missae a Canonicis decantandae* (ex quo vides agnovisse tunc omnes, Missas decantandi debitum penes Canonicos fuisse) *sive fuerint festivae, sive pro Defunctis, juxta morem decantentur, nec legantur sine cantu, quolibet eveniente casu*. Nam credibile est, ante hoc statutum incidisse casus, in quibus canonici sibi hoc permitterent, ut Missas tantummodo legerent, pro eo ac decantarent.

Digitized by Google

Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare; statim sic Canonicos est adhortatus: *Quamvis ergo vos ID PRAESTARE EX CONSVETVDINE non consueveritis, QVOD HEBDOMADARIIS ID INCVMBAT* [ad quos post novae Cathedralis erectionem quotidiana chori servitus, uti Parte II. diximus, transmissa fuerat, non sine fructuum assignatione a Capitulo facta] *sed TANTVM ASSISTERE CERTIS DIEBVS, aut PRAESENTE PRAELATO TENEAMINI, ut asseritis; rogo vos et hortor, ut memineritis, ECCLESIAM VESTRAM HANC ESSE* [de Cathedrali vero hodierna loquitur, quam, praesente & non refragante Archiepiscopo, Sanctorius Vicarius, non minus Capituli quam Archiepiscopi esse fatetur: non enim de S. Restituta haec dicuntur] *& ab illius honoribus vestrum quosdam Canonicos CARDINALES appellari vetusta (ut legi) nuncupatione. Cardines autem illius esse debetis, & illam vestris humeris & exemplis sustinere, ne sublatis cardinibus, postes corruant & superliminaria collabantur. Dominicis atque festis diebus in hac Ecclesia* [cathedrali] *vix unus aut duo canonici vel Cellararii comparent.* Cellararios nominatim memorat; quia tunc temporis [nim. ex Statuto I. tit. *de relig. & cultu div.* quod superiore Monum. explicavimus] chori disciplinae moderatio cellvariis incumbebat, cum nondum chori praefecti instituti fuissent. At nunc post invectos chori praefectos ea tota procuratio ad hos a Cellarariis transfusa fuit: imo cellarario marsupii vacatio chori perpetua indulgetur. Pergit Sanctorius: *Nonne honestum ac aequum esset, ut . . . in choro, quandoque saltem, etiam sine cappis* [*de isto sine cappis* Par. II. ad Humberti Constitutionem nonnulla observavimus] *praesideant, ornentque locos, & laicos suo exemplo ad hujus Ecclesiae Metrop. . . . cultum invitent? . . . Adestote quandoque divinis, etiamsi non EX NECESSITATE* [exceptis majorib. celebritatibus, quibus adigi se ad chori servitutem non diffitebantur] *TENEAMINI.*

VI. Postremo in Actis dixisse idem Julius vir summus legitur: *Monendus tamen est ab Illustrissimo Domino* [Cardinale] *Dominus Cimeliarcha, qui HEBDOMADARIIS assiduum ecclesiae ministerium gerentibus PRAEEST, ut INVIGILET & SVPERINTENDAT, ne illi, quibus divinorum officiorum QVOTIDIANA CVRA INCVMBIT, otio torpescant aut absint, aut colloquia & confabulationes intermisceant, aut parum honeste, vel horis minime competentibus divina celebrent. Rev. D. Horatius Buzzutus Cimeliarcha respondit: Scitis me fere numquam officio meo deesse, sed frequentare chorum. Dominus Cardinalis dixit: Attende, & in posterum id diligentius cures. His sermonibus habitis conclusum & absolutum est Capitulum.*

Haec notabiliora ex decantatissimo Alphonsi Capitulo decerpsisse non poenituit, ut quo loco usque ad S. Pium V. res Capituli & chori fuerint, ex parte saltem intelligatur. Nam biennio post sub Mario Carrafa Archiep. tandem a S. Pio V. nova, quae nunc ex parte viget, disciplina inducta fuit: de cujus Pontificis Constitutione jam pauca delibabimus.

MONVMENTVM VII.

DISCVSSIO in S. Pii V. Constitutionem quae incipit, Suscepta servitutis officium: *cujus loca quaedam ex temporis illius historia dilucidantur.*

SECTIO I. *Ea constitutione non corporum duorum (Capituli scil. Neap. & Hebdomadariorum) coalitionem contineri, sed Canonicis artiorem, quam antea, Chori servitutem imponi.*

Ea decantatissima constitutio, ex S. Pontificis *motu proprio*, uti loquuntur, anno 1567. signata (in Canonicorum Visitatione Hannibalis de Capua & in ejusdem Capituli Constitutionibus obvia) perverse admodum a Rom. causidicis in celebri inter Hebdomadarios nostros atq. Canonicos S. Joannis Majoris exsequiali disceptatione Romae ante hos annos ferme XX agitata, sic laudabatur, tamquam si adnexionem duorum corporum (nim. Canonicorum & Hebdomadarior.) in servitio Cathedralis

eccle-

Digitized by Google

ecclesiae complecteretur. Itaq. ab eo tempore sic solet a plerisq. ea Bulla citari, tamquam si de adnexione dicta agat. Cui vulgari appellationi me quoque, uti fit, obsecundasse comperio pag. 196. Adnot. 93. ubi *Bullam unionis* vocavi, quod nim. sic ab aliquot annis ea nuncupari soleat. Sed prave admodum. Nec enim antea tempus ullum fuerat, quo nostri Canonici Cathedrali hodiernae statis diebus non deservierint, & quidem junctim cum suo inferiore Hebdomadariorum clero cui praesunt: idq. passim ex Bulla ipsa intelligitur, in qua Pontifex Canonicorum infrequentiam, non autem omnimodam absentiam a Choro cathedralis accusat: fassus interea, eos ibidem convenisse diebus sollemnibus, & quoties Archiepiscopus sacris adesset: dum interim Hebdomadarii per alternas hebdomadas quotidiana chori servitute adstringerentur. Itaq. Pius post illud tempus praeter Hebdomadarios, etiam Canonicos quotidie alternatim adesse Choro jussit.

Facessant igitur illae causidicorum tricae ac subtilitates mirificae, dum contendunt, in ea, quam factam tunc somniant binorum corporum adnexionem, ea corpora *aeque principaliter unita* fuisse. Imo potius nec tunc primum ea duo corpora coaluerunt, sed ab ipsa Hebdomadariorum erectione coiverant: nec aliter coagmentata reperiebantur, quam sicuti inferior clerus, deservire superiori natus, cum eodem superiore jungitur. Agnoscit hoc innatum Hebdomadariorum obsequium Canonicis exhibendum idem Pontifex, dum ita (quamvis obiter; non enim id tum agebat) eisdem praecipit: *Nec non ut Hebdomadarii ..... eisdem Canonicis in omnibus, in quibus in choro debent, OBSEQVENTES ESSE & DEFERRE* (porro *Obsequi et deferre* verba servitutis esse, vel pueri sciunt) ... *teneantur, prout OBLIGATI exsistunt, et HACTENVS CONSVEVERVNT*. Quod nunc os adversariorum esse oportet, qui hac ipsa Constitutione *unionem* nescio quam *aeque principalem* factam praedicant?

Porro quod tunc onus Pontifex Pius Canonicis satis grave (nempe ut alternis choro interessent) urgente Mario Carafa Archiepiscopo imposuit, id post septennem ejusd. Praesulis cum Canonicis altercationem tandem [Antonio Card. Carafa Marii patruo opitulante Canonicis] Gregorius XIII. anno 1574. dupło mitius reddit: quo quaternis hebdomadis in orbem redeuntibus deservire Canonici jussi fuerunt. Exstant de ea moderatione Antonii Cardinalis ad Marium litterae in Hannibaliana Visitatione S. Restitutae num. 420. ad quarum calcem ex oraculo Pontificis haec formula proponitur: *In Adventu per totum mens. Dec. deserviatur per tertiam partem Canonicorum. In Quadragesima per totum Sabbatum in Albis per mediam partem. In reliquis diebus totius anni per quartam partem*. Pone sequitur index festorum, quibus omnes Canonici adesse debent. Ac tandem sic scribitur *SS. D. N. mandavit per Canonicos ... Neap. observari praedictum servitium. Dat. Rom. die 1. Decemb. MDLXXIIII. Ita atteſtor ego A. Cardinalis Carrafa*.

SECTIO II. *Quaedam alia notabiliora Constitutionis ejus observantur.*

I. Ad Pii Constitutionem redeo: in qua sunt quaedam adnotatu digna. Ac primum prope ab initio Hebdomadarios nostros hac Pius descriptione designat: *Perpetuos beneficiatos ejusdem ecclesiae, Hebdomadarios nuncupatos*. Qua in definitione vox *Beneficiatorum* locum generis obtinet. Est enim nomen commune omnibus cathedralium inferioribus cleris: quorum quamvis aliae alibi nomenclationes circumferantur (puta *Assisii, Mansionarii, Vicarii, Cappellani, Hebdomadarii* etc.) omnes tamen communi *Beneficiatorum* sive *Beneficiariorum* voce censeri solent. Verum cur Beneficiatos istos *Perpetuos* dicit? Quia antehac iidem isti temporarii fuerant; & tunc quoque horum ipsorum sodales Presbyteri octodecim nondum *perpetui*, sed adhuc mobiles erant. Nam [ut Parte II. cap. 3. pluribus disputatum fuit] post novae hujus Cathedralis encaenia, ut hujus servitio provideretur, sub Humberto presbyteri XL. constituti fuerant, divinis officiis vacaturi, qui tamen mobili deputatione ecclesiae mancipabantur.

Digitized by Google

bantur. At postea Joan. Vrsinus ex eo numero duos & viginti exemit, quos *perpetuos beneficiatos* fecit, quippe quos institutione immobili firmavit, novo *Hebdomadariorum* nomine donatos: dum interim residui illi octodecim eorum socij usque ad Oct. Aquavivae tempora mobili tantum deputatione servituti ecclesiae admovebantur. Ergo illud *Perpetuos beneficiatos* additum a Pio fuit, quo & ad pristinam ipsorum conditionem, & ad durantem adhuc octodecim sodalium suorum mobilitatem alluderetur.

II. Deinde & illud notandum, quod ante medium sancitur, ut Canonici, *Divina officia, ad quae tenentur, peragant, nec illa* [divina officia] *vel Missas Capitulares seu Canonicales ... per alios, qui de Capitulo non sint, sed per se ipsos celebrare teneantur & debeant*. Hoc totum quo pertineat, facile ex adnotatis ad Monumentum superius num. III. potest intelligi. Nimirum eo torporis Canonici processerant, ut Missas a Canonicis intra S. Restitutam decantandas & officia ibidem ab eisdem celebranda, ea inquam per sacristam S. Restitutae decantari & celebrari sinerent, ipsi tantum interessent, ac celebranti responderent. Eam negligentiam graviter at modeste in celebri conventu Alphonsino Jul. Sanctorius increpavit: ceterum monitione tenus procedens, vexandis canonicis supersedit. At instigante Alphonsi successore Mario, corruptelam S. Pius recitatis verbis amputavit.

III. Postremo & illud est considerandum, quo potissimum spectet illud, quod ead. Constitutione post medium sic sancitur: *Atque ut dum divinis officiis seu Choro* (Canonici) *intersunt, psallant*. Ea sane praeceptio perquam necessaria Pontifici visa fuit. Id enim tunc haesisse Canonicorum mentibus videbatur, sese ad nihil prorsus aliud teneri, quam ad nudam praesentiam choro praestandam. Et hanc quidem Canonicorum opinionem Jul. Sanctorius in Alphonsino canonicorum conventu fovisse potius, quam retudisse videbatur. Vide ad Monum. superius num. IV. Nam ibi cum ad ea Tridentini verba, *Atque in choro ad psallendum instituto hymnis atque canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare* etc. ventum fuisset; sua Sanctorius monita sic temperavit, ut mera tantum praesentia se contentum fateretur. In ea enim cohortatione tota satis habet si chorum frequentent. *PRAESIDEANT*, inquit, *ORNENTQ. LOCOS, & laicos suo exemplo ad hujus ecclesiae Metrop. cultum invitent*. Mox: *ADESTOTE*, inquit, *quandoque divinis, etiamsi ex necessitate non teneamini*. Verum mollitudinem istam Pontifex minime passus, eos ad psallendum diserte adegit.

Porro cum haec tam clara tamque exerta sint Pii oracula, cumque Pontifex nulla circuitione usus, illud PSALLANT apertissime edixerit; non possum non mirari maxime, quid causae fuerit, cur Neapolitanis Canonicis (quos sicuti summopere veneror, sic sicubi se reprehensione dignos praebuerint, non possum non modeste accusare) cur inquam etiam post tam disertam Pontificis sanctionem ea olim Nostris mens, ea sententia fuerit, sese ad praesentiam tantum, non item ad psallendum teneri. Ac memini ante hos viginti annos adhuc nonnullis Canonicorum id insedisse, quamvis ceteroqui psalmodiae officio liberalius ceteris pro sua pietate indulgerent. Verum gratulor aetati nostrae, quod tandem eam perversissimam πατροπαράδοτον opinionem ex omnium animis deletam ac prorsus evulsam comperiamus.

Pergit autem post recitata verba Pontifex Pius: *Psallant*, inquit, *& CANTVM devote PROSEQVANTVR*. Quibus verbis quaenam ratio cantus a Canonicis nostris exigatur, edicit. Duplex enim canendi genus est: unum quod *Canere de libro*, sive *Cum nota* in libris liturgicis dicitur (ad quod genus refertur cantus Antiphonarum, Responsoriorum, Hymnorum qui raro canuntur, & eorum quae in Missis cantari solent) alterum est mera *cantus prosecutio* [uti Pius scitissime appellat] quae in psalmodia locum obtinet. Priore Hebdomadarii nostri tantummodo, ex quibus schola cantorum coalescit, obligantur: at posteriore etiam Canonici. Ceteroqui plurima sunt, passim Capitula, in quibus Canonici canere de libro sive cum nota tenentur.

Digitized by Google

ALIA MONVMENTA QVINQVE

Quibus in Addendis ac Refingendis *locus esse debuerat : quaeque ibi omissa, hic opportune supplentur.*

MONVMENTVM VIII.

Ex Decii Card. Carafae edicto de festis per totam dioecesim Neap. celebrandis excerptum.

Ad pag. 87. sect. VII.

Exstat libellus sane rarissimus Neapoli an. 1619. editus, qui sic inscribitur: *Catalogus Sanctorum aliquot jussu . . . Decii Card. Carafae . . . ab omnibus . . Neapoli & per totam dioecesim in posterum celebrandorum.* Quem libellum alicubi Deo juvante in Sanctor. Neap. decus recudendum curabimus. In eo post Decii edictum, agmen agit festum Dedic. S. M. de Principio in haec verba.

8. *Januarii. Dedicatio ecclesiae sanctae Mariae de Principio. Duplex. Omnia de communi Dedic. ecclesiae. Missa de communi cum Credo, & fit commemoratio octavae Epiphaniae.*

Porro idem Decius singulis Sanctorum Neap. festis adnotationes quasdam minime inscitas subjiciendas curavit. *Breves*, inquit, *notationes . . jussimus attexendas.* Quare huic festo ita subnotatum reperio.

Ritus aliarum Christiani orbis ecclesiarum, & ratio ipsa exigit, ut dies Dedicationis PRIMAEVAE CATHEDRALIS AEDIS (vides ut ante hos CXXX. annos Decius Archiepiscopus hodiernam sanctam Restitutam habuerit pro Cathedrali primaeva, receptae suo tempore opinionis testis luculentissimus) *IN OMNIBVS TOTIVS DIOECESIS ECCLESIIS quotannis duplici officio celebretur. Quod Neapoli olim factum, testantur multarum ecclesiarum Kalendaria, ut S. Potiti, S. Patriciae* etc. Hoc ultimum nesciebamus (utpote tacente Chioccarello, Caracciolo & aliis) nisi id opportune Decius adnotari jussisset.

MONVMENTVM IX.

De ead. antiquiore Cathedrali Neapolitana Summontii testimonium.

Jo. Ant. Summontius Historiae Neap. haudquaquam spernendus auctor lib. III. ubi pluribus ostendisset hodiernam novam Cathedralem non a Carolo I. sed ejus nominis altero erectam fuisse, sic demum (pag. 345. edit. an. 1675.) totam de ea re narrationem concludit: *Edificato dunque il nuovo Arcivescovato, come si è detto, la Chiesa* (Cattedrale) *vecchia rimase con l' antico titolo di Santa Restituta, sotto il reggimento de' suoi Canonici.* Nisi quod ea verba, *Sotto l' antico di S. Restituta*, sic refingi & exigi ad veritatis obrussam debuissent: *Sotto il titolo di Santa Restituta, communicatole dalle reliquie della Santa, che dalla adjacente di lei Chiesa ruinosa furonvi apportate.* Sed aevo Summontii antiquioris aedis S. Restitutae memoria exoleverat.

MONVMENTVM X.

Quod Hebdomadarii sacerdotes ab Athanasio institui non alii a Capituli Neap. Canonicis fuerint locus Ant. Caraccioli.

Ad Par. II. pag. 122.

Ant. Caracciolus in *Sac. Eccl. Neap. Monum.* cap. XV. sect. 4. pag. 155. post medium scripsit. *Proinde cum apud dictum Joan. diac. legis in vita S. Athanasii. . .* Ordinavit etiam ut in ecclesia Salvatoris omni die Missa publice cum diptychis celebretur etc. . . *scias de ipsa eadem cum loqui, quam supra vocaverat Stephaniam . . . proinde non aliud sibi hic velle, nisi significare, B. Episcopum Athanasium statuisse, ut in Altari Salvatoris* (*quod erat, ut puto, ara Episcopii primaria*) *quotidie Missa sollemniter celebraretur. Inde quoque est, quod Canonici Episcopii CANONICI SALVATORIS in aliquibus antiquis scripturis appellantur.* Quibus verbis aperte praefert Caracciolus, se hodiernos Canonicos pro illis Athanasianis Hebdomadariis certo certius habuisse; nam nisi sic putasset, ex eo quod *Canonici Salvatoris* vocati reperiantur; quo pacto sequeretur, Ecclesiam Salvatoris eamdem ac veterem Cathedralem (h.e. ex Caraccioli sententia S. Restitutam hodiernam) fuisse? Mox statim idem ut appellationis *Canonicorum Salvatoris*, (cujus meminerat) fidem faciat, *Ut videre est*, inquit, *in vetusto quod legi, diplomate Ms. donationis cujusdam praedii CANONICIS, ut*

ibi

ibi dicitur, *SALVATORIS h.e. episcopii factae*. Confer quae supra dixi ad Monum. IV. pag. 295. Adnot. 12. in fine.

MONVMENTVM XI.

Ad pag. 248.

In Appendice Diatriba IV. *de Canonicis Cardinal.* parte. I. cap. 4. unum dumtaxat sepulcralem titulum Diaconos Cardinales memorantem protuli, illum scil. qui Cicco Loffredo post medium saeculi XIV. positus fuit. At in ipsa S. Restitutae basilica exstat & hic alter vergente saec. XV. scalptus: *Dominus Petrus Nicolaus de Marchesiis Neapolitanus Sacerdos*, *ALME ECCLESIAE CANONICVS DIACONVS CARDINALIS hic situs est MCCCCLXXII.*

MONVMENTVM. XII.

Sive de antiquiore S. Restitutae Ecclesia.

CVRAE POSTERIORES:

Quibus ex loco Catalogi Episcoporum Neapolis a Blanchino editi anceps illa antiquioris S. Restitutae aedificatio non ad alium ex Constantinis, quam ad illum Magnum referenda suadetur: quove pacto id cum dictis tota Dissertatione componi possit. Ad Par. I. Cap. II. & alia passim loca.

Jam pridem quidam Episcopor. Neap. catalogus saeculo X. ineunte contextus enotuerat: qui tomo II. Anastasii Blanchiniani in Proleg. pag. LXI. prostat: at eum utpote aridum & ex Joanne diac. (ut vulgo volunt) contractum, consulere supersederam. Itaque casu nuperrime factum est, ut eum inviserem, in Zosimo ac sic reperirem. *XI. Zosimus episc. sed. ann. XIII. SVB QVO SANCTA RESTITVTA A CONSTANTINO IMP. FACTA. Fuit temporibus Eusebii, Miltiadi, Silvestri Pap. & Constantini Imp.*

Porro quam in partem hic locus sit accipiendus, in Dissertatione de SS. Episcopis Neap. quam ad manus habeo propediem edendam, a me copiosius edisseretur. Interim cum hic locus ad hanc maxime Dissertationem de Cathedrali Neap. semper unica pertinuisse videatur; ei a me serius animadverso ultimum saltem inter haec Monumenta locum, utpote notabiliorem ac magis exitantem, assignavi. Neq. hunc vero locum, fessus laboris ac longi itineris, fusiore commentario illustrandum arbitror. Haec tantum pauca, donec Dissertatio illa de SS. Episc. Neap. prodierit, nunc habeto.

I. Ac primum hoc inter Joan. diaconum & hunc Catalogum interest, quod cum ille ambigue de S. Restituta a Constantino M. facta narrasset (*in urbe Neapoli*, inquit in Zosimo, *Basilicam fecit, asserentibus multis quod sancta Restituta fuisset*: quod loquendi genus eodem redit ac illud VT FERTVR vitae Athanasianae de ead. S. Restituta loquentis) cum ergo Joannes animo fluctuasset; hic contra affirmate ait: *Sub quo* [Zosimo] *Sancta Restituta a Constantino Imp. facta.*

II. Nec dubium est quin de illa antiquiore S. Restitutae ecclesia fermo sit, cujus chronicon S. M. de Princ. & vita B. Nicolai eremitae meminit: quam merito vita Athanasii a Stephania, (h. e. hodierna S. Restituta) cui adjacebat, distinxerat.

III. Porro cum S. Restitutae corpus nullo modo a Constantino Magno transvehi Neapolim quiverit, sed diu postea id factum necesse sit; hinc passim hoc a me demonstratum fuit; illud totum quod de translatione S. Restitutae, & Memoria ei exaedificata in chronico S. M. de Princ. & aliis narratur, ad posteriorem alium Constantinum (quicumque demum is fuerit) esse referendum: at vero Magnum Constantinum ibidem suam basilicam fuisse molitum, ubi postea Stephanus I. episcopus Stephaniam erexit: ac postremo circiter annum 1313. ex illa antiquiore *Sancta Restituta* jam ruinosa S. Martyris Reliquias in hunc veteris Stephaniae truncum, qui adhuc superest, una cum hodierna *Sanctae Restitutae* appellatione fuisse transmissas. Haec quidem copiose pluribus in locis Dissertationis edisserta habes, quorum me nondum poenitet.

IV. Jam vero his positis sequetur, sex illa Ecclesiarum nomina (ea sunt, *Constantiniana basilica* divino Servatori dicata, quam discriminis causa Constantinianam vocabimus) *Stephania*, *Ecclesia Salvatoris*, *S. Restituta antiquior*, *S. Restituta hodierna*, *Nova Cathedralis hodierna*) ad tres tantum reduci debere: quarum prima est *Constanti-*

Digitized by Google

niana [cum qua *Stephania*, *Eccleſia Salvatoris*, & *Hodierna S. Reſtituta* confundatur oportet] altera *S. Reſtituta* [illegible]*us* ineunte XIV. ſaeculo diruta, tertia eſt *hodierna Cathedralis* eod. incipiente ſaeculo dedicata.

V. Verum ad ultimum me ſupra recitatus catalogi Blanchiniani locus admonuit, uti conſiderarem, an non praeſtaret rem univerſam paullo aliter ſic concipere, ut ea ſex nomina ſic paucis mutatis ad tres item eccleſias reducantur. Nimirum *Eccleſia Salvatoris*, *Stephania* & *hodierna S. Reſtituta* tria ſunt unius ejuſdemque baſilicae pro diverſis temporibus nomina. Deinde *Conſtantiniana*, & *Sancta Reſtituta antiquior* ad unam eamdemque referentur eccleſiam. At hodierna Cathedralis ubi ſit, nemo non videt.

VI. Ex hac vero altera ſententia vide quot commoda conſequantur I. Non cogemur chronicon S. M. de Principio ſimulque tot alia ejuſdem aut ſubſecutae aetatis ſcripta aut ſcalpta monumenta erroris arguere, quaſi alium quemlibet recentiorem Conſtantinum (a quo vetuſtiorem Sanctam Reſtitutae Memoriam conſtructam olim ſuſpicabar) cum primo illo vere Magno confuderint. II. Nec eamdem dicam Joanni diac. & Auctori vitae longioris Athanaſii [etſi non affirmate id teſtantibus] impingemus. III. Nec, in quo caput eſt, auctori Blanchiniani catalogi, qui ſuppar Joanni diacono fuit, errorem graviſſimum, quo hoc ipſum aſſeveratione maxima prodidit, imputabimus. IV. Poſtremo de Joanne potiſſimum diac. egregie merebimur, narrante in Stephano I. in hunc modum: *Inter alia bonitatis ſtudia FECIT baſilicam ad nomen Salvatoris, copulatam cum epiſcopio, quae .. Stephaniavocatur.* Nam etſi illud FECIT poteſt optime de eo Praeſule dici, qui baſilicam Conſtantinianam ſpatiis amplioribus a fundamentis refeciſſet [ut cum Julium II. Papam auctorem baſilicae Vaticanae dicimus, quamvis illam a XII. faeculis jam exſtantem amplificaverit] tamen quanto proniore alveo verba chronographi fluent, ſi tum primum ἐξ ἀνάγκης Stephaina fundata intelligatur? Deinde ſi quidem noſter Diaconus illam MVLTORVM perſuaſionem (aſſerentium S. Reſtitutam antiquiorem a Conſtantino factam) non plane adoptaſſet, imo ſi Conſtantinianam baſilicam non alibi quam in loco Stephaniae ante Stephani molitiones fuiſſe, privatim ipſe contra MVLTOS cenſuiſſet; an non de hac ſua & aliorum forſan aliquot opinione lectorem admonere officii ſui duxiſſet? Satis igitur praefetuliſſe Joannes videtur, a ſe Stephanum pro primo Eccleſiae fundatore, non pro amplificatore haberi. Imo etiam ſi demus Joan. chronographum per illas verborum ambages [*aſſerentibus*, inquit, *multis* &c.] notare voluiſſe, de ea re ſibi non liquere; tum ex hoc ipſo loco & ex altero [quem ex Stephani I. vita recitavimus] inter ſe collatis hoc tantum ad ultimum efficietur, de Conſtantinianae ſitu Joannis aetate non liquido conſtitiſſe; etſi eſſet ſententia receptior, *Sanctam* Reſtitutam [illam dico antiquiorem] a Magno fundatam.

VII. Ad extremum ſi verum ſit, antiquiorem Sanctam Reſtitutam a primo Conſtantino fuiſſe re ipſa factam; noli tamen continuo cum Chronico S. M. de Principio [quod Baronius in refingendo Martyrologio ſecutus eſt] credere, jam tum Sanctae Martyris Reliquias in eam eccleſiam advectas fuiſſe. Nam hoc falſum eſſe, in Comment. ad Kalend. marmoreum evicimus. Conſtantinus quidem Magnus eccleſiam illam, de qua loquimur, Divino Servatori dicaverat: deinde Conſtantinus alius in eam Martyris corpuſculum afferri ex inſula juſſerit neceſſe eſt, eaque inſuper fecerit [aut eorum partem, quae non repugnent temporum rationi] quae Chronicon memorat. At poſt illatum ab Enaria Martyris corpus tunc demum ab eo tanto theſauro Conſtantinianae eccleſiae novum *Sanctae Reſtitutae* nomen acquiri coepit.

Atque haec quae pro hac nova ſententia breviter adumbravimus, ſi forte viris eruditis viſa fuerint potiora iis, quae pro priore placito tota paſſim Diſſertatione attulimus; tum vero facile iidem poterunt accommodate ad hanc alteram hypotheſin loca illa omnia Diſſertationis mente & cogitatione ſua apud ſemet congrue refingere.

FINIS. INDI-

Digitized by Google

INDICES QVATVOR

INDEX I.

Capitum & sectionum.

ANTELOQVIVM pag. I.
PARS I. Synopsis argumentor. quod Stephania non alibi quam in hodierna S. Restituta quaerenda sit. p. II.
SECTIO I. qua id syllogismo uno colligitur p. IV. Ex Stephaniae apside p. IV. Ex atrio p. VI. Ex partibus internis. XI. Ex partibus adjacentibus. XII. Ex turri campanaria. XIII.
SECT. II. Ex scriptoribus ante & post hodiernam cathedralem. XIV. SECT. III. Objectio ex vita S. Athanasii diluitur. XV.
PARS II. Ichnographica p. XVI. In Sersalii duplicem informationem notae. XVI. Hodiernae cathedralis junctim cum Stephania ex vero ichnographia proponitur. XXI. Vetus Stephania seorsum adumbratur. XXII.
PARS III. chronologica, sive catalogus pontificum Neapolitanorum. XXIV.
PARS IV. Factor. recensio chronologica. XXXV.
DISSERTATIO HISTORICA DE CATHEDRALIS Neapolitanae semper unicae variis pro tempore vicibus p. 1.
PARS PRIOR. Qua ostenditur, veterem Neap. Cathedralem, sub Stephaniae nomine celebrem, haud fuisse aliam, quam quae hodie S. Restituta nuncupatur. 3.
CAP. I. Varia diversis temporibus Neapolitanae Cathedralis nomina ac vices. 3.
CAP. II. De Constantiniana sive Salvatoris Basilica. 5.
SECTIO I. Constantinianam basilicam sive Cathedralem a Constantino Salvatori fuisse consecratam, ex Insula Salvatoris, quam ei attribuit, & ex Chronici Vulturnensis testimonio ostenditur. 5.
SECTIO II. Difficultas, quae ex Chronico Ioannis Diac. creari potest, diluitur. 7.
CAP. III. De Stephania sive Salvatoris Ecclesia. 11.
SECTIO I. Stephaniae auctor, & etymologia. Eam minime diversam a Constantiniana Salvatori sacratâ fuisse. 11.
SECTIO II. Vbinam ea Stephania posita fuerit. Eam in hodiernae Cathedralis cruce non fuisse sitam. 15.
SECTIO III. Qua Stephaniam haud aliam ab hodierna S. Restituta fuisse ostenditur. 18. I. Argumentum de Salvatoris vultu adhuc superstite. 18. II. Argumentum de coronis adhuc in summa apside conspicuis. 24. III. Argumentum de S. Joanne ad fontes, sive de Vincentii Baptisterio minore adhuc aetatem ferente. 25. IV. Argumentum ex columnarum symmetria, & quaternis earum ordinibus petitum. 27. V. Argumentum ex Episcopalis hospitii *συνεχείᾳ* desumptum. 28.
CAP. IV. Objecta quaedam diluuntur. 30. I. Objectio 30. II. Objectio 33. III. Objectio 36. IV. Objectio 39. V. Objectio 40. VI. Objectio 41.
CAP. V. Cur Stephania aevo posteriore prius S. Januarii mox S. Restitutae nomina invenerit. 41.
SECTIO I. Quandonam, & qua de causa sibi Stephania nomen S. JANVARII adsciverit: quodque id nomen non nisi de hodierna S. Restituta usurpari potuerit. Per occasionem epocha liquescentis cruoris detegitur. 41.
§. I. De vetustissima penes Neapolitanos S. Januarii tutela: deque ejus extramurana basilica Patroni corpore insignita. 41.
§. II. De S. Januarii, corpore Beneventum, capite & sanguine in Stephaniam translatis: deque facta tum primum in Stephaniae cubiculo Martyris Ecclesia & Altari ad recondendas ejus reliquias. Locus Joannis Diac. enucleatur. 42.
§. III. Ab hac cubiculari S. Januarii Ecclesia nomen *S. Januarii* cum tota Stephania fuisse

Digitized by Google

fuiſſe communicatum. Ejus nomenclaturae praeter alia jam nota vetuſtiſſimum ex vita S. Athanaſii documentum nondum animadverſum repetitur. 45.
§. IV. Cubicularis S. Januarii Eccleſiae veſtigia etiamnum hodiernae S. Reſtitutae baſilicae adhaereſcere oſtenditur: quocirca Stephaniam illam, quae B. Januarii Eccleſiam ſibi habuit applicitam, & ab ea nomen traxit, non aliam ab hodierna S. Reſtituta fuiſſe. 47.
§. V. Obiter tum B. Januarii reliquiarum ex Altari erutarum tempus, tum & patrati tunc primum Sanguinis liqueſcentis miraculi epocha panditur. 49.
SECTIO II. De vetere, novaque S. Reſtitutae nomenclatione. 54
CAP. VI. Ex citimorum ſaeculorum ante & poſt hodiernam Cathedralem & ex ſcriptor. ante hos CC. annos unanimi conſenſione oſtenditur, Stephaniam non aliam ab hodierna S. Reſtituta fuiſſe. 55.
SECTIO I. Alberici teſtimonium. 56.
SECTIO II. Joan. Cimeliarchae locus. 61.
SECTIO III. Ex Chronico S. Mariae de Principio ſuffragia aliquot decerpuntur.
§. I. Notitia Chronici ejus, vergente ſaeculo XIII. primitus compoſiti. 64.
§. II. Ex chronico S.M. de Princ. quaedam ad cauſam pertinentia decerpuntur. 67. I. De Conjugibus caelitus fecundis locus 67. II. Narratio de Conſtantini Neapolim adventu, commoratione, & in Eccleſiam Neap. beneficiis. 69. III. Narratio de S. Joanne ad fontem 69. IV. De Capellae S. Joannis ad Fontes & hoſpitii Epiſcopalis cum Stephania cohaeſione. 70. V. Quod antiquior Eccleſia S. Reſtitutae diverſa ab hodiernae S. Reſtitutae baſilica fuerit, etſi ambae ſibi mutuo adhaeſerint. 70.
SECTIO IV. Ex vita B. Nicolai Eremitae locus expenditur. 72.
SECTIO V. Verſuum Muſivi S.M. de Principio ſuffragium. 74.
§. I. EXCVRSIO PRIOR. Qua verſus Muſivo operi S. Mariae de Principio ſubjecti recitantur, & exponuntur. 74.
§. II. In reliquos verſus duos. Quaenam hujus diſtichi ſententia? Anno 1323. & muſivum fuiſſe factum, & novam Cathedralem encaeniatam, & veterem datam Capitulo AD INSTAVRANDVM. Quid INSTAVRARE & INSTAVRVM in re agraria valuerint, tum quid Eccleſiaſtica notione. 77.
§. III. EXCVRSIO ALTERA. De Inſtauritarum Eccleſiarum notione, etymologia & natura. 80.
§. IV. Cur veteris Stephaniae reliquias Canonicis dari ad inſtaurandum placuerit. 82.
SECTIO VI. De chronico Joannis Villani: cujus brevis defenſio adtexitur. 85.
SECTIO VII. De ultimorum temporum Scriptoribus. 87.
PARS ALTERA. De Neapolitana Cathedrali non tantum ὑλικῶς (*materialiter*) ſed & εἰδικῶς (*formaliter*) ſemper unica.
PROLOGVS. SECTIO I. dicendorum ſeries. 89.
SECTIO II. Partis hujus alterius occaſio. 90.
CAPVT I. Neapolitanae Cathedralis materialis ubiubi ſitae duplicitas in univerſum evertitur, I. ex antiquorum de duplicitate ſilentio: II. ex eo quod unicam diſertim agnoverint: III. ex unico olim Dedicationis feſto: IV. ſemel ad modici temporis neceſſitatem duplex fuit. 95.
§. I. ARGVMENTVM I. ex antiquorum ſilentio petitum. 95. §. II. ARGVMENTVM II. ex eo ductum, quod Eccleſia Neapolitana abſolute ſemper, ac ſine addito diſcriminante memoretur. 96. §. III. ARGVMENTVM III. ex unico Dedicationis Cathedralis feſto in Faſtis Neapolitanis ſignato arceſſitum. 98. §. IV. Incidiſſe interdum neceſſitates propter quas ab Epiſcopo alia quaevis Eccleſia loco Cathedralis habita fuerit, exemplo Pauli Senioris oſtenditur: quod ad duplicitatem ſtabilis Cathedralis non pertinet. 99.
CAPVT II. quo oſtenditur, ne εἰδικὴν (*formalem*) quidem Cathedralem fuiſſe Neapoli duplicem. 100.
SECTIO I. De Graeciſmi Neapolitanorum variis diverſo tempore vicibus 100.
§. I. Neapolim Strabonis aevo plane Graecam fuiſſe: ſed poſt ejus ſcriptoris aeta-

Digitized by Google

aetatem ex assidua Romanorum consuetudine paullatim Romanos mores unaque linguam usurpasse. 100.

§. II. Neapolim coloniam Romanam fuisse: sed quo temporis articulo id facta sit, haud plane certum: etsi jam ab ineunte altero Christi saeculo inter colonias numeraretur. 101.

§. III. De Neapolitanorum Graecitate amplius. Neapolitanos post coloniae jura impetrata adhuc III. saeculo Graecis studiis indulsisse (Philostrati locus illustratur) sed postea demum ab omni Graecismo excidisse. 102.

SECTIO II. Qua duplicis Episcopalis sedis commentum refellitur. 105.

§. I. Argumenta generalia duplicitatem Neapolitanorum Antistitum convellentia. 105.

§. II. Objecta Papebrochiana de Calepodio diluuntur. 107.

§. III. Auctoris vitae S. Athanasii vexatissimus locus qui in contrarium affertur, expeditur & illustratur. 109.

§. IV. Nullo umquam tempore GPolitanis Patriarchis in sedem Neapolitanam jus ullum fuisse. 104.

SECTIO III. Coetuum Ecclesiasticorum Ecclesiam Neapolitanam repraesentantium duplicitas submovetur. 115.

CAPVT III. De Hebdomadariorum Neapolitanae Cathedralis origine prima ac progressibus: deq. Canonicis amplius. 118.

SECTIO I. Commentitia hodiernorum Hebdomadariorum origo confutatur. 120.

§. I. Quam perverse Chronographi Joannis loco Hebdomadarii nostri abutantur, ut genus suum ad S. Athanasium auctorem referant: cum contra certissimum sit, iis verbis Neapolitanos Canonicos designari 120.

§. II. Multo perversius loco vitae longioris S. Athanasii utuntur, ut ab Athanasio originem sibi arrogent: cum tamen is locus manifeste de septem canonicis presbyteris Cardinalibus Neapoli ab S. Antistite ad Ecclesiae Romanae instar ordinatis sit capiendus. 122.

§. III. Hodiernos Hebdomadarios XIII. saeculo non aliud fuisse quam clericos inferiores collectitios, ac simul Confratres Congregationis S. Salvatoris, ex Anselmi Archiepiscopi diplomate fusius expositio, & ex aliis monumentis ostenditur. 125.

§. IV. Occurritur objectionibus, quae Hebdomadarii I. ex vetere traditione, II. ex sigillo cum imagine S. Athanasii desumunt, III. ex eo quod Canonicis origo antiquior a Constantino, non vero ab S. Athanasio fuisse narretur. 130.

SECTIO II. Vera hodierni Hebdomadariorum coetus origo & natura panditur. 133.

§. I. Hodiernos Neapolitanae Ecclesiae Hebdomadarios primitus non fuisse aliud quam ejusdem Ecclesiae Fratantiarios, deinde aliquando Hebdomadarios, sed tamen semper Fratantiariorum congeneres, evasisse. Objectionibus occurritur. 134.

§. II. EXCVRSIO. Qua universe in omnium Fratantiarum & Hebdomadarum, quae in matricibus hujus urbis Ecclesiis sunt, originem, epocham simulq. naturam inquiritur. I. ORIGO. 139. II. EPOCHA, sive earum antiquissima mentio. 143.

§. III. Earumdem Fratriarum EFFIGIES Monasticae institutioni simillima ex inedito opusculo exhibenda alio remittitur: ubi simul de earum ortu primo & natura amplius & accuratius agendum promittitur. 144.

§. IV. Quandonam Confratres Clerici Congregationis Salvatoris, ex Anselmi & Petri diplomatibus antea noti, Hebdomadariorum gradum & nomen assecuti fuerint, disputatio proponitur, eademq. in sequentem Disquisitionem rejicitur. 145.

§. V. DISQVISITIO AMPLIOR. De occasione ac puncto temporis, quo Anselmiani Clerici Confratres Salvatoris evaserint presbyteri Hebdomadarii. 146. PARS I. ISAGOGICA. Post novae Cathedralis encaenia quid Archiepiscopos impulerit, ut novam Cathedralem novis ministris instruerent. 146. PARS ALTERA. Humberti de divinis officiis Constitutio producitur & explicatur. Quae tunc divini cultus effigies in Neapolitana Cathe-

Digitized by Google

Cathedrali fuerit, exponitur. Vtrum is Praesul novos Hebdomadarios instituerit, an alterius nominis ministris Ecclesiam instruxerit, expenditur. 148. PARS TERTIA: Hebdomadarii nec ab Humberto, nec Bertoldo, nec Anibaldo fundati, omnino intra novem primos annos Joan. Vrsini annos erigi debuere. 155. I. Rituum seu Consuetudinum Joannis Vrsini notitia 156. II. Hebdomadariorum erectio intra menses illos triginta restringitur, qui inter Joannis Vrsini exsequialem Constitutionem exeunte Octobri anni 1334. promulgatam interq. ejusdem collectionem Ritualem ineunte Majo anni 1337. publicatam, medii fluxerunt. Exsequialis eadem Constitutio adscribitur & illustratur. 157. III. Novos hosce Hebdomadarios assignatis a Capitulo reditibus fuisse dotatos, & Canonicis in onus quotidianum subrogatos. 168.

§. VI. Antiquiora quaepiam de eisdem Hebdomadariis monumenta carptim producuntur & explicantur. I. Joannis Vrsini locus de Neapolit. Ecclesiae Hebdomadariis accurate exponitur. 170. II. Fundatio Hebdomadarum quatuor, anno 1372. a Leonardo Pagano facta, quam in partem sit accipienda. 174. III. De Bernardi Archiepiscopi diplomate, quo tres primitivas Majoris Ecclesiae Hebdomadas novis Hebdomadariis ann. 1378. adnexuit. 175. IV. De monumentis quatuor in quibus nomenclatio Congregationis Salvatoris, cum additamento *Veteris* usurpatur. 177. V. De novissima *Cappellanorum* appellatione nostris Hebdomadariis a Paulo III. tributa. 180.

§. VII. De Octodecim Presbyterorum, qui vulgo *Quadraginta* vocantur, origine & natura. 181.

SECTIO III. Vera Neapolitanorum Canonicorum origo aperitur. 188.

§. I. Commentitia Canonicorum Neapolitanae Ecclesiae origo a Magno Constantino petita refellitur, ac vera ab Sancto potissimum Athanasio ducta novo argumento adstruitur. 189.

§. II. Tentatur via, qua origo Canonicorum a Constantino (non quidem Magno, sed posteriore alio) defendi aliquatenus possit. 193.

§. III. De eo quod Canonici Neapolitani Graeci olim fuerint, commentum exploditur. 194.

§. IV. Ornamenta quaedam Neapolitani Capituli peculiaria recensentur. 195.

APPENDIX.

DIATRIBA I. De Insula & Castro a Constantino Magno Ecclesiae Neap. dono datis: sive De Insula Salvatoris deque Castro Lucullano. 199.

PARS PRIOR. De Castri Lucullani originibus posituque. 199.

CAP. I. Scriptorum sequioris aevi de Lucullano loca. 200.

CAP. II. Lucullanensis oppidi excidium, & S. Severini ultima translatio ex Jo. diacono refertur. 203.

CAP. III. Vbinam castrum Lucullanum statui oporteat. Vbivis, quam ulla in insula fuit. De Lucullani magnitudine, ecclesiis, Campo Martio. Villam L. Luculli celebratissimam in Balneolana regione fuisse: ad eamdem etiam Castrum Lucullanum coaluisse. 205.

CAP. IV. De oppidi Lucullani situ amplius.

§. I. Castri Lucullani situs ad eam Luculli villam, quae in Puteolana regione Balneolana fuit, novis rationibus asseritur. 211.

§. II. Lucullani situs circa Thermas S. Germani ex antiqui operis ruderibus, & in Agnani lacu, ostenditur. Cur eae thermae Angulanae Gregorio dicantur. 213.

PARS ALTERA qua INSVLAM Ecclesiae Neapolitanae a Constantino donatam, seu Salvatoris insulam, Nesidem fuisse ostenditur. 215.

CAP. I. Quod & Insula & Castrum Ecclesiae Neap. a Constantino donata duae unius possessionis partes fuerint. Quaenam ea insula fuerit. 216.

CAP. II. Insula Salvatoris quae? 217.

PARS III. De SALVATORIS & LVCVLLANI nomine cum Megaride postea communicato.

CAP. I. SALVATORIS nomen saec. XII. coepisse cum Megaride commune fieri.

Ejus

Digitized by Google

Ejus rei documenta proferuntur. Ebulensis poetae elegi illustrantur. Qua adjectione Salvator unus ab altero discriminari consueverit. 221.
CAP. II. Qua de causa Salvatoris nomen cum Megaride cōmunicatum fuerit. 224.
CAP. III. Quando & quare vetus illud Castrum Lucullanum agnosci in Ovi Insula coeperit. 225.
§. I. Quaedam ejus appellationis origines adumbrantur. Ibid.
§. II. Vera ejus rei causa ex Falco assignatur. De auctore Cryptae Puteolanae. 227.
DIATRIBA II. De vocis SQVARASTASE significatu. PARS I. Chronici S. Mariae de Princ. locus de Constantini in Ecclesiam Neap. meritis, deq. Canonicor. XIV. & Cimeliarchatus institutione. FACETIARVM & τοῦ SQVARASTASE expositio traditur. Vox LATINE tantumdem quod κατ' ἑρμηνείαν. 228.
PARS II. Eadem τοῦ *Squarastase* & τοῦ *Latine* notio ex Ritibus Ioannis Vrsini certissime confirmatur. 231.
DIATRIBA III. De Neapolitana Colonia, & quando primum id jus acquisierit. 233.
PARS I. Qua vere Neapolim inter colonias Romanas fuisse numeratam suadetur. Ib.
CAP. I. Quid superiore saeculo super hoc Neapolitani ἀρχαιολόγοι senserint. Neapolim sub Tito Imp. Romanam fuisse coloniam, ex GraecoLatina inscriptione, haud certo arguitur: etsi saltem altero Christi saeculo id jus assecutam fuisse, ex aliis epigrammatibus constet. Titulus bilinguis ille Tito inscriptus ex marmoris fide corrigitur, suppletur, & illustratur. 234.
CAP. II. Neapolim aliquando Coloniam fuisse Romanam ex inscriptionibus certo constat: tempus haud perinde constat. 238.
PARS ALTERA. Qua per quosdam veluti gradus ad Neapolitanae coloniae epocham sursum enitimur. 239.
CAP. I. In Romanae Civilitatis, & juris coloniae possessione sub Septimio Severo Neapolitanos jam fuisse; sed quam dudum, nesciri. 239.
CAP. II. Neapolitanam coloniam circiter Cocceii Nervae principatum videri jam fuisse constitutam. 239.
CAP. III. Epocham Neapolitanae coloniae sub Flaviis principibus, ac potissimum sub Domitiano figendam videri Neapolim, nullis deductis colonis, jura coloniae assecutam fuisse. 240.
CAP. IV. Quamdiu Neapolis Romanae Coloniae nomenclaturam servaverit. 241.
AVCTARIVM de genere πολιτείας, qua Neapolitani ante jura Coloniae sibi quaesita utebantur. 242.
DIATRIBA IV. De Ecclesiae Neap. Canonicis Cardinalibus. 243.
PARS I. Neapolitani Cardinalatus documenta ex diplomatum subscriptionib. & ritualib. libris. Septem an XIV. fuerint, in utramq. partem disputatur. Ib.
CAP. I. De quadruplici, qui nunc in sede Neap. cernitur, Canonicorum ordine. 243.
CAP. II. De Cardinalium Neap. Ecclesiae antiquitate, ac perenni ejus tituli consuetudine. 244.
CAP. III. Quot numero ii Cardinales. 245.
CAP. IV. Quid in contrarium afferri possit, cur etiam Diaconi fuerint ex numero Cardinalium. 247.
PARS ALTERA. De Neapolitanis Canonicis Cardinalibus amplius. De eorum Titulis atque Diaconiis. De eo, utrum Neapolitani diaconi recte Cardinales vocentur: deque eorumdem supra presbyteros putativo primatu. 250.
CAP. I. Multiplex tractationis hujus occasio. 250.
CAP. II. De Cardinalium Romanae, & aliarum Ecclesiarum notione & origine: quodque ea vox quatenus dignitatis est, initio tantum titulorum urbanorum presbyteris peculiaris, tandem communicari etiam cum diaconis, interdum & subdiaconis coeperit. 251.
CAP. III. De Neapolitanorum Cardinalium origine & in corpus unum coalitione. 255
CAP. IV. Ad quaestionem utrum VII. diaconi olim fuerint, aut sint hodie Cardinales, διακόνους. Demonstratur, eos ab initio fundationis nō fuisse Cardinales, at fuisse postmodum sequentibus saeculis. 256.
§. I. Canonicos diaconos Neapolitanos

Digitized by Google

ab suae institutionis exordio non fuisse Cardinales. 256. §. II. Ostenditur, posterioribus saeculis Diaconos Neapolitanos ad cardinalitiae ἐπικλησίας communionem adscitos. 258.
CAP. V. An unquam Neapolitani Diaconi presbyteris honorabiliores fuerint. 258.
DIATRIBA V. Qua BREVIS ORDO DIVINOR. OFFICIOR. antiquitus in Fratriis Neap. servatus, nunc primum editur: cum judicio de Monumento & animadversionibus. 260.
PROLOGVS. De Monumento judicium. Duplicis Comitis Neap. manu exarati notitia. Antiquioris superstitis analysis: in quo etiam generales tractationes habent quaedam ecclesiae Neap. peculiaria. ORDO DIVINOR. OFFICIOR. qui ibi continetur, nec Ecclesiis omnib. communis erat, nec Cathedrali, aut alicui Monasterio peculiaris, sed ejusmodi, qualis in omnib. Neap. Fratriis, etiam Salvatoris, observabatur. Is videtur Salerni in usum confratriae S. Matthaei compositus: deinde una cum Fratriarum institutio Neapolim adportatus, & a Fratriis usurpatus. 260.
Idem ORDO DIVINOR. OFFICIOR. cum animadversionib. subtexitur: 264.
DIATRIBA VI. Qua pervetustum Athanasiani hospitalis Inventarium exponitur: ex quo, praeter cetera, Neapolitanos Hebdomadarios nihil cum S. Athanasio habuisse commune, eorumque recens admodum fundatio magis confirmatur. PROLOGVS. 271.
PERVETVSTVM INVENTARIVM Bonorum, jurium & onerum Hospitalis Athanasiani, &c. 272.
ADDENDA ET REFINGENDA QVAEDAM in Dissertatione historica etc. 279.
MONVMENTA quaedam. 283.
CVRAE POSTERIORES de S. Restituta antiquiore. 307.
INDICES IV. 309.

INDEX II.

Adnotationum aliquot diffusiorum.

In Anteloquio.

PAg. VIII. Adnot. 11. Ecclesiae S. Andreae & Athanasiani xenodochii uberior notitia & situs; deq. atrii Stephaniae positu.
P. XXIX. Adn. 20. Rogerii Regis Diploma ineditum.
P. XXX. Adn. 22. Henrici VI. diploma ineditum.

In Dissertationis historicae Parte I.

P. 14. Adn. 21. Rayneriana Stephaniae descriptio exponitur. *Bifidum Sarcophagum* seu *Bisomum*. Putativa *Ambonis* etymologia. *Peristerium*. Locus obscurus corrigitur & illustratur. De *Ciborio*, *Peristerio*, & *Columba*. De hodierna ciboriorum Eucharistiae forma ac situ expostulatio.
P. 19. Adn. 22. EXCVRSIO de antiqua Servatoris effigie, quae in apside S. Restitutae visitur. SECTIO I. An hodiernae S. Restitutae tribunal eodem nunc situ sit, quo antea. De Ambone & Altari. P. 20. SECTIO II. De Salvatoris effigie & antiquitate.
P. 26. Adn. 23. De Fontibus Majoribus Soterianis, & consignatorio ablutorum, ac baptisterio minore Vincentiano adhuc superstite loca Joannis Diac. illustrantur. Hujus testudo opere musivo depicta, adhuc superstes, describitur.
P. 34. Adn. 28. Quid in Episcopalis hospitii positu mutatum diverso tempore fuerit.
P. 36. Adn. 29. Auctorem vitae Athanasii coaevum illi fuisse, ex NOSTRIS TEMPOR. & ex NVPER non evincitur. Imo cum XI. aut XII. saeculo vixisse ex ALMI cognomine quod Ludovico dat, & ex querelis de raro coelibatu, ostenditur. Vtrum Petro Casinensi sit tribuenda, amplius esse cogitandum.
P. 43. Adn. 35. De Athanasiana S. Januarii Ecclesia Joannis diac. locus non intellectus enucleatur. Hodiernis Ecclesiarum Capellis respondebant apud antiquos *cubicula*. Quid haec fuerint, unde sic dicta, & quo ab hodiernis Capellis differrent. Loca S. Paulini & Libri Pontificalis illustrantur. Quid *Regia*, & ejus diminutivum *Regiola*. Ex his regiolis constat,

in

Digitized by Google

in Athanasiana S. Januarii Ecclesia ejus Caput & Sanguinem fuisse servata; quae postea ibidem in veteri Thesauro colebantur.

P. 50. Adn. 43. PROCVRSIO De liquescentis B. Januarii Cruoris epocha. PARS I. Qua primoribus lineis informatur Epocha prodigii. Nec saeculi XI. nec XII. ulla sunt vera ejus miraculi documenta: nec verisimile, tunc Reliquias e regione poni solitas, ut quae sub Altari recondebantur. Ex vitae S. Peregrini loco ac putatis temporibus colligitur, anno circ. 1300. jam id miraculum coepisse: quae epocha cum eo tempore, quo theca Capitis a Carolo II. facta, cohaeret. Sub idem tempus auctor vitae S. Peregrini incidisse videbatur: sed postea hunc (qui *Lupus de Specchiis* fuit) medio XV. saec. floruisse compertum fuit. Vel sic tamen exordia Miraculi sub Carolo II. figi posse videbantur. P. 52. PARS ALTERA. Qua adumbratio prior accuratius expolitur. Ejus miraculi initia nec priora anno 1337. nec posteriora medio eod. saec. fuisse, suadetur. De S. Januarii Rosalibus.

P. 68. Adn. 60. Respondetur rationibus, quibus Sersalius Chronicon S. Mariae de Principio in suas pertrahit partes.

P. 77. Adn. 65. De priore S. Mar. de Principe imagine, cui hodierna successit.

In Dissertationis historicae Parte II.

P. 91. Adn. 2. Specimen fallaciloquentiae, qua Hebdomadarior. causidici ante annos fere XV. allegationes suas aliasque id genus scripturas in causa exsequiar. contra Canonicos S. Mariae Major. referserunt. Ea Hebdomadarii ad Capituli offensionem avertendam retractare promiserunt: nec stetit fides.

P. 98. Adn. 4. Cathedralem a Stephano I. factam, vocatam *Ecclesiam Salvatoris* fuisse, eamd. vero a Stephano II. refectam, audivisse *Stephaniam*. Hujus vero posterioris Dedicationem Kal. Decemb. fuisse celebratam.

P. 102. Adn. 5. Philostrati de Neapolitanorum Hellenismo locus egregius illustratur.

P. 113. Adn. 10. Rara notio τῶ BINVS ex Glossis elicitur.

P. 135. Adn. 34. Conspectus Hebdomadar. & Fratantiar. in matricibus Ecclesiis Neap. ex Hannibaliano Statu Ecclesiae Neap. decerptus.

P. 139. Adn. 38. De antiquis Neapolitanae reip. fratriis. Earumd. nomina ex marmorib. eruta.

P. 141. Adn. 39. De vocabulis, quae Ecclesiar. Neap. Hebdomadarii & Confratres cum Monachis habent communia.

P. 157. Adn. 63. Exsequialis Joannis Vrsini constitutio producitur & illustratur. P. 159. ADNOTATA ad constitutionem eamd. Cap. I. *Servitium* idem quod Officium. Ad c. 3. de *Tertitii* & *Duplerii*, etymologia. c. 8. *Annichimi*. c. 9. *Presbyter Gentilis*. Duplicis in Cathedrali Neap. crucis, utriusque capitularis, origo, & consectaria. c. 18. quid sit *Scallium*, curve damnetur. cap. 19. de nulla usquam Hebdomadarior. mentione. D. *Vestiarario* & *Paramonario*. C. 20. *Funus* idem ac Feretrum. De CPolitana Indictione Neapoli usurpata.

P. 163. Adn. 65. De nostrae Cathedralis militibus Ecclesiasticis.

P. 176. Adn. 76. Cur Bernardus Archiep. fructus Confratriae Salvatoris una cum Hebdomadis primitivis recens adnexis distribui praesentib. jusserit; fructuum autem novar. Hebdomadar. non meminerit. Hebdomadar. & Fratantiar. praecipuum discrimen, quod illae in solis praebendis consisterent, hae in solis distributionibus. At hodiernis Hebdomadariis nova natura fuit, ut simul Hebdomadar. praebendis, & confratrum distributionibus fruerentur.

P. 184. Adn. 86. DISQVISITIO de notione *Presbyterorum* aut *Presbyterorum* de *Choro*; itemque *Presbyteror. Quadraginta*, aut *de numero Quadraginta* in Vrsinianis ritibus. PARS PRIOR. qua ostenditur PRESBYTEROR. aut *Presbyterorum de Choro* appellationem non minus de XXII. Hebdomadariis, quam de reliquis Octodecim ab Vrsino fuisse usurpatam. P. 185. PARS ALTERA. Qua loca illa Ritnum Vrsinianor. explicantur, in quibus ambitu τῶν *Quadraginta* etiam XXII. Hebdomadarii cõtinentur. Cuidam difficultati occurritur.

In DIATRIBIS Appendicis.

P. 208. Adn. 19. Post Luculli mortem ad filium impuberem Villae pervenerunt: quarum pisces Cato tutor venumdedit. Nesidem Villae Puteolanae partem idem adolescens possidebat. Luculli villas postea Principis aerario fuisse attributas. Hujus viciniae villas omnes a Procuratore Caesaris in Pausilypi villa residente fuisse administratas.

P. 210. Adn. 20. Villarum nomina neutro genere usurpata: PAVSILYPVM non montis, sed villae Vedii Pollionis nomen fuisse: monti vero propr um nullum fuisse nomen, sed verborum circuitu designatum: eumdem aevo sequiore *montem Falernum* fuisse dictum, nec nisi abhinc CCC. annos Pausilypi sibi nomen in peculium arrogasse.

P. 211. Adn. 21. Lapis Aversanus illustratur. MERITORIVM neutrius generis. De *Diaeta*. Alia pluscula.

P. 214. Adn. 24. Proculi ICti LACVS ANGVLARIVS cum nostro Angulano comparatur.

P. 222. Adn. 28. PROCVRSIO in Athanasianae

Digitized by Google

vitae difficillimum locum, quo Insula Salvatoris XII. tantum stadiis ab Neapoli removetur. §. I. An ea distantia scopulo Megaridi conveniat. Obiter de Megaridis Punica etymologia. Duodecim stadiorum ab Neapoli distantia Megaridi non convenit, quae vix quatuor abest. Nesis autem duplo plus distat. Cum tamen aliunde constet, Insulam Salvatoris fuisse Nesidem: hinc loci difficillimi hujus explicandi necessitas oritur. §. II. Vtrum stadii modulus apud Neapolitanos aevo medio major fuerit. Ad loci vitae hujus castigationem ultimum tamquam ad sacram anchoram confugium.

P. 237. Adn. 1. Antiquos *Vesuvii* aut *Vesvii*, nomen, ut adiectivum, semper cum *Montis* vocabulo copulasse. Minucii locus ex scripto codice restituitur.

P. 244. Adn. 2. Cardinalium presbyterorum subscriptiones saeculorum trium.

P. 247. Adn. 7. Loca Rituum Vrsinianorum recensentur de summa capituli partitione in Diaconos, Cardinales, atq. Canonicos: in quibus non est dubium quin per *Diaconos* & *Cardinales* primitivi XIV. canonici (quorum VII. Diaconi, septemque presbyteri) designentur; per *Canonicos* vero reliqui supra primaevum numerum.

P. 249. Adn. 11. Tituli septem Presbyterorum Cardinalium totidemque Diaconorum S. Neap. Ecclesiae ex Canonicorum necrologio eruti.

P. 252. Adn. 16. De S. Neap. Ecclesiae Diaconiis. Fuisse in singulis regionib. singulas: quo locus vitae Athanasii refertur. Tres celebres Diaconiae ex auctoribus & marmoribus eruuntur. Eas fuisse septem, quot Romae, ostenditur; & earum diaconos fuisse illosmet; quorum in Capitulo Neap. numerus adhuc idem viget.

INDEX III.

Scriptorum tum veterum, sicubi restituuntur aut illustrantur, tum recentiorum ubi laudantur aut notantur.

Notas initio Indicis IV. explicavimus.

Albericus quo saeculo vixerit, 56. explicatur. Ib.
Alphonsi Card. Carafae acta capitularia illustrantur. 301. & seq.
De Alteriis (Cyrus) laudatur. 148.
Anselmi Archiep. Neap. diploma exponitur. 125. seqq.
Assemanus (Josephus) laudatur. 283. c. 2.
Brevis enarrationis status Ecclesiae Neap. quis auctor. 289. n. 3.
Cangius. v. Fresnius.
Capacius (Caesar) notatur. 223. c. 2. & n. 37. & p. 226. n. 41.
Caracciolus (Antonius) notatur. 38. n. 31. explicatur. 306.
Castellus (Jacobus) JCtus laudatur. 48. n. 40.
Catalogus Episcopor. Neap. laudatur. 307.
Celanus refutatur. 68. n. 60.
Chioccarellus (Bartholom.) notatur. 36. c. 1. p. 285. n. 2.
Chronicon S. Mariae de Princ. qua parte historicum novae Cathedralis encaeniis antiquius est. 65. qua parte liturgicum, nova Cathedrali posterius. 66. explicatur. 70. corrigitur. 229. n. 3. 4. enucleatur. 230. & seqq.
Chronicon Joannis Villani defenditur. 85. & seqq.
Chronicon Vulturnense laudatur. 6. quis ejus auctor. 6. n. 6. hujus auctoritas non parvi facienda. 7. n. 10.
Codex status Ecclesiae Neap. quando conscriptus. 291. c. 1.
Comitus Neapolitanus quo tempore conscriptus. 260. c. 1.
De Ebulo (Petrus) illustratur. 222. emendatur. Ib. n. 31.
De Engenio (Caesar) notatur. 181.
Eugenii IV. diploma producitur & illustratur. 283. & seqq.
Decii Card. Carafae edictum de festis laudatur. 306. c. 1.
Falconius (Nic. Carminius) laudatur. 1. notatur. 16. & seq. 19. n. 22. p. 47.
Fresnius corrigitur. 56. n. 45. notatur. 275. n. 18.
Galianus (Ferd.) laudatur. 200. n. 1.

Glossa

Digitized by Google

Gloſſa refutatur . 250. n. 12.
Graevius notatur . 12. n. 14.
Gratianus explicatur . 248. n. 14. p. 251.
Harduinus notatur . 215. n. 26.
Henrici Imp. diploma ineditum producitur & illuſtratur . An. p. XXX. n. 22.
Humberti Archiep. Neap. diploma ineditum producitur , & explicatur . 149. ſeqq.
Inſcriptiones veteres plurimae variis in locis ſupplentur,reſtituuntur, explicantur . Averſana inedita explicatur. 211. n.21. Neapolitana Titi ſuppletur & exponitur. 234.ſeq.
Inventarium Athanaſiani hoſpitalis corrigitur & explicatur . 272. & ſeqq.
Joannes Cimeliarcha quo tempore vitam S. Joannis IV. ediderit . 61. hujus locus excutitur . Ib.
Joannes Diaconus explicatur . 7. illuſtratur . 26.n.23. enucleatur . 43. n.35. inter Canonicos Diaconos Neap.recenſendus. 283.c.1.
Juvenalis illuſtratur . 212. n. 21.
Laſena (Petrus) notatur . 234.
Laureus (Antonius) laudatur . 296. n. 3.
Lupus de Spechiis . v. Vita S. Peregrini .
Macrobius notatur . 209. c. 1.
Majellus (Carolus) Archiep. Emiſſ. laudatur . 59. 60. n. 52.
Majellus (Januarius) Can. Neap. laudatur. 59. & ſeqq. p. 283.
Minucius Felix reſtituitur , & illuſtratur . 237. n. 1.
Muratorius (Lud.) taxatur. 12. n.15. emendatur . 201. n. 5.
Ordo Divinorum Officiorum in Fratriis Neap. antiquiſus uſurpatus corrigitur , illuſtratur, explicatur . 264. & ſeqq.
Paciaudius (Paulus Maria) laudatur.273.n.10.
Patricellus (Archang.) laudatur . 211.n.21.
Philoſtratus illuſtratur . 102. n. 5.
Pii V. conſtitutio carptim producitur & dilucidatur . 303. & ſeqq.
Proculus JCtus explicatur . 214. n. 24.
Raynerius corrigitur & illuſtratur . 14. n. 21.
Riccardi Comitis Ayelli donatio corrigitur & explicatur . 262. n. 2. & ſeqq.
Rogerii Regis Neap. diploma ineditum producitur & illuſtratur . An. p. XXIX. n.26.
Sanctorius (Julius) laudatur . 301. & n.1.
Scaliger notatur . 238. c. 2.
Seraus (Hieronymus) laudatur . 211. n. 21.
Serſalius (Benedictus) laudatur . 1. notatur. 16. & ſeqq. p. 19. n. 22. p. 32. p.68. n.60. p. 99. An. p. XVI.
Strabo illuſtratur . 200. explicatur . 244. c.1.
Summontius (Jo: Ant.) laudatur . 306. c.1.
Tafurius (Bernardus) laudatur. An. p.XXIX. n.20. notatur . p.86. c.2.
Tutinus (Camillus) laudatur . 148.
Varro explicatur . 242. c. 2.
Vitae S. Athanaſii quis auctor . 37. c. 2. quo tempore floruerit . Ib. explicatur . 37. & ſeqq. vexatiſſimus locus illuſtratur . 109.& ſeqq. corrigitur. 113. emendatur. 220.n.28.
Vitae B. Nicolai Eremitae quis auctor . 72.
Vitae S. Patriciae auctor illuſtratur . 217. corrigitur . 218.
Vitae S. Peregrini quis auctor . 51. quo tempore floruerit . 52.
Voſſius (Jo: Gerard.) notatur . 278. n. 44.
Vriſmi Archiep. Neap. exſequialis conſtitutio producitur . 157. n. 63. illuſtratur . 159. ſeq.ritualis conſtitutio explicatur. 164. ſeqq.

INDEX IV.

Rerum atque verborum notabilium .

An. *notat* Anteloquium . *Numerus Arabicus ſive ſolus , ſive praecedente* (p.) *paginas libri deſignat : at praecedente littera* (n.) *numerum* Notae *ſive Adnotationis indicat . Littera* (c.) *ſignat columnam .*

AEneas Sylvius liqueſcentis ſanguinis B.Januarii teſtis antiquiſſimus.51.c.1.
Agnani lacus cur ita dictus . 214. c. 2. Anglanis a Nortmannis vocatus. Ib.Luculani partem complectebatur . 215. c. 2.
Alia pro *Ala* 57. n. 46.
Alierni comitis ſumma Neapoli auctoritas . 222. n. 31.

Alier-

Digitized by Google

Aliernus (Joannes) ob numerositatem beneficiorum taxatur. Ib.
Ambonis notio 14. n. 21. etymologia. Ib. Ambones Stephaniae ubi siti. 19. n. 22. quando sublati. Ib.
S. Andreae Ecclesia ubi sita An. p. IX. c. 1. Nosocomio Adnuntiatae adnexa Ib. In Emphyteusim data Civitati Neap. An. XI.
Angere quid. 12. n. 14. p. 214. c. 1.
Angeries & Angenter. 12. n. 14.
Anguillarae vox unde detorta. 215. n. 24. c. 1.
Angulanae thermae. 214. c. 1. cur ita dictae. Ib.
Angularis Apicianus quid. 215. n. 25.
Angularius lacus qui. 214. & seq. & p. 214. n. 24.
Annichini. 159. & 181. n. 83.
Anniversaria. v. Capitulares conventus.
Anselmus Archiep. Neap. appellat Hebdomadarios *Fratres pauperis Congregationis Salvatoris*. 119. n. 20. p. 127. & seq. *Socios Cimeliarchae*. 125. & quo sensu. 126. n. 23. quos a collecta eximit. 125. & seqq.
Apostatae a clericatu qui. 297. n. 6. taxantur. Ib. in Canonicorum Collegium numquam recipiendi. Ib.
Appendae quid. 285. n. 1.
Archiepiscopatus apud Graecos quid. 114. n. 11.
Archiepiscopatus honorem quando Neapolis adepta. 115. n. 13.
Archiepiscopus Neap. quotannis ad balnea Puteolana benedicturus procedebat. 273. n. 10.
S. Asprenis Aula seu Ecclesia quando erecta. 58. ubi sita. Ib.
Assisii & Assisiae quid. 169. & 195. n. 91.
S. Athanasius B. Januario Ecclesiam exstruit. 43. n. 35. an instituerit Hebdomadarios. V. Hebdomadarii. Septem Canonicos Cardinales ordinat. 122. & seqq. In Nesidis monasterium se confert. 217. ejus collapsam disciplinam restituit. 218. c. 2. eiq. Ecclesiam S. Luciae adnectit. 225. n. 40.
Athanasianum Xenodochium ubi situm. An. p. VII. & seqq. in Orientem Solem porrigebatur. 279. c. 1. a quibus ditatum. Ib. & n. 10. ab Eugenio IV. nosocomio S. Mariae Adnuntiatae adnexum. An. p. VIII. & seq. hujus Pontificis diploma producitur & explicatur. 283. & seqq. hujus Xenodochii spatia Civitati Neap. in Emphyteusim concessa. An. p. VIII. & X. c. 1.
Atrium Stephaniae ubi situm. An. VI. & seqq. & X. c. 2.
Augustulus Imp. in Lucullanum castellum relegatus. 200. c. 1.
Aulae notio 58.

B

Baebius Patronus Coloniae Neapolitanae 239. c. 2. quando floruerit. 240. c. 2.
Balneolana regio ubi sita. 208. n. 18.
Baptisterium Vincentii. V. Capella S. Joannis ad fontes.
Basilica pro Oratorio usurpata. 38. & n. 31. Ib.
Basilicae majores ab adjunctis oratoriis nomen mutuatae. 46. & n. 38.
Belisarius Neapolim expugnat. 204. n. 11. eamq. vacuam habitatoribus replet. Ib.
Beneficia vacantia inter Canonicos per sortem distributa. 296. n. 5.
Bernardus Archiep. Neap. tres primitivas Hebdomadas novis Hebdomadariis adnectit. 175. & seq.
Bifidus Sarcophagus. pag. 14. n. 21.
Bilinguis V. Duplex.
Binus idem ac *duplex*. 113. n. 10. *et bilinguis*. Ib.
Bisomum quid. 14. n. 21.
Breviarii significatio peculiaris. 267. n. 25. p. 269. n. 33.

C

Caenacula quae. 30. n. 24.
Calepodius Episc. Neap. Synodo Sardicensi subscripsit. 107. quo tempore sederit. 108. an idem ac Fortunatus. Ib.
Campus Martius in Lucullano. 206. c. 2. & n. 14.
Campi notio peculiaris. 206. n. 14.
Campidoctor. Ib.
Canonicor. nomen in Italia quando in usu esse coepit. 122. Canonici Ecclesiae Neapolit. perperam a Constantino Magno dicuntur instituti. 189. An a Constantino Con-

Digitized by Google

Conſtantis filio originem trahant. 190.& ſeq. & n. 89. & ſeq. Ab Athanaſio erecti 192. a quo ſeptem Cardinales presbyteri inſtituuntur. Ibid. & 122. & ſeq. In quaternorum denum numerum rediguntur 193. Numquam Graeci oris fuere. 194.& ſeq. Sublevant pluries Hebdomadarios. 119. n. 20. eisque ſepulturae locum concedunt n. 21. Ibid. quos dotant. 168. & in onus quotidianum ſibi ſubrogant. Ibid. & 168. n. 69. Antiquioris S. Reſtitutae jure fruebantur. 72. 84.& ſeq. Hodiernae S. Reſtitutae dominio potiuntur. 55. Pontificalia indumenta a Pio V. impetrant. 197. & n. 95. Ex horum Capitulo praeſtantiſſimi viri ſemper prodiere. Ib. n. 96.

Canonicorum in Eccleſia Neap. quotuplex ordo. 243. c. 2. p. 247. n. 7. intra quem numerum coercentur. 244. c. 1. ex his quinam Cardinales. Ib. Hujus appellationis antiquitas. 244. c. 2. & quo tempore invaluit. 245. c. 1. quot numero hi fuerint. 245. c. 1. Presbyteri praebendati tantum Cardinales olim erant. 246. An etiam & Diaconi. 247. c. 2. & ſeq. 256. c. 2. & ſeq. utrorumq. tituli Cardinalitii n. 11. pag. 249.

Capella S. Aſprenis a quo conſtructa. 57. ubi ſita. 59.

Capella S. Joannis ad Fontes quae. 25. fuit unum ex Stephaniae baptiſteriis Ib. a quo conſtructa 69.& ſeq. Stephaniae tribunali attigua 70.

Capella S. Pauli ubi fuerit 170. n. 70.

Capella S. Salvatoris veteris quae. 22. cur ſic vocata. 23. & ſeq. Hujus in poſtico Hebdomadarii conveniebant. 132. n. 33.

Cappellani v. Hebdomadarii.

Capitulares iidem ac Canonici. 79. n. 66.

Capitulares conventus cur dicti *Anniverſaria*. 300.

Capituli notio. 78. n. 66.

Capituli lectio unde ſibi nomen quaeſivit. 269. n. 32.

Cardinalium nomen clero primario Eccleſiae Neap. tributum 117. n. 15.

Cardinalium deſcriptio n. 3. pag. 245. notio 251. c. 2. n. 14. origo. 253. c. 2. & ſeq. n. 17. p. 253. ſoli presbyteri urbanorum titulorum Cardinales olim vocabantur. 253. n. 18. p. 254. quando Diaconi ita quoq. vocati. 254. c. 2.

Cardines qui. 253. n. 17.

Carnisprivium quid. 274. n. 12.

Carpita quale. 274. n. 13.

Caſtrum idem ac oppidum & caſtellum. 223. n. 36. item eſt Vrbs Epiſcopali ſede carens. Ib.

Caſtrum cum Inſula a Conſtantino donatum non aliud a Lucullano caſtro. 213. n. 22.

Cato Vticenſis tutor Luculli 209. c. 1.

Cathedrales non alii a Canonicis Cathedralis Eccleſiae. 78. n. 66.

Cathedralis eccleſia. v. Hodierna Cathedralis.

Καθέδρας vocabulum presbyteris & Epiſcopis commune 111. n. 7.

Cellarii & Cellararii vocabulum monaſticum 141. n. 39.

Cellarariis olim chori moderatio incumbebat. 298. c. 2. p. 303. c. 1.

Cereus Paſchalis cujus olim magnitudinis. 12. n. 13.

Cerra idem ac Acerra. 222. n. 30.

Certamen declamatorium Neapoli celebratum. 102. n. 5.

Ciboriorum Evchariſtiae quae olim forma. 14. n. 21. praeſens conſuetudo taxatur. Ib.

Cifrae ſeu numerorum notae a quibus inventae. 278. quando apud Europaeos inductae. Ib.

Cimeliarchae praerogativae. 126. n. 23. a Conſtantino Neapoli inſtitutus. 229. c. 1. & n. 2.

Cleri nomine Canonici veniunt p. 78. n. 66.

Coenobium S. Petri ad Caſtellum ubi ſitum 224. n. 40. cum monaſterio S. Sebaſtiani adnexum. 226. n. 41.

Colatura quid. 214. c. 2.

Collectarum nomen & conſuetudo. 128. n. 24.

Collegium proprie de Canonicis dicitur. 121. c. 2.

Comites qui. 275. n. 16.

Comiti Neapolitani antiquitas. 260. notitia Ib. & 261.

Confratantiae. v. Fratantiae.

Con-

Digitized by Google

Congregationis nomen unde petitum. 141. n. 39.
Conſtantia Henrici conjux a Tancredo capta. 223. n. 34.
Conſtantiniana eadem ac S. Salvatoris Baſilica. 6. contraria opinio notatur. n. 8. difficultas diluitur. 7. & ſeqq.
Conſtantinus M. Neapoli baſilicam exſtruxit. 5. eiq. inſulam cum Caſtro donat. Ib. & 200. c. 2. an Oratorium S. Reſtitutae aedificaverit 190. & n. 88. & Canonicatus inſtituerit Ib.
Conſtantinus Conſtantis F. an auctor Canonicatuum & Oratorii S. Reſtitutae 189. & ſeqq.
Copiatae in Graeca Eccleſia qui. 143. n. 40.
Coronae in Apſide S. Reſtitutae quid denotent. 24.
Crypta Puteolana. 227.
Crypta Sejani. 207. c. 2.
Cubicula quae. 43. n. 35. unde ſic vocata. Ib. non alia ab Oratoriis. Ib.

D

Decius Archiep. Neap. hodiernam S. Reſtitutam pro Cathedrali primaeva habuit. 306. c. 1.
Deponere quid apud Eccleſiaſticos ſcriptores notet. 251. n. 13.
Depulſare campanam quid. 264. n. 11.
Diaconiae quae. 252. c. 2. p. 277. n. 34. quot numero eae fuerint Neapoli. Ib. n. 16. quando inter titulos Cardinalitios adſcitae. 254.
Diaconi Canonici Eccleſiae Neap. quando cardinalitiam dignitatem adepti. 258. c. 2. an unquam Presbyteris praelati. 258. c. 2. & ſeq. cur horum major ratio ſupra presbyteros in Inventario S. Athanaſii. 275. n. 27.
Dietae quae. 43. n. 35. hujus vocis vera orthographia. 211. n. 21.
Diploma ineditum Rogerii illuſtratur. An. p. XXIX. n. 20.
Diploma ineditum Henrici Imp. illuſtratur. An. p. XXX. n. 22.
Doctorum cultus in Eccleſia vetuſtiſſimus. 43. n. 35.
Domini praenomine qui donabantur. 174. n. 74. p. 176. n. 75.
Duplerii notio & etymologia. 159. c. 2.
Duplicis crucis origo unde fluxit. 159. & ſeq. 181. n. 81.
Duplicitas Cathedralis materialis Neap. evertitur ex antiquorum ſilentio. 95. ſeq. Ex eo quod Eccleſia Neap. abſolute ſemper memoretur. 96. & ſeq. ex unico Dedicationis feſto. 98. objectiones diluuntur. 99.
Duplicitas coetuum Eccleſiam Neap. repraeſentantium ſubmovetur. 115. & ſeq.
Duplicitas Epiſcoporum Neap. multis refellitur. 105. & ſeqq. Diluuntur Objecta ex ſubſcriptione Calepodii. 107. ex Auctore vitae S. Athanaſii 109.

E

Eccleſia Cathedralis v. Stephania.
Eccleſia S. Andreae Apoſt. ubi ſita. 59. n. 50.
Eccleſiae Graecorum quae fuerint Neapoli. 112. Epiſcopo & Capitulo ſigna quaedam ſubjectionis exhibebant. 114.
Eccleſia S. Januarii a quo conſtructa. 44. ubi ſita. 47. a Maria Toleta ornata. 48. ab ea Eccleſia nomen mutuata eſt Stephania. 45. An. p. XIII.
Eccleſia SS. Petri & Anaſtaſiae ubi ſita. 32.
Eccleſia Neapolitana abſolute poſita, eſt Cathedralis. 97.
Eccleſia Neap. numquam CPolitano Patriarchae ſubjecta. 114. ſeq.
Eccleſiae pro Oratoriis uſurpatae. 38. ſed diverſae a Capellis hodiernis. 38. n. 31. p. 43. n. 35.
Egipius Abbas Lucullanenſis 201. c. 2. ejus nominis orthographia. Ib. n. 3.
Emphyteuſeos primaria notio. 81. in Emphyteuſim etiam Eccleſiae datae. Ib.
Epiſcopii nomen quam late pateat. 29. & 31. n. 25. pro Cathedrali uſurpatum. 97. Epiſcopale hoſpitium ubi olim ſitum 29. & 34. n. 28. quis conſtruxerit. Ib. pene ruinoſum deſeritur a Guindatio. Ib. reparatum & exornatum ab Oliverio Carafa. Ib. Henricianum ubi ſitum 35. c. 1. in Seminarii uſum poſtea traductum. 34. n. 28.
Epiſcopos duos in urbe una ordinari vetat Conc. Nicaenum. 106. & Lateranenſe. 112.
Eugenius IV. Xenodochium Athanaſianum adnectit noſocomio Adnuntiatae. An. p. VIII. id diploma illuſtratur 287.

Digitized by Google

Euſtorgius de Bellante Can. Neap. legem Concilii Trid. Canonicatus ſacris ordinibus adnecti jubentem diſſuadet. 301.
Eutitianum ſtatutum quid. 299. n. 9.
Expendo pro Erogo. 160. c. 2.

F

Facere interdum idem ac reficere 13.
Facetiae quid. 230. c. 1. idem ac Acclamationes. Ib. v. Squaraſtaſe.
Falernus v. Pauſilypus.
Fons Epiſcopi qui. 273. n. 10. cur ita dictus. Ib.
Foreſtiarii qui. 275. n. 17.
Formula aut Forma quid. 265. n. 87.
Fratantiarii qui. 136.
Fratantiarum Eccleſiae Neap. conſpectus. 135. n. 34. in quo differunt ab Hebdomadis. 139. 176. n. 76. p. 262. n. 5. an repetendae a Graecis Neap. Reip. inſtitutis. 139. ſeq. harum vera origo. 141. ſeq. epocha. 143. ſeq. earumdem effigies monaſticae inſtitutioni ſimillima 144. ſeq.
Fratriae antiquae Reip. Neap. 139. n. 38. harum nomina quaedam, Ib.
Fratriarum ordo divinorum officiorum. pag. 260. & ſeqq.
Fratrum nomen unde deductum. 141. n. 39.
Funus idem ac Feretrum. 161.

G

Graeco-Latina pſalmodia Neapoli celebrata. 116. n. 14.
Granciae quae. 136.
Gregorius XIII. Canonicis onus a Pio V. impoſitum ex parte levat. 304. c. 2.
Guilelmus Guindatius Archiep. Neap. Epiſcopium prope ruinoſum deſeruit. 34. n. 28. a Clemente VII. Antipapa Neap. Archiep. fuit renuntiatus. Ib.

H

Hannibal de Capua Archiep. originem Hebdomadariorum ſibi non liquere teſtatur. 130. n. 29. p. 131. n. 31. p. 288. & ſeqq.
Hebdomadae in quo differant a fratantiis v. Fratantiae.
Hebdomadae primitivae a novis diſtinguendae. 175. viris nobilibus & Canonicis deferebantur. 148. n. 42. p. 176. n. 75. harum tres Bernardus Archiep. Hebdomadariis novis adnectit. 175. ſeq.
Hebdomadae quatuor a Leonardo Pagano fundatae. 174. ſeq.
Hebdomadarii Clerici ſeu Confratres Pauperis Congregationis Salvatoris. 119. n. 20. p. 127. nec non Socii Cimeliarchae ab Anſelmo vocantur. 126. n. 23. a quo ab omni collecta eximuntur. 127. ſeq. horum corpus Pauper Congregatio dictum 127. & Capitulum Cimeliarchae. 126. n. 23. a Canonicis ſublevantur. 119. n. 20. ſepulturam a Capitulo impetrant. 119. n. 21. Hi non alii a fratantiariis 131. 137. Objectiones diluuntur. 137. & ſeq. Quae olim munia perſolvebant. 143. n. 40. quandonam nomen & gradum Hebdomadariorum conſecuti. 145. & ſeq. originem ſuam falſo repetunt ab S. Athanaſio. 121. p. 293. & ſeqq. objectiones diluuntur. 123. horum origo *non liquebat* Hannibali de Capua Archiep. 130. n. 29. p. 131. n. 31. p. 288. & ſeqq. in Inventario Hoſpitalis Athanaſiani praeteriti. 274. n. 15. horum nulla mentio ante Vrſinum Archiep. 155. a quo inſtituuntur. 162. ſeq. quo tempore. Ib. & p. 274. n. 15. ad XXII. presbyterorum numerum rediguntur 164. & n. 67. a Capitulo dotati. 168. ſeq. Canonicis in onus quotidianum ſubrogati Ib. & 168. n. 69. Ab Vrſino vocantur Hebdomadarii Eccleſiae Neap. S. Reſtitutae. 171. qua de cauſa. 172. & ſeq. in S. Reſtituta quoq. Canonicis deſerviebant. 173. n. 72. Horum corpus quando congregatio Salvatoris cum adiectione *Veteris* dictū. 177. & ſeq. quamobrem. 179. & ſeq. p. 286. n. 6. A Paullo III. *Cappellani* vocantur. 180. & ſeq. cauſa aſſignatur. 296. & a Pio V. *perpetui beneficiati*. 304. c. 2. *Presbyterorum de choro* nomen cū [illegible] Quadraginta commune habuere. 184. n. 86. imo interdum [illegible] *Quadraginta* nomine veniunt. 185. c. 2. hujus rei cauſa deſignatur. 186. facta a Capitulo poteſtate prodeunt ad exſequias. 119. n. 20. funerariam quaeſtionem movent Canonici S. Joannis Majoris. 90. fallax ſyſtema producunt. 91. n. 2. ad Capituli patrocinium confugiunt. 93. & ſupplicem ei libellum offerunt. Ib. & 94.

Digitized by Google

Hebdomadarii appellatio unde manarit. 141. n. 39. significatio. 265. n. 15.
Henricus Minutulus hospitium Episcopale quo transtulit. 34. n. 28.
Hodierna Cathedralis a quo constructa. 50. in hanc veteris Cathedralis reliquiae translatae. 63. quando dedicata. 77. novis ministris instructa. 146. & seq. proprium Canonicorum peculium. 245. n. 3.
Hortorum nomine interdum Villae veniunt. 209. c. 2.
Hospitale Athanasianum. v. Athanasianum.
Hospitii Episcopalis variae vices. 34. n. 28. vide Episcop. Hospit.
Humbertus Archiep. novis ministris novam Cathedralem instruxit. 146. & seq. hujus Constitutio explicatur. 148. & seq.

I

Janua chori quo spectabat. 300. c. 1.
S. Januarii cultus Neapoli vetustissimus. 41. Caput & sanguis Neapolim quando translata. 42. sub altari recondita. Ib. thecis argenteis inclusa. 50. & n. 43.
S. Januarii liquescentis cruoris epocha. 50. n. 43. & p. 52. v. Rosalia. Ecclesia sive oratorium a quo constructa. 43. & 44. n. 35. nomen Cathedrali impertiit. 45. & seq. quando. Ib. ubi sita. 47. & seq.
Jejunium vigiliae subrogatum. An. p. IX.
Imago pro vexillo. 232. n. 12.
Incarnata effigies quid. 77. n. 65.
Indictio CPolitana Neapoli usitata. 152. n. 62. quatenus in usu fuit. 178.
Inscriptio Aversana inedita producitur, & illustratur. 211. n. 21.
Inscriptio Graeco-Latina Neap. Tito posita an index sit Neapolim fuisse coloniam. 234. suppletur & illustratur. 235. & seq. Qua parte latina est quo tempore scalpta. 237. quare latine reddita. 240. c. 1.
Instaurare medio aevo idem ac Instruere. 80. Instaurum idem ac Instructum. Ib.
Instauritarum vera notio. 81. Idem ac Stauritae. 82. n. 68.
Insula a Constantino Ecclesiae Neap. donata non alia a Nesside. 216. c. 2. quando Salvatoris nomen adscivit. 217. c. 2. & quare. 218. & seq. & 219. n. IV. cur Major dicta. 219. c. 2. an eadem sit ac Megaris. Ib. & seqq. adita fuit ab SS. Athanasio, & Patricia. 217. & seq. cur dicta Parva insula. 217. c. 2. quantum distet a Neapoli. 220. n. 28.
Insula Salvatoris cum Castro quot solidos pendebat. 216. c. 1. A Francisco Carafa Archiep. Neap. in Emphyteusim data. Ib. c. 2.
Interdictum generale quando in usu esse coepit. 267. n. 27. quomodo per id tempus officia divina persolvebantur. Ib.
Intrandi significatio peculiaris. 150. n. 49.
S. Joannes scriba corpora SS. decessorum in Stephaniam infert. 61. n. 53. S. Januarii caput & cruorem Neapolim convexit. 44. & seq. Joannis sepulcrum ubi olim situm. 61. quo postea translatum. 62. ventris verminatione tentatos curat. 63.
Jocunda quae. 277. n. 35.
Iscla unde nomen invenerit. An. p. XXIX. n. 21.
S. Julianiffae appellatio unde prodiit. 250. n. 11.

L

Latinarius & Latinator idem ac Interpres. 231. c. 1.
Latine idem ac Vulgariter. 231. probatur Italorum auctorum usu. 231. n. 9.
Latinus sermo quando Neapoli usurpari coepit. 101.
Legendae notio. 192. n. 90.
Lucullanum castrum memoratur in vita S. Sylvestri. 200. c. 2. a Marcellino. Ib. & seq. Athalarico. 201. c. 1. Egipio. 201. c. 2. Isidoro. 202. c. 1. Gregorio M. Ib. & in itinerario S. Wibaldi. 202. c. 2. Ne barbaris pateret, evertitur. 203. quo tempore. 204. n. 11. in Megaride non collocandum. 205. & seq. cujus olim fuerit magnitudinis. 206. n. 13. ipsius Campus Martius. 206. n. 14. Principis aerario attributum. 208. n. 19. in Balneolana regione situm. 211. & seq. quando in castri formam concreverit. Ib. ad thermas S. Germani. 213. & seqq. & ad Agnani lacum usque pertinuit. 215. quando in Megaride falso statui coepit. 225. & seq. erroris causa aperitur. 227.
Lucullanae Villae pisces Cato tutor venumdedit.

Digitized by Google

dedit. 208. n. 19. a Procuratore Caesaris administratae. Ib.
L. Lucullus maritima flumina in suas piscinas immittit. 207. c.2. quamobrem montem perfodit. 208. n.17. eo nomine Xerses togatus appellatur. Ib.

M

Macharis an idem ac Megaris. 219. n.V.
Magistri scholarum in Ecclesia Neap. qui. 169.n.69. p.274. n.15.
Major Ecclesia ipsa est Cathedralis. 97.
Mantellum monachis & laicis commune. 269. n.35. idem ac cappa. Ib.
Mansionarius. v. Paramonarius.
S. Mariae de Principio musivaria imago. v. Musivum. Ejus dedicatio quo die celebrata. 84.
Marinus Archiep. Neap. quamdiu vixerit. An.p.XXIX. De eo monumentum ineditum producitur, & explicatur. Ib. n.20.
Marius Carafa Seminarium construxit. 36. in Adnot.
Martyrum reliquiae nusquam nisi sub Altari collocatae. 46. p. 38. n.31.
Martyrologii lectio qua parte divini officii olim recitata. 268. n.29.
Matthaeus Cancellarius sub Tancredo Rege. 222.n.29. ab Ebulensi Poeta taxatur. 223. c.1.
Matutinus masculino genere. 176.
Megaris Insula minor dicta. 219. c. 2. Arx ovi. 220. c. 1. & *scopulus* a Pontano dicta. 220. n. 28. hujus duplex etymologia. Ib. quantum distat a Neapoli. Ib. describitur a Petro de Ebulo. 222. c. 2. a quo Salvatoris nomine donatur. Ib. necnon a Falcone Benev. 223. c.2. quando Insula Salvatoris vocari coepit. Ib. & quare. 225. c. 1. quando Castrum Lucullanum dicta. 225. & seq. hujus appellationis causa. 227.
Memoria idem ac conditorium reliquiarum. 263. c.1.
Meritorium substantivum latinitati restitutum. 212. c.2.
Milites Ecclesiastici qui. 163. n.65. horum munia. Ib. clerici erant. Ib.
Militiae i. e. Militum Cathedralis praebendae quid. 163. n.65.
Musivaria ars quando & a quo in Italiam revocata. 75.
Musivum hodiernum S.M.de Princ.cujus sit antiquitatis.75. cui subrogatum. 77.n.65.

N

Neapolis an fuerit colonia Rom.101. & seq. quid de hoc senserint Nostrates scriptores. 234. & seq. ex inscriptionibus coloniam fuisse Neapolim ostenditur. 238. sub Septimio Severo adhuc colonia erat. 238. quando jura coloniae impetravit. 238. c. 2. sub Domitiano ejus epocha figenda videtur. 240. quamdiu coloniae nomen servavit. 241. quo genere regiminis ante jura coloniae impetrata fruebatur. 242. Strabonis aevo Graeca fuit. 100. & seq. a Graecismo quando excidit. 103. & seq. A Gothis occupatur. 104. a Ducibus Neapolit. regitur. 105. Metropoliticam dignitatem impetrat. 114. & quando. An. p.XXVII. a potestate Graecorum se subtrahit. 106. habitatoribus prope vacua repletur. 204. n.11. quam Reip. imaginem sub Graecis Imperatoribus. 143. n.3. & sub Nortmannis prae se tulerit. 222. n.3. p.243. n.3.
Neapolitana vetus Cathedralis cur S. Januarii appellata. 45. & seqq.& 45. n.37.quando ita vocari coepit. 46. & seq. ejus rei Monumentum ineditum illustratur. An. p. XXX. n. 22. cur S. Restituta dici coeperit. 54 & seq.
Neapolitana dialecto quis primus historiam conscripserit. 85. n.70.
Neapolitani origine Graeci. 102. n.5. quatenus Graecis studiis indulsere. 102.quando ad instituta Romanorum deflexerunt. 103.& seq. horum mira hospitalitas. An. p. VII. & n.7. Fratriae Neap. 139. n.38.
Nesidanum Monasterium. 218. & n. I.
Nesis Lucullanae Villae pars. 209. c. 1. vide Insula.
Nicetas an fuerit primus Neap. Archiepiscopus. 115. n.13. An. p. XXVII.
Nicolaus de Diano Archiep.donat Congregationi Salvatoris Ecclesiam S.Joannis. 180.
B. Nicolaus Eremita quo tempore vixerit. 72. ubi & quando sepultus. Ib.

Digitized by Google

O

Odoacer Auguſtulum Imp. in Lucullanum relegat. 200. c.2.
Offerta & Inferta verba ſynonyma. 188. c.1.
Officium Capituli quid. 269. n.32.
Oliverius Carafa Archiep. Neap. Epiſcopale hoſpitium fatiſcens reſtituit. 35.
Oratio pro Conſtantino M. in Eccleſia Neap. recitata. 61. n.58.
Oratio Dominica in principio divinorum officiorum quando recitari coepit. 265. n. 18.
Oratoria diverſa a capellis hodiernis. 38. n. 31. & quae olim fuerint. Ib. p.252. c.2. & n.15. non alia a cubiculis. 43. n. 35. haud raro Sanctis inſcripta. Ib.
Ordo Divinorum Officiorum in fratriis Neapolitanis uſurpatus. 261. & ſeqq.
Oſtiolum v. Regiola.

P

Paramentum quid. 286. n.4.
Paramonarius idem ac Manſionarius. 161. c.1. ejus officium. Ib.
Paſſiare quid. 273. n. 3.
Patriarcha CPolitanus nullum jus in Eccleſia Neap. habuit. 114.
S. Patricia Neſidem adit. 217. quo tempore. 218. c.2. ibiq. mortua. 217. c. 2. & 218. n. 27.
S. Paulus Senior Epiſcopalem ſedem aliquandiu in extramurana B. Januarii eccleſia tenuit. 99. & ſeq. 107.
Pauſilypum neutro genere. 210. n. 20. fuit villa Vedii Pollionis. Ib. poſtea Auguſti. Ib. ſedes fuit procurantium finitimas villas Caeſareas. 208. n.19.
Pauſilypus mons qui. p. 210. n. 20. antea Falernus mons nuncupatus. Ib.
Pauſium quid. An. p. VII. n. 8.
S. Peregrinus Scotorum Regis filius Neapolim appulit. 50. n.43. an interfuit prodigio ebullientis ſanguinis B. Januarii. 51.
Periſterium quid. 14. n. 21.
Philoſtratus in declamatorio certamine Neapoli ſe exercet. 102. n.3.
S. Pius V. quid in diſciplina chori ſtatuerit. 303. & ſeqq.
Plancae quae. 262. n. 3.
Platea Capuana ubi ſita. 57. n.46.
Playa (Chiaia) olim latius patebat. 204. n.11. Lucullanum complectebatur. Ib.
Portale ſeu Porticale quid. 232. n.10.
Praefectura Aſiana, & Africana cur Cardines vocabantur. 253. n.17.
Praeſtariae v. Precariae.
Praeſulis nomen Epiſcopo & cuivis praepoſito commune. 111. & ſeq. elegans acceptio apud Ambroſium. Ib. n.9.
Precariae quid. 82.
Presbyterorum nomen Hebdomadariis cum Quadraginta commune. 184. n. 86. interdum ſolis Hebdomadariis peculiare. 185.
Primam Eccleſiam Neapoli quis exſtruxerit. 3. quomodo ea nuncupata. 5 & ſeq.
Primiceriatus in Eccleſia Neap. quando datus in patronatum. 291. n.7.
Procuratores Caeſaris qui. 208. n.19. unde horum orta neceſſitas. Ib.
Protopapae an fuerint Neapoli. 110.
Puteolos quando ſit deducta colonia. 238. c. 2.

Q

Quadraginta Presbyteri qui. 181. ubi horum fit mentio. Ib. coaevi & ſodales Hebdomadariorum. 182. quid diſcriminis inter utroſq. Ib. cur ſic vocati. 183. & n.84. ſine titulo & mercede deſerviebant Eccleſiae. 183. n.85. quando immobilitatem nacti. 184. *Presbyteri* aeque ac Hebdomadarii nuncupati. 184. n. 86. Quadraginta nomen octonis denis cum Hebdomadariis commune 185. c.2. cujus rei cauſa deſignatur. 186. c.2. quando id nomen de XVIII. Presbyteris peculiariter uſurpari coepit. 187. & n. 87. ab his feſtum Circumciſionis peculiariter celebratur. 187. n. 87.

R

Regiola apud Eccleſiae ſcriptores quid. 43. n.35.
Reliqua & Reliquarium. 113.
Repauſandi notio peculiaris An.p.VII. n.8.
S. Reſtitutae reliquiae quando Neapolim translatae. 190. n.88. una cum S. Joannis Scribae reliquiis ſuperſunt adhuc in Stephania. 63.
S. Reſtitutae antiquius Oratorium diſtinctum

Digitized by Google

ctum ab hodierna S. Reſtitutae baſilica. 39. quis exſtruxerit. 190. & n.88. ubi ſitum. 38. n. 32. huic donat Siginulfus Caſtrum S.Angeli de Monte ad Criſtam.74. Capitulo donatur a Conſtantino. 82. ejus dedicatio quo die celebrata. 84. poſt inde avectas reliquias S. Reſtitutae quamdiu ſteterit. 85.

S. Reſtituta hodierna non alia a Stephania. V. Stephania. non ſtatim poſt novam Cathedralem *Major* ſeu Neapolitana Eccleſia vocari deſita eſt. 172.

Retendere idem ac relaxare. 77.

Rhegium Strabonis aevo graeci oris & inſtituti. 101.

Riccardus comes Ayelli donat bona ſua cuidam Frateriae Salernitanae. 262. c.2. hujus donatio explicatur. Ib.n.2.& ſeq.

Ritus ſeu Conſuetudines Eccleſiae Neap. quando prodierunt. 156. quem habent auctorem. Ib.

Rogerius Rex ἀνωνομίαν Neapolitanis reliquit. 222. n.33. p.243. Majori Eccleſiae Neap. Eccleſiam S.Sabini conceſſit. An. p. XXIX. n.20.

Roſalia quae. 53. c.2. a CPolitana Eccleſia Neapolim traducta. 54. c.2. in honorem B. Januarii celebrata. 53. c. 2.

S

Sabate lacus in Etruria. 214. n.24.

Salvatoris Eccleſia a Conſtantino M. erecta Neapoli. 5. dotata ab eod. Caeſare. Ib. & p.216. c.1. renovata a Stephano epiſc. p.12. a quo ſibi nomen quaeſivit. 13. eadem ac Stephania. V. Stephania.

Salvatoris Inſula Eccleſiae Neap. donata. V. Inſula.

Salvatoris effigies in apſide S.Reſtitutae cujus ſit antiquitatis. 19. n.22. poſtea interpolata. Ib. & quo tempore. Ib.

Salvatoris cum adiectione Veteris Congregatio. 177.& ſeqq.132. n.32. ejus rei cauſa deſignatur. 179.& ſeq.p.179.n.78.huic Congregationi ob exilitatem fructuum Ludovicus Boczutus Eccleſiam S. Mariae de Mundulis, & S. Praxedis conceſſit. 178. eademq.de cauſa Nicolaus de Diano ipſi donat Eccleſiam S. Joannis de Villa Marianellae. 180.

Sanctorius (Julius) ad chori frequentiam hortatur Canonicos. 303. Eccleſiam hodiernam eſſe propriam Canonicorum dicit. Ib. & 245. n. 3.

Sanctuaria idem quod Reliquiae. 201. n.4.

Scallium quid ſit, curve damnetur. 160. c.2.

Sedendi verbum Epiſcopis & Presbyteris commune. 111. & n.7.

Sedis vox non ſolum de Cathedralis ſed & Collegiatis uſurpabatur.111. n. 8.

Seminarium Neapolit. quis exſtruxerit. 34. n. 28.

Sepultura a Capitulo Hebdomadariis conceſſa. 119. n.21.

Sergius a Patriarcha CPolitano Archiepiſcopatum impetrat.114.a Pontifice Rom. veniam impetrat. Ib.

Sergius Archiep. teſtandi facultatem beneficiariis concedit. 223. n. 33.

Servitium idem ac officium. 59. c.1.

S. Severini corpus in caſtrum Lucullanum translatum.201.c.2. hujus frequens mentio apud Gregorium. Ib.n.4. & 202. c.1. in Mauſoleo a Barbaria conditur.201.c.1. Neapolim transfertur. 203. & ſeq. & in cognomine Eccleſia tumulatur. 203. n.8. & 204. c.1.

Sibilia Tancredi conjux. 222. n.30. ab Ebulenſi poeta notatur. Ib. n.32.

Sico Beneventanus corpus S. Januarii abſtulit. 42. quo tempore. Ib.& p.283. c.2.

Sigilli Hebdomadariorum cum nota S.Athanaſii antiquitas refellitur.130.n.29.p.131. n. 30.

Siginulfus donat Canonicis & S. Reſtitutae oratorio caſtrum quoddam. 74.

Soccia ſeu Socia quid. An. p. IX. c.2.

Solaria & solariatum cubiculum quid. 30. n. 24.

S. Soſii Mart. translatio. 206. n. 15.

Soteriani fontes Majores. 26. n. 23.

Squaraſtaſe graecum vocabulum. 230. c.2. idem ac officioſae acclamationes. Ib. & *Facetiae*. Ib. *Ludus* & *repraeſentatio* ab Vrſino interpretatur. 232.& ſeq. cur inter latiales voces referatur. 231. c. 1. a Graecis Capitulo & Archiepiſcopo Neap. perſolvebatur. 117. & n. 17. p.232.

Stadium ſub Caeſaribus cujus moduli intervallum.

Digitized by Google

vallum. 221. n.28.c.1. an unius Neapoli ſemper dimenſionis. Ib.
Stauritae. V. Inſtauritae.
Staurum. V. Inſtaurum.
Stephania cur ſic vocata. 13. an a Coronis. Ib. & ſeq. eadem ac Conſtantiniana. 13. a Raynerio deſcribitur. 14. n.21.non alia ab hodierna S. Reſtituta. 18. & ſeqq.probatur auctoritate Alberici. 56. & Joannis Cimeliarchae. 61. & Chronici S.Mariae de Principio. 67. & Vitae B. Nic. Eremitae. 72. & Verſuum Muſivi S.M. de Princ. 74. & ultimorum temporum ſcriptorum ſuffragio.87. & ſeq. Ejus porta quo ſpectavit. 68. n. 60. ubi atrium. An. p.VI. & X. c. 2. ubi tribunal ſitum. 70.& An.p.IV.& ſeq.ubi Ambones. 19.n. 22.qua de cauſa nomen S.Januarii adſciverit.45.& ſeq. An. p. XXX. n. 22. & S. Reſtitutae. 54. ad inſtaurum data fuit Capitulo. 81. & quare. 82. & ſeq.
Σταβάριον quid. 22.
Syſtema duplicis Cathedralis ab Hebdomadariis inventum. 91. & n.2. refutatur.Ib.

T.

Tareni Siculi cujus valoris. 262. n.4.
Tarentum Strabonis aevo Graeci oris & inſtituti. 101.
Thalamus idem ac Orcheſtra. 232. n.13.
Theodimus rector diaconiae S. Andreae ad Nidum. 252. n.16.
Theſaurus novus B.Januarii quando conſtructus. 49. An. p. VIII. & ſeq.
Theſaurus vetus B. Januarii ubi ſitus. 47. refectus a Maria Toleta.Ib.n.39.p.48.n.40
Thermae S. Germani ubi ſitae. 213.c. 2. cur ita dictae. 214. c.1. in harum vicinia Lucullanum erat. 213.& ſeqq. cur Angulanae vocatae. Ib.
Thoracida quid. 22.
Tituli non alii a Parochiis. 253.c.1. p.255. n.21. a presbyteris procurati. 253.c.2. cur Cardines vocati. 253.n.17.
Tortitii etymologia & notio. 159.c.2.
Tractim dicere quid. 266. n.22.
Traditio quae & cui opponitur. 169.
Tribunal Stephaniae attiguum Oratorio S. Joannis ad fontes. 70.
Θρόνος. V. καθέδρα.
Turris Campanaria Stephaniae ubi ſita. An. p.IX.c.1. a quo conſtructa. Ib.& p.XIII.

V.

Verſus ad inſtar Phoenicis deſcripti quid notent. p.12. n.15.
Veſtaranus ſeu Veſtararius qui. 161. c.1.
Veſuvius & Vesvius ſemper cum vocabulo Montis copulatus. 237.n.1. exemplis veterum ſcriptorum comprobatur. Ib. Minucii locus reſtituitur. Ib.
Vetus Eccleſia S. Reſtitutae. V. S. Reſtitutae antiquius Oratorium.
Via Puteolana vetus qua decurrerit.215.c.2. nova quae. 227. c.2.
Via Campana prope Puteolos ſtrata. 202. c. 2.
Vicus Spurianus unde dictus. 211.& ſeq.
Vicus Vrbanus. 212. c. 1. extramuranus. Ib. c.2.
Vigiliae quae. An. p. IX. quando celebrari deſitae. Ib. Neapoli diutius in uſu fuere. Ib. & p.275. n.21.
Villae Hortorum nomine veniebant. 209. c.2. neutro genere efferebantur. 210.n.20.
Villici qui fuerint. 209. c.2.
Vincentii Baptiſterium. 26. n.23.
Vncia auri cujus valoris. 262.n.4.p.273.n.8.
Vocabula quaedam Hebdomadariis,& Confratribus cum Monachis communia. 141. n. 39.
Vrbanus idem ac Concivis. 222.n.32.
Vrſini Archiep. Neap. Exſequialis conſtitutio. 157. n. 63. explicatur. 159. & ſeqq. hujus rituum ſeu conſuetudinum notitia. 156.
S. VVillibaldus in Lucullanum divertit. 202. c.2.

X.

Xenodochium Athanaſianum. V. Athanaſianum Xenodochium.
Xenodochii Athanaſiani Inventarium. V. Inventarium.

Z.

Zeta. V. Dieta.

FINIS.

PEREMPTORIVM

Digitized by Google

PEREMPTORIVM EDICTVM

Pro hodierna Sancta Reſtituta (quae in judicio de Stephaniae tuenda poſſeſſione conflictatur) poſtulante a praetore (1) vindicias

PROPOSITVM IN ANNI CIↃIↃCCLII.

Primum faſtum diem.

Pinione citius Viri Maximi (cujus laudes mox initio Partis I. pro virili exſequar) *Scriptorum Italicorum* tomus alter hoc ineunte anno 1752. Neapoli apparuit, qui anno ſuperiore 1751. Romae excudi deſierat: quo volumine praeter eximias rerum abditarum opes, magnam partem id dat operam ut hodiernam *Sanctam Reſtitutam*, juris Canonicorum Neapolitanorum baſilicam, de vetere poſſeſſione (qua ſe Stephaniam fuiſſe gloriatur) ab uſque initiis VI. ſaeculi ad hoc XVIII. continuata dejiciat. Hinc ab eadem Sancta Reſtituta miſeris modis afflicta atque vexata, impetrato edicto peremptorio, ultima haec poſtulantis vindicias, ſibique ſaltem ex Edicto *Vti poſſidetis* aſſerentis poſſeſſionem, actio intenditur. Interim optimus quiſque (quoſcumque ſive neceſſitudo, ſive amicitia, ſive Matronae ſanctiſſimae capitali ſummae exiſtimationis judicio ja-

(1) *Litem vindiciarum* intelligo, qua poſſeſſio rei, de qua controverſia eſt, a praetore petitur, auctore Aſconio ad III. Verr. Res tritior erat, quam ut monitore opus fuerit.

ctatae miſericordia tetigerit) rogantur, uti frequentes periclitanti huic advocati adſtent, ac etiam veſte mutata, ſi videtur.

Atque haec actio univerſa in partes duas tribuetur: quarum prior ἐν δίκῃ εἰσαγωγῇ verſabitur; qua & occaſio mantiſſae hujus, ſimulque de Sancta Reſtituta tum antiquiore tum hodierna Curae poſtremae alibi propoſitae repetuntur: altera vero ad reprehenſionum Viri ſummi maculas eluendas ſpongiam admovebit.

ACTIO PRIOR ΕΙΣΑΓΩΓΙΜΟΣ.

CAPVT I.

NARRATIO. Controverſiae ſtatus, ſimulq. neceſſitas hujus poſt finitum librum, poſtque appoſitos indices, mantiſſae, lectori exponitur.

§. I. *Auctarii hujus occaſio.*

Vere primo ſuperioris anni 1751. cum ad opus (2) damnatus medio labori ingemerem, atque Oaſim quamlibet mihi optabiliorem putarem, quam ut homo id aetatis ac valetudinis rebus ſalebroſiſſimis unaque inſuaviſſimis inſudarem; renuntiatum mihi fuit, virum hujus aetatis longe maximum

(2) Nihil a me verius afferri poteſt, quam me mihimet viſum ad metalla damnatum, quo tempore ad hanc de Cathedrali noſtra curam deſcendum fuit. Sciunt non tantū collegae mei ornatiſſimi, ſed & ii omnes, quibuſcum ſermo incidit. Quid enim? Labor videbatur improbus; idem vero & inglorius. Nam ſi famae expandere vela fuiſſet animus; eſſe mihi jamdiu domi nata plurima, omnes amici expoſtulant, quae facili expolita negotio produci potuiſſent: quae in tenebris opprimi conquerentur, dum aliud ex alio me ab iis depromendis avocat, ac porro avocabit. Nec enim finis ullus.

Digitized by Google

mum [de cujus infinita eruditione, alacritate ingenii prope divina, rebus gestis, dignitate primaria, ceterisque laudibus; satius est a me aliquid inferne (3) allini, quam viatorem in ingressu itineris detineri] virum hunc tantum, inquam, mihique in quo caput est (4) amicissimum, Josephum dico Assemanum, hoc a se impetrari sivisse, ut Ecclesiae Neap. Hebdomadariis de primatu (5) cum suo Capitulo contendentibus auxilio veniret, meosque pro Capitulo qualescumque conatus comprimeret. Id vero paullo post etiam ipsius viri summi in hanc regiam urbem adventu comprobatum fuit. Qui, tametsi mecum, dum nos mutuo saepe inviseremus, ne verbum quidem de

(3) *Josephi Assemani laudes summatim expositae.*

Ne singulis paene versibus, quoties hic Noster mihi nominandus erit, cogar elogia intexere, eaque, uti moris est, variare, ut idem modo *Vir summus*, *Eruditissimus*, *Incomparabilis*, modo aliis justissimis laudibus a me donetur; malui semel in hoc ipso hujus auctarii vestibulo defungi hoc officio: idq. ea quoq. de causa, ut non tantum apud Neapolitanos homines (qui vix quidquam a me saepius quam Assemani laudes audiunt) sed & apud exteros, qualecumq. meum de hoc viro tanto judicium in omne futurum tempus sit testatissimum.

Ac primum mira & incredibilis Josephi Assemani eruditio, praeterquam quod apud orbem litterarium universum ingentem sui admirationem concivit; tot ejus scriptis egregiis declaratur, quot alius vix legere facili negotio quiverit. Quae omnia in unum coacta volupe mihi fuit apud ipsum Assemanum anno superiore contemplari: quae scil. in id Româ attulerat, ut ea Regi nostro Augustissimo, Josephi nostri maximo aestimatori, donum daret. Quorum aspectu perculsus obstupui. Taceo infinitam lingnarum Orientis simulque Europae plurimarum penitiorem notitiam, historiae vero & antiquitatis miram cognitionem.

Idem vi tanta ingenii pollet, ut de rebus abstrusissimis ea pernicitate scribat, cui vix manus obsequatur. Ludum ei dixeris quidquid aliis impeditissimum fuerit.

Jam vero quis potis est res ab eo strenue ac praeclare gestas enumerare? Plurimas pro Romana Ecclesia jussu maximorum Pontificum, quibus omnibus intime carus fuit, navigationes atque peregrinationes suscepit, quibus plurimas Orientis partes haud semel obivit. Harum ultimâ Nationale totius Ecclesiae Maroniticae Concilium in Phoenice Apostolicus legatus celebravit; quo eam ordinavit ecclesiam. Bibliothecam Vaticanam opimis & immensis ex oriente toto detractis spoliis Syrorum, Arabicorum, Graecorum codicum Mss. locupletavit: cui bibliothecae proinde merito post Carolum Majellum Archiep. Emisenum (qui hujus divino ingenio, ipse eruditissimus & virorum acerrimus aestimator, mire capiebatur) praefectus fuit. In Alma Vrbe tanta semper auctoritate floruit, ut nihil unquam ad orientales ritus aut sacras expeditiones pertinens hoc Nostro inaudito gereretur. Verum non id agimus ut Assemani rerum commentarium alieno loco infarciamus.

Jure ergo ac merito abhinc plures annos Capituli Vaticani toto orbe primarii Canonicus, itemq. Vaticanae Bibliothecae praefectus est: ad quam praefecturam numquam nisi eruditissimo cuiq. aditus patuit: a qua vicissim pluribus viris eximiis ad sacram Purpuram proximus aditus fuit. Nec Romae tantum, sed vix ullus noti orbis angulus est, quem non hujus fama compleverit. De Neapoli vero quid dicam? In oculis est apud omnes, in primis apud Regem litterarum amantissimum, qui hunc sibi suum historiographum designavit. Haec satis sit primoribus attigisse labris; ne forte hic etiam vetus illud ac probatissimum *Ne quid nimis* transgrediar.

(4) Hoc vero mihi laudi adscribo maximae, quod ejus interiore amicitia hunc sextum & vigesimum annum fruar. Nam cum anno saeculari 1725. Romam venissem, Archiepiscopo Carolo Majello, viro doctissimo atque sanctissimo (cujus modo Adnot. superiore feci mentionem) conciliatore, in Assemani familiaritatem adrepsi, fotam communi mensa & hospitio, quo ipse tunc Romae per duos menses cum Assemano apud Majellum utebar; ac deinde eo itinere confirmatam, quo uterq. nostrum Roma Neapolim profecti fuimus. Neque ab illo tempore aut de ejus in me amore quidquam, aut de mea in illum reverentia decessit. Nunc quoque, cum sic fronte adversa (etsi dispari gradu) stamus, nolim de ullo prorsus frigusculo suspiceris. Extremo anni 1751. Decembre ad me Noster litteras humanitatis plenissimas dedit, quibus qua par erat observantia respondi. Nec enim ob hasce litterarias altercationes aut ego (qui primus impetor) aut, sat scio, ille, animos unquam offensos servabimus. Jurgamur lingua: iidem gerimus pacata praecordia.

(5) De nostrorum Hebdomadariorum aemulo Canonicis ingenio, & eorumdem ingentibus molitionibus dictum est satis in Dissertat. Historica in Partis II. prologo sect. 2. pag. 90. & seq. ac praecipue tota Adnot. 2.

Digitized by Google

de ſuo conſilio commutaſſet ; tamen eidem de ea commentatione ſua jam tum affecta in virorum eruditorum conventibus multus quotidie ſermo erat. Atque ex iis colloquiis hoc etiam perſpicue apparuit, quidquid foliorum opuſculi hujus [hujus, inquam, *De Cathedrali Neap. ſemper unica*] ex prelis emitteretur, ad eum prius, quam in manus meas [prope dixerim] perveniſſe : a ſe perlecta fuiſſe omnia, eaque in numerato haberi. Sane his intellectis, prope ab eo fuit, ut quidquid plagularum ad eum diem formis impreſſum fuiſſet, id omne voracibus flammis extingueret. Norunt hoc ampliſſimi Collegae mei, & ex interioribus amicis nonnulli. Quae enim viribus meis imbecillimis cum Herculeis viri tanti lacertis ſperanda eſſet aequa commiſſio? Itaq. ſuperioris anni 1751. aeſtate tota, ac parte autumni cum graviter aegrotaſſem ; parum in hoc opere proceſſum fuit. Sed tandem exeunte autumno ubi me paullum recreaſſem ; promovi Apolline laevo aliquid, ac tandem in ipſo anni ſuperioris exitu perventum eo fuerat, ut abſoluto jam operi adnecti inciperent Indices : cum ecce ineunte hoc ipſo anno 1752. urbe tota diſſipari rumores audio, quibus non tantum victus ſed plane proſtratus ab adverſario fortiſſimo deplorarer. Jam enim aliquot tomi alterius Aſſemanici exempla per hominum volitare manus ; jamque omnes, uti fit, neglectis ceteris operis praeſtantiſſimi partibus, eum unice locum conquirere, qui a capitis XI. initio ad totam ſect. XXXVIII. h.e. a p. 272. ad 374. patet (qui locus tam amplus eſt, ut ipſe per ſe queat juſtum volumen aequare) quo loco opuſculi mei confutatio abſolutiſſima continetur. Ego contra cum in ſordibus & ſqualore verſarer ; ſero tandem hoc obtinere ab amicis potui, ut breviſſimi temporis uſuram tomi ejus impetrarem, eum ceteroqui propediem ab auctore clariſſimo dono accepturus, qui & tomum I. aeſtate proxima praeſens dono dederat. Habes hujus occaſionem auctarii.

(6) Integra inſcriptio talis eſt : *Italicae hiſtoriae ſcriptores ex biblioth. Vatic. aliarumq. Mſs. codicib. Collegit & illuſtravit Joſeph Simonius Aſſemanus ejuſd. Vatic. biblioth. praefectus, & Vatic. baſil. Canonicus . . Tomus II. De rebus Neapolitanis & Siculis* &c. Romae an. 1751.

(7) Facilitas viri humaniſſimi, quam prope cercam dixerim, tametſi perſpecta eſt omnibus qui

§. 2. *Neapolitanae multitudinis de ea accuſatione ſententia.*

Nunc antequam ad ſingulas operis mei reprehenſiones eluendas deſcendo ; prius quid de adverſarii noſtri accuſatione univerſa eruditorum hujus urbis plerique cenſuerint, quodque egomet de ea praejudicium anteceperim (ſic enim malo, quam id meditatum judicium dicere) paucis exponam. A Neapolitanis ut ordiar ; eorum pleriſque venit in mentem Horatianum illud accinere, *Nunc non erat his locus*. Nam quid rogo attinebat, in eo opere quod inſcribitur (6) *Scriptores Ital. hiſtoriae* ; quodque re ipſa difficultates hiſtoriae Italicae ſequioris aevi praecipuas egregie enodatas exhibet, tam amplam obſcuri & exigui operis confutationem inſerere ? quis umquam *Stephaniam* Neapolitanam vel de nomine audierat, ut tam operoſa de eo concertatio inſtitueretur, imo tam cruenta commiſſio induceretur in caveam ? Hoc quidem certe miraculo apud noſtros homines fuit.

Diceret aliquis, ne mihi quidem dicuiſſe tam craſſum opus de eodem tenui argumento pertexere. Verum prompta erat eorumdem Neapolitanorum reſponſio. Nam primum reponunt, opuſculum meum nondum auras vitales carpſiſſe. Cur nondum nato eliduntur fauces ? Deinde me invitum, ac diutiſſime reluctantem, ac vix tandem conviciis quotidianis edomitum, *demiſiſſe aures ut iniquae mentis aſellum*. Hoc ſane totum meae repugnationis diuturnae negotium

Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum.

Ad ultimum quo dedi manus ? nempe ut me juxta omneſque collegas meos ab injuſtis Hebdomadariorum noſtrorum [quos deſervire Canonicis natos, nunc affectare regnum jam omnes norunt] invaſionibus, ſi qua poſſem defenderem. Poſſem ne in eo videri nimius ? Itaque ut paucis rem abſolvam ; Neapolitanis hominibus non potuit non admirationi eſſe viri ſummi (7) facilitas, qui nulla de cauſa (quantum quidem

T t appa-

appareat) ſtylum noſtris Hebdomadariis attemperaverit. Niſi vero cauſa viro ſummo haec fuit, quod viris fortibus habeatur glorioſiſſimum, jis ferre ſuppetias, quos fortiori ſuccumbere animadverterint. Haec vulgo alii.

§. 3. *Qualecumque meum de eadem oppugnatione judicium.*

Ad me vero quod attinet; etſi nihil a me temere pronuntiari cupio; tamen qui unus e multis ſim, haud ſatis in me ſentio virium, ut a multitudinis judicio vehementer diſcedam: maxime qui animadverterim haec a viro maximo non ex animi ſui ſententia, verum dicis cauſa fuiſſe perſcripta. Nam ni ita eſſet; cur cum eo ventum fuit, ut meis rationibus reſponderet, quibus Stephaniam in ea, quae nunc S. Reſtituta vocatur, poſueram; cur inquam eas rationes plerumque aliorſum deflecteret, atque obſcuraret? Cur, cum in fine concertationis, ineunte ſectione XXXVII. dictaret definitivam ſententiam, cur, inquam, initio pag. 371. ipſos etiã Joannem Cimeliarcham, & chronographum S. Mariae de Principio (ambos profeſſos atq. acerrimos conjuratos meos) ita pro ſe ſtare jactaret, ut qui id non agnoſcant, eos *in luce meridiana oculos clauſiſſe* pronuntiet? Proh Superi, veſtram fidem! Poteratne iſtiusmodi ſatis ſerio dictari ſententia? Adhaec cur Achillem ipſum rationum mearum prorſus declinavit? Certe enim tria ineluctabilia argumenta ſecuritate maxima ac ſuſpenſo pede tranſiluit: illa, inquam, quae ex baptiſterio Vincentiano, Xenodochio Athanaſiano, & ex Turri campanaria Petri petuntur: quibus non tantum Stephaniam in hodierna S. Reſtituta fuiſſe, tam certo demonſtratur, ut obſiſti argumentis iis nulla prorſus tergiverſatione liceat; ſed & ex iisdem tota praeterea ejuſdem Stephaniae longitudo ac latitudo atque partes radio deſcribuntur, oculis fidelibus in rem praeſentem cognoſcendae. Id vero is potiſſimum facit, cui totum Anteloquium (8) meum patuit, cujus & paginas omnes citat: quo in Anteloquio ii tres Achilles *ἐν ὁμιλίαισι μιγνυνται*. Atque has omnes viri eruditiſſimi tranquillas ſecuritates Actione altera ſuis quaſque locis notabimus.

Ergo in ea tota reprehenſione Vir incomparabilis non ex animo loquitur, ſed oſtendere voluit, quantum valeret ingenio, quo ſomnia Hebdomadariorum probabilia redderet, contra vero res noſtras exploratiſſimas, ſic quaſi incredibiles & abſurdas traduceret.

Huc etiam illud pertinet, quod in hac ſcri-

qui eum norunt, in hoc ipſo opere perſentiſcitur. Nam non ceteros tantum, quoſcumq. nominat, non ſine prolixo laudum commeatu dimittit; ſed & me ipſum, quem adoritur, ingentibus praeconiis onuſtum facit: pro quo grates ingentes ago. Niſi quod cum ea ornamenta tam puſillo mihi parum convenire animadverteram; cogor cum Regum ſanctiſſimo cauſari illud, *Non poſſum ſic armatus incedere*.

(8) Quin Anteloquii mei partes priores duas [nam eae tantum ad hanc pertinent cauſam: imo eae tantum, dum haec ſcribo, in lucem prodierunt: nam cetera ad ultimum imprimenda reſervavi] Aſſemanus viderit, legeritque, non eſt dubium. Eum vide pag. 371. verſu ſexto ante finem, ubi ex eo Anteloquio [quod ſemper *Appendicem* vocat] locum quam longiſſimum recitat. Item pag. 372. in ſubjecta nota alterum locum ex me adſcribit, qui pag. XV. Anteloquii mei exſtat. Ejuſdem etiam Anteloquii locus ab Aſſemano indicatur pag. 365. v. 3. Ac paſſim ex meo Anteloquio (quod ſemper *Appendicem* appellat) loca aut integra ponit, aut tantum indicat.

Illud vero ne miretur lector, quod meum Anteloquium ab Aſſemano conſucverit *Appendix* vocari: nam qui operis mei folia nondum conglutinata, ſed tantum diſſoluta ad manus habuiſſet, cum praeterea ex Anteloquii lectione comperiſſet, illud operi jam ſcripto acceſſiſſe; ad Appendicem pertinere illud putavit, ac partem Appendicis eſſe. Ex eo inquam forſitan factum, ut ſemper illud nomine Appendicis donaverit. Interim lectorem rogo, ut quoties paginas meas notis numerorum Romanis deſignatas ab Aſſemano cernet (nam memini, alicubi eas paginas ab illo notis Romanis citari) eas in praevio Anteloquio quaerendas, non vero in Appendice pediſſequa, ſciat. Sed & tunc quoque, cum ex Appendice paginas numeris Arabicis citat; lector ad Anteloquii paginas notis Romanis praenotatas recurrat. Uno verbo: quoties ille Appendicem laudat, ibi lector Anteloquium petat.

Digitized by Google

ſcriptione univerſa paſſim in me dicta (9) amarulenta jactet, profeſſae amicitiae [de qua Adnot. 4. dictum fuit, quamque ipſemet millies in ſuo hoc ſcripto palam profitetur] parum convenientia. Hoccine vir amiciſſimus admiſiſſet, niſi pro certo habuiſſet; me intellecturum, ſe parumper ſcaenae ſervire; ac niſi certo conſtaret, nihil prorſus incidiſſe, cur ex conſueta in me benevolentia & familiaritate decederet? Poſtremo eo res tota redit, ut hanc concertationem univerſam ad quoddam cauſidicinae genus Noſter retulerit, ubi ſcil. liceat paulliſper ex animi ſui (10) ſententia decedere, tantiſper certe, dum cauſae ſerviatur; imo ubi adverſarum partium patroni inter ſeſe digladiantur, ſed amiciſſimis animis, vel tum etiam cum infenſa dicacitate jurgantur. Hoc totum iis dictum volo, qui me de Aſſemani amicitia ſaepe gloriatum norunt; ne porro agnitis illius amare dictis, vel minimum frigus interveniſſe ſuſpicentur; imo potius ut cauſidicinam nunc agi putent. Quam ego quoque in hac defenſione imitatus, petitis e foro (11) locutionibus interdum indulſi; tamquam ſi ſcil. cum patrono ſplendidiſſimo ignobilis rabula ſive quotidianus latrator agerem.

§. 4. *Speciosis Aſſemani excuſationibus in occurſum proceditur.*

Scio quid his Aſſemanus noſter ſit reſponſurus. Nempe reponet, numquam ſibi veniſſe in mentem, ſive Canonicos laedere, ſive afflictam Hebdomadariorum cauſam erigere. Quippe, ſi id ſibi conſilii fuiſſet, ſe non tam de Cathedralis *materialis* quam de *formalis* duplicitate docenda fuiſſe laboraturum. Nunc unicam *formalem* admittit. Ac ſane eſt quidam Aſſemani (12) locus, qui id nos credere jubet.

Accedit & illa cauſatio, quod materiales ipſas Cathedrales Aſſemanus ita duplicat, non ut eodem tempore duae fuerint, ſed ut una alteri ſucceſſerit. Hoc enim pluries tota ſect. XXXVIII. profitetur: in cujus fine haec verba poſuit: *Nos dicimus, EXCLVSA SIMVLTANEA Cathedralis DVPLICITATE* [quam admiſerant Hebdomadariorum patroni, Canonicis in rerum ſumma prae Aſſemano benigniores] *Sanctam Reſtitutam* [hodiernam intelligit, quam tantum a Conſtantini tempore uſque ad Stephanum I. auctorem Stephaniae, fuiſſe Cathedralem, ſuadere cupit] *Stephaniae* (illi chimaericae, in Cruce hodierna ſomniatae) *dignitatem Cathedralis ceſſiſſe*.

Habes excuſationes quavis accuſatione deteriores. Priori reſpondeo, ipſum quidem nunc ſatis habuiſſe fundamenta aedificii jacere: ceterum quae fundamentis hiſce in Hebdomadariorum gratiam, & dedecus Canonicorum inaedificanda reſtant, ea ſive ſibimet in aliud tempus occaſione data reſervaſſe, ſive ſaltem aliis id perfecturis lampadem tradidiſſe. Nam vide, quaeſo, quid Aſſemanicis fundamentis ſuperſtructum iri provideam. S. Athanaſius IX. ſaeculi epiſcopus in Stephaniâ conſtituit (teſte vitâ Athanaſii) *Sacerdotes Hebdomadarios* quotidie Miſſam publicam celebraturos. Hos quidem *Sacerdotes Hebdomadarios* eſſe ipſiſſimos hodiernos Canonicos, ego in Diſſertationis Parte II. tam certo demonſtravi, ut de eo dubitare ſtultiſſimum fuerit. Sane ſi quidem Aſſemanus in tomo tertio jam mox prodituro hoſce Athanaſianos

(9) Vt quod meam *inconſtantiam* tertio quoque verſu deridet: quod me cavillatur *Aethiopi dealbando* inſudare: quod me *arundineis fulcris ſuſtentare meam opinionem*, objectat palam: quaeque cetera uti falſe, ſic parum aeque ab eo in me jactata, ipſe in Parte altera ſuis locis pro mea facultate retundam.

(10) Pluries hoc ab illo graviſſimo cauſarum patrono Card. de Luca reperitur ſcriptum, ſaepe hoc affirmante, ac licitum faciente advocatis in materia juris in utramque partem diſputare, ac modo hoc, modo contrarium defendere, pro ratione cauſarum quae ad eos deferuntur; & a ſe id paſſim factitatum teſtante. Neque id nunc agimus, quatenus id honeſtum ſit, aut ſecus. Verum quin id ſibi paſſim licere cauſidici ſinant, non eſt dubium.

(11) Non tantum ſcil. in titulo, quem huic auctario propoſitum vides, ſed & paſſim alibi, quoties e foro petitas locutiones uſurpare in mentem venit.

(12) Vt cum pag. 373. Sect. XXXVIII. v. II. *DVALITATEM*, inquit, *Capituli, & Epiſcopi Gracci Latiniqne in urbe Neapolitana pernego.*

Digitized by Google

sianos Hebdomadarios pro Canonicis hodiernis, sicuti par est, habuerit; plane nobiscum facit. At sicuti se dant initia, magnopere vereor, ut in hoc potissimo causae praesidio Hebdomadarios hodiernos sit desertus. Imo non temere auguror, Assemanum tomo tertio [quem magna ex parte excusum, brevi evulgandum ajunt] universam hodiernorum Hebdomadariorum causam fore paucissimis verbis egregie peroraturum in hunc modum. Nam quia S. Athanasii acta in tomū III. facile incident; ibi, credo, Noster opportunissimam occasionem nactus, hodiernos Hebdomadarios ab illis Athanasianis propagatos docebit. Quod si ille admiserit; quis tunc porro de duplicitate *formalis cathedralis* dubitaverit? Nam Stephaniae [quam in Cruce hodierna Assemanus posuit] S. Athanasius hodiernos Hebdomadarios tamquam ministros praecipuos [si nimirum adversariis creditur] incardinavit. Quandoquidem autem negari non potest, quin τὸ τί ἐστιν (*quod quid esse*) seu τὸ εἰδικὸν (*formale*) Cathedralium (13) ex earum primariis ministris sub Episcopo Cathedralem sedem repraesentantibus constituatur, in iisque unice consistat; jam qui Stephaniam in Cruce hodiernae Cathedralis eo consilio ponunt, ut ei cathedrali praeter Canonicos [utique legitimos atque primarios ministros] etiam hodiernos Hebdomadarios tamquam aeque praecipuos affigant; quid aliud profecto moliuntur, nisi ut formalis ecclesiae cathedralis duplicitatem chimaericam adstruant; hoc est uti sponsae legitimae exteram alteram, aemulam atque rixosam superinducant?

Verum quid dico, aemulos Canonicis Hebdomadarios [si modo hi hodierni ab Athanasio prodierint] evasuros? Ajo futuros illico superiores. Nam ut ad Assemani jam posteriorem causationem deveniam; quia Hebdomadariorum patroni ab hinc plures annos, duas simul Cathedrales adstruxerunt, & in una Canonicos, in altera Hebdomadarios hodiernos cardinaverunt; plane aequiparatis utrisque, se paullo saltem mitiores erga Canonicos praebuerunt. At quia ex Assemani mente, ex quo Stephania illa Commentitia in hodierna Cruce exstitit, jam tum hodierna S. Restituta desiit Cathedralis esse; ex eo si minus ipse, at Hebdomadariorum causidici protinus inferent, hodiernis Hebdomadariis [quos nim. ab Athanasio illi commentitiae Stephaniae incardinatos fuisse nugantur] partes priores esse deferendas: contra vero Canonicis, qui in hodierna S. Restituta [quam jure cathedratico spoliatam vult Assemanus] suas sibi res sejunctas haberent, vix secundas esse relinquendas. Vide quaeso quo Assemanicae positiones tendant. Nempe ova peperit, quae si minus ipse, at certe Hebdomadariorum advocati fotu suo excusuri procedant.

Nec tamen haec eo dico, quasi quidquam ab istis novis molitionibus periculi impendeat; apud eos certe qui nostra legent; cum ex toto opusculo meo certo certius sit, non tantum Stephaniam in hodierna S. Restituta fuisse, verum etiam Athanasianos illos (14) *Hebdomadarios* fuisse ipsissimos hodiernos Canonicos: contra vero Hebdomadarios hodiernos haud esse quadringentis annis antiquiores. Haec quidem meridie ut clariora essent, in Dissert. Par. II. effecimus. Tamen tantum ab adversariis nostris sive cuniculis, sive aperta vi & clamoribus agetur, ut tandem sua paradoxa imperitae saltem multitudini

(13) Hoc millies a me in Dissertationis Par. II. ostensum. Et tamen ignoro quid illud sit, quod in Assemano pag. 373. v. 4. Capituli sive singularitatem sive duplicitatem non ad *formale* (quod in solo episcopo jubet consistere) sed ad *materiale* Cathedralis pertinere docet his verbis: *Qui vel materialis cathedralis (i. e. Capituli Graeci Latinique) vel etiam formalis [h. e. episcopi utriusque oris & ritus] duplicitatem adstruunt.* Ad quae verba cohorrui, Nam quam in partem hoc accipiat, nondum plane decerno. Et tamen hoc etiam fermentum, quorsum sit evasurum, vereor. Sed nolo esse temere suspicax.

(14) Videatur Dissertationis pars altera cap. 3. pag. 122. & seq. Sed & eod. capite ostensum certissimis monumentis fuit, hodiernos Hebdomadarios adeo Athanasianos esse non posse, ut non nisi abhinc quadringentos paullo plus annos esse in rerum natura coeperint.

Digitized by Google

tudini suadeantur. Mitto jam quod sibi non temere pollicentur, sese vel si rationibus jugulentur, unâ tamen Assemani viri summi auctoritate fortissimum quemque alium fracturos esse. Ex his igitur vides, quae tanta necessitas urserit, ut huic operi jam finito hoc auctarium ab sene causario & reluctante adjungeretur.

§. 5. *Defensionem nostram operi adjunctam, quam seorsum emissam, futuram fuisse opportuniorem. Defensionis partitio.*

Porro hanc meam defensionem eo breviorem mihi processuram auguror, quod ea cum ad hujus ipsius libri, de quo inter me & fortissimum athletam disceptatio est, calcem adnectatur; facile mihi futurum sit, si non omnibus, at certe plerisque in locis ad ipsum hunc librum lectorem rejicere, ejusque paginas designare; nec futurum sit opus me longis responsionibus, unaque lectorem defatigare. Idque tum mihi, tum ipsi lectori opportunum, perque jucundum erit: mihi ne fallere haec lecturos credar: lectori, ut ipsimet in rem praesentem judicium, a qua nimirum parte stet veritas, integrum permittatur.

Rei vero universae hoc ordine satagam. In hac Actione priore primum quidem toto sequenti capite Achillem, de quo modo monebam, adversario strenuissimo objiciam [quo Achille fretus spero me victoriam *ἀναμφιλ* consecuturum] mox sequentibus capitibus duplicem Sanctam Restitutam eliminatiorem tradam; simulque duo argumenta nova, adhuc intacta, ex occasione proponam. Quo perfunctus levi certamine, tum demum in Actione alterâ per tota illa quatuordecim chartae typographicae folia quibus impetor [totidem enim caput illud XI. Assemanicum continet] citato gradu procurram, siquâ forte persequi reliquias belli detur. Benignum vero lectorem enixe obsecro, uti cum meae defensionis capitibus singulis loca ipsa Assemani a me indicata conjungere velit; atque ita demum de unaquaque re ferat ipse judicium.

CAPUT II.
CONFIRMATIO.

Argumenta ineluctabilia tria (quibus de eo, quod Stephania in hodierna S. Restituta fuerit, non tantum vel nolenti eripitur potenter assensio, verum etiam hoc ipsum permittitur oculorum judicio) indicantur tantum: ad loca interim libri hujus, quibus id luculenter agitur, remisso lectore.

Etiam, atque etiam viros humanissimos, in quorum haec manus incident, rogo ut Anteloquii illius, quod post Dedicationem prostat, partes tantum priores duas omnino percurrere velit. Nam Parte I. Synopsin argumentorum reperiet: cujus Synopseos Sect. I. §. I. a pag. IV. ad XI. Stephaniae partes extremas duas [nempe apsidem & atrium] sic hodiernae S. Restitutae congruere ad oculum demonstratur, nihil ut evidentius esse queat. Nempe S. Restitutae apsis hodierna sic cum Baptisterio S. Johannis ad Fontem hodie dum copulatur, sicuti tempore chronographi S. Mariae de Principio [qui stante adhuc Stephania scripsit] id ipsum S. Joannis ad Fontem sacellum tunc tribunae *Stephaniae* adhuc stantis [cujus quidem nominatim meminit] proxime adhaesisse narratur.

Jam vero si hodiernae S. Restitutae assignandum sit forte atrium, hoc sine dubio in loco hodierni Thesauri S. Januarii fuerit oportet. Atqui in eodem Thesauri loco Atrium *Stephaniae* veteris certo certius fuit. Qui scis? inquies. Quia Athanasianum Xenodochium [quod atrio Stephaniae inaedificatum fuisse Joannes diac. in Athanasio memorat] ibi fuisse, ubi nunc Thesaurus S. Januarii est, ex Eugenii IV. diplomate [quod pag. 283. integrum exhibui] demonstratur: quo diplomate S. Athanasii Xenodochium Hospitali Adnuntiatae concessum fuit; ab ead. vero Adnuntiata postmodum Civitati Neap. [aedificaturae Thesaurum] in emphyteusim datum fuit. Haec quidem in Anteloquio a pag. IV. ad XI. luculenter & copiose deducta reperies: quae hic recoquere putidissimum fuerit.

Parte vero II. Ichnographiam ejusdem Stephaniae, cum hodierna S. Restituta congruen-

Digitized by Google

gruentem, non ad libitum confictam, sed qualem revera fuisse oportuit, adumbratam, oculis usurpare poteris: quam ductu Turris Campanariae[olim a Petro Archiep. exstructae] descripsimus: cui Turri totam Stephaniae, quae hodie S.Restituta dicitur, adumbrationem verissimam plane debeo.

Atqui ad haec ne verbum quidem Assemanus doctissimus: tametsi Anteloquium Dissertationi praevium [uti modo in Adnot.8. dixi] legerit universum. Itaque cum argumenta tria periculosissima cautissimo silentio praetervehatur; non potest non eo silentio palmam Stephaniae in hodierna S. Restituta superstiti ultro concedere: pro quo grates ingentes ago.

Ac de Turri quidem Campanaria & hujus ductu descripta Ichnographia nullum plane ne leve quidem exstat in Assemani accusatione tota vestigium: at Atrium & Baptisterium Vincentianum memorat quidem, sed versibus admodum tribus, quibus vim totam argumenti dissimulat, & prorsus aliorsum rem accipit atque deflectit. De quo inferne (15) judicium lectoris requiro.

CAP. III.

Objectio de S. Restituta (quam Vita Athanasiana diversam a Stephania facit) explodit. De S.Restituta & Stephania curae ultimae.

Hoc totum breviter in Anteloquio praestitimus Par. I. sect.3. pag.XV. & XVI. ubi & longiora loca hujus *de Cathed. unica* Dissertationis indicantur, in quibus id copiosius agitur. Nihil igitur opus, ut crambe repetità mihi juxta ac lectori meo fastidium creem.Summa tamen eo redit. Ex dictis in Dissertationis Parte I.ac potissimum in Anteloquii Parte I.hoc, quod Stephania in hodierna S. Restituta fuerit, est, ut ille ait, *Vero verius*. Cum vero id sit exploratissimum; cur ergo Vita Athanasii longior Stephaniam a Sancta Restituta discrevit? cujus vitae locum vide in Anteloquio pag. XV. Respondi pluries, iterumque respondeo, non potuisse in ea vita ab hodierna S. Restituta [quam esse ipsissimam Stephaniam multo evidentius est, quam quae vulgo a geometris demonstrantur] Stephaniam discriminari; quia hoc fuisset Stephaniam a se ipsa dispescere. Quis ergo non videt, antiquiorem aliam Sanctam Restitutam, ab ea quae nunc eo nomine designatur diversam, olim necessario exstitisse; idque [vel si cetera ejus antiquioris ecclesiae testimonia desint] ex hoc tantum vitae Athanasianae loco abunde probari? Nunc vero illius Sanctae Restitutae prioris tum plures alios testes luculentos habemus [a me in Parte I. Dissertationis productos] *tum in* primis chronographum S. M. de Principio, saeculi XII. auctorem [cujus loca vide Par. I. cap. VI. pag. 67. & pag. 190.] & vitam B. Nicolai Eremitae paullo ante novae Cathedralis hodiernae encaenia scriptam, de qua vide eod. cap. VI. pag. 73.

Porro de hac eadem S. Restituta priore locum Joannis diac. [celebrem illum scilicet: *Asserentibus multis, quod* basilica a Constantino M. facta, non alia quam *Sancta Restituta fuisset*] esse capiendum, ostendi in Dissertat. Par. I. pag. 10. 11. Quam ipsam ecclesiam etiam vita Athanasii longior a Constantino factam tradit.

Et quidem hi duo scriptores etsi valent ad ostendendum fuisse quamdam vetustiorem Sanctam Restitutam ab hodierna S.Restituta [quae vera Stephania fuit] diversam; tamen haud pro certo affirmant, priorem Sanctam Restitutam fuisse illam ipsam basilicam Neapoli a Constantino M. constructam, cujus vita Sylvestri meminit; quandoquidem Joannis diaconi ὡ *Asserentibus multis*, & vitae Athanasianae ὡ *Ut fertur*, probabilitatem tantum, non item exploratam certitudinem pariunt.

At

(15) Nempe pag. 365. ver.3. dumtaxat versibus tribus violentissimam Achillis impressionem sibi visus est levi corporis inclinatione vitasse. Qui ubi duobus verbis argumenta mea ingentia ac prorsus insolubilia, ab *Apside & Atrio* petita, ex *Appendice* mea (sic enim semper transnominat *Anteloquium*) repetivisset; totidem incisis sibi visus est gigantes stravisse duos. *Congruunt quidem*, inquit, *Sanctae Restitutae . . . sed utraque extrema pars ad Stephaniam nullatenus pertinet.* Confer mea lector(quanti enim laboris est?) in Anteloquio a pag. IV. ad XI. simulque Assemaniana versuum duorum semis responsa (pag. 365. versu 3.) & in rem praesentem tu judica.

Digitized by Google

At postremo auctor Blanchiniani episcopor. Neapolitanor. Catalogi [saeculo X. ineunte scripti] id prorsus affirmate tradidit verbis hisce : *Sub quo* [Zosimo illo, qui Magni Constantini aequalis adstruitur] *sancta Restituta* (illa omnino vetustior, quae postea solo aequata fuit) *a Constantino Imp. facta*. Qui locus a me sero animadversus me tandem impulit, ut inter finem Appendicis & Indices (h.e. pag. 307.) *Curas meas posteriores de antiquiore sancta Restituta* insererem : quas rogo lectorem, ut omnino legat. Iis enim lectis, plures ex Assemani reprehensionibus, sat scio, cassae concident.

CAPVT IV.

Earumdem posteriorum Curarum brevissima ὑποτύπωσις. Quid inter me & Assemanum circa veteres ecclesias duas discrepet.

Sex Ecclesiarum nomina in hac universa controversia versantur : quorum primum *Constantiniana* esto. Nam etsi ea vox apud veteres non reperitur ; a nobis tamen ea necessario assumitur ad eam designandam basilicam, quam Neapoli a Magno Constantino factam veteres prodiderunt. Ergo ea sex nomina sunt ejusmodi. I. *Constantiniana*. II. *Ecclesia Salvatoris*. III. *Stephania*. IV. *Sancta Restituta antiquior*, cujus chronicon S. M. de Princ. & vita B. Nicolai Erem. nominerunt : quam etiam Joan. diac. & catalogus Blanchinianus, itemque Vita fusior Athanasii memoraverant. V. *Sancta Restituta hodierna*. VI. *Hodierna Cathedralis* sub nomine S. Mariae Assumptae.

Has equidem tota passim Dissertationis Parte I. ad tres tantum reduxeram hoc modo. *Constantiniana*, *Ecclesia Salvatoris*, *Stephania*, *& hodierna S. Restituta*, quatuor sunt ejusdem basilicae, diversis temporibus variatae, nomina successiva. Nam I. ubi *Constantiniana*, sive *Ecclesia Salvatoris* a Constantino M. facta fuerat, ibidem postea amplior *Salvatoris Ecclesia*, sive *Stephania* a Stephano I. exstructa fuit : quae demum per initia XIV. saeculi simul cum Martyris Restitutae reliquiis nomen *S. Restitutae* hodiernae sibi peperit. II. Ab his vero *Sancta Restituta* antiquior, Stephaniae adjacens, diversa fuit : quam in priore hypothesi conjeceram, fuisse a posteriore aliquo Constantino ad condendum S. Virginis corpusculum fabrefactam : III. itemque diversa est *hodierna Cathedralis* sub regibus Andegavensibus exstructa.

At in *Curis posterioribus*, quas pag. 307. ultimi codicilli loco expositas habes, ad tres itidem basilicas, sed paullo aliter, reducere malui. I. *Constantiniana* enim & *Sancta Restituta antiquior* una eademque fuit : nam principio *Constantiniana* forsitan dicebatur, itemque *Ecclesia Salvatoris* [plane quia ex Vulturnensi chronico Servatori divino sacrata fuit] at eadem aevo posteriore (quonam tempore, incertum) invectis ex Enaria S. Restitutae reliquiis, *Sancta Restituta* dici coepit. II. *Stephania* [quam juxta hanc alteram hypothesim non in Constantinianae loco, ut ante statueram, sed ab inchoato & a fundamentis Stephanus videtur sub nomine Salvatoris feciſſe] adhaec *Salvatoris ecclesia*, itemque *hodierna S. Restituta* ad unam prorsus basilicam pertinent : id quod in Anteloquii parte I. argumentis quavis geometrica demonstratione certioribus plane obtinuimus. III. Ab his vero duabus haec *hodierna* temporum Andegavensium *Cathedralis* diversa est ; eaque est habenda *μοναδικὴ*, utpote cum nullâ ex superioribus confundenda. Hic me forsitan Assemanus inconstantiae arguet ; cui volupe est pag. 355. in mea *inconstantia* ludos facere. At inconstantiae hujus non me poenitet : tametsi in *Curis illis posterioribus* priorem positionem non damnavi, sed tamen in hanc posteriorem alteram inclinatior eram. Ceterum quae est, rogo, ista inconstantia ? Mihi hoc tantum demonstrare propositum ab initio fuerat, nim. Stephaniam in hodierna S. Restituta esse quaerendam. Hoc vero Curae meae posteriores adeo non mutant, ut potius id pertinacius tueantur.

Postremo quo pacto Assemanus noster rem omnem componat, videamus. Is priorem illam *Sanctam Restitutam*, quam tot argumentis luce meridiana illustrioribus ego adstruxeram, prorsus de medio tollit. Qua subla-

Digitized by Google

sublata, reliquas quinque ecclesiarum appellationes ad templa dumtaxat duo in hunc modum reducit. Nam si ei credimus, *Constantiniana*, & *hodierna S. Restituta* duo sunt ejusdem prorsus ecclesiae nomina. Deinde cetera tria nomina in unam basilicam, h. e. hodiernam cathedralem contrahit: in cujus cruce cum Falcone comminiscitur, fuisse olim utriusque Stephani ecclesiam [quae scil. tum *Ecclesia Salvatoris*, tum etiam *Stephania* dicebatur] eamdem vero sub regibus Andegavensibus spatiis laxioribus amplificatam evasisse hodiernam Cathedralem; ita ut Stephania vetus ab hac nova Cathedrali non aliter quam ut pars minuscula a toto differat.

CAPVT V.

Ex occasione nova argumenta duo Stephaniae in hodierna S. Restituta statuendae producuntur.

Haec vero novae ac prorsus inauditae Falconianae & Assemanicae opinionis παραδοξολογία [praeterquam quod argumentis validissimis tota Parte I. Dissertationis propositis, & illis in primis plane peremptoriis, quae Anteloquii Par. I. & II. in medium attulimus, jugulata fuit] adhuc rationibus hisce duabus haudquaquam spernendis convellitur.

ARGVMENTVM I.

Etenim quando VI. ineunte saeculo Stephanus I. Ecclesiam Salvatoris sive Stephaniam aedificavit, id haud dubie ea de causa fecit, quod Constantinianam, in qua antea cathedra episcopalis fuerat, artiorem animadvertisset, quam ut plebs Christiana [quam VI. saeculo immane quantum amplificatam, ethnicismo jam prope profligato, novimus] angustiis illius finibus contineretur. Atqui si, ut Noster vult, in hodierna S. Restituta vetus Constantiniana manet adhuc invariata (hoc enim tantum excipit, quod plurimum ex ejus longitudine detruncatum fuerit) ea Constantini basilica non mediocris amplitudinis erat, haud minor certe plerisque antiquissimis cathedralibus. Vel sic tamen, inquis, voluit Stephanus laxiorem alteram fidelibus patefacere. Sane laudo; si modo ampliorem fecisset. Nunc quam ab eo in Cruce hodiernae Cathedralis constructam hi nostri volunt, ea sic angusta fuerit oportet, ut vehementer mirer, si Stephanus Constantinianae (quaternis columnarum versibus, quinis porticibus longissimis in longum porrectae: cui atrium pulcherrimum praetendebatur) si tantae inquam basilicae ecclesiam macerrimam atque miserrimam subrogaverit, & omnino tantam, quantam dumtaxat Crux hodiernae Cathedralis admittere potuisset. De cujus totius spatii angustiis vide dicta in Dissert. Parte I. pag. 17. ac praesertim in Anteloquii Parte II. pag. XVII. & seq. ubi in Serfalianam Cathedralis hodiernae ichnographiam animadverti quaedam. Quo loco non Cl. Serfalii (uti juvat credere) sed artificis ejus, qui Serfalio operam locavit suam, detexi flagitium: qui hodiernam Cathedralis Crucem multis partibus laxiorem, quam re vera est, lectori exhibuit. Porro quantae sint ejus Crucis angustiae, facile lector ex ejus ichnographiae, quam in Anteloquio pag. XVII. ex veris dimensionibus haustam dedimus, aspectu primo perspiciet. Nec vero hodiernae Crucis fines egredi Stephano in molienda basilica licuisset, quippe cum ab occiduo latere artaret via publica, quam Falco & Serfalius adstruxerunt; ab ortivo vero cardine Ecclesia S. Januarii stringeret, quam eruditiss. Assemanus (meis in hoc saltem studens commodis) in Oliveriano hodierno S. Januarii hypogeo metandam pag. 335. 336. putavit. Ex his igitur intelligis quam laeva mens Stephano episcopo fuerit, si quidem hodiernae S. Restitutae (maxime cum esset integra) lautitias cum tantis inevitabilibus angustiis permutasset. Haec nimirum fuisset illa in longe deterius permutatio, quam Poeta ridet Il. Z. 236.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων.

Vides profecto adversariorum novas res molientium opinio quanta tum maxime, ubi se explicare e difficultatibus quaerunt, in Charybdi laboret. At contra nobis, qui vetera sequimur, prono alveo haec ipsa fluunt, modo id tantum admittas (quod omnis ante Falconem successio temporum credidit,

Digitized by Google

credidit; quodque illi tres mei Achilles, de quibus in Anteloquio dictum, imperioso oculorum judicio subjecerunt, adumbratione veriſſima Stephaniae propoſita) modo admittas inquam, Stephaniam in hodierna S. Reſtituta fuiſſe: ceterum utrâvis ex propoſitis a me ſectione ſuperiore hypotheſibus circa Conſtantinianam utaris. Nam ſi (ſecundum priorem hypotheſim) Conſtantiniana in eodem ipſo Stephaniae (h. e. hodiernae S. Reſtitutae) loco ſpatiis tamen anguſtioribus fuerat; haud injuria Stephanus eodem in loco Eccleſiam finibus laxioribus aedificavit. Sin Conſtantiniana (juxta poſteriores Curas) ea fuit, quae poſtea ob invectas S. Reſtitutae reliquias, vocari VII. ferme ſaeculo *Sancta Reſtituta* coepit; ea certe quia ſexto ſaeculo incapax Chriſtianae multitudinis viſa Stephano I. fuit; jure idem Stephanus de ampliore baſilica coetûs Chriſtiani capaci ſtruenda cogitavit.

ARGVMENTVM II.

Praeterea quod hodiernam S. Reſtitutam Aſſemanus illam ipſam baſilicam fuiſſe ſemper, & adhuc eſſe ſtatuit, quam Magnus Princeps IV. ineunte ſaeculo fecit, & quidem invariatam; in hoc ei non acceſſerim: primum quia difficile eſt a IV. ſaeculo ad XVIII. uſque eam fabricam perduraſſe: deinde quia ſtructurae genus, quod in hodierna S. Reſtituta [quacumque demum parte eam fabricam exploraveris] longe recentius eſt quam pro Magni illius aetate. De quo videatur Joannes Ciampinus, & quae ex eo inferne (16) corraſimus. Poſtremo columnarum ἀσυμμετρία (de qua plura dixi in Diſſert. Par. I. pag. 27. & ſeq.] cū Conſtantini aevo prorſus componi non poteſt. Hoc probe eruditi norunt, quibus vera Conſtantini illius opera adhuc Romae exſtantia quotidie oculis uſurpare licet.

At haec eadem tria adverſae opinionis incommoda, eadem inquam ipſa noſtrae ſententiae mirifice velificantur. Nobis enim [imo toti retro antiquitati] hodierna S. Reſtituta adhuc partem notabilem illius Stephaniae, quae Stephanum II. refectorem habuit, continet. Itaque quid mirum ſi ab VIII. exeunte ſaeculo (niſi vero malumus a labente undecimo: de quo imam (17) pagellae oram conſules) ad hoc XVIII. adhuc duret? Adhaec quid mirum ſi quacumque parte ejus fabrica pertentetur, nihil reperiatur, niſi aevo ſequiori con-

(16) Joannes Ciampinus is, qui in explorandis Romanis ruderibus facris juxta ac profanis vitam vixit, Parte I. *Veterum Monimentor.* cap. 8. perutilem operam ſtudioſis antiquitatis navavit, quo demonſtrat, *Quomodo ex ſtructura . . aedificiorum tempus argui poſſit*. Quare a regum Romanorum orſus initiis, ac deinceps liberae reip. ac poſtremo imperatorum decurſis temporibus, ita argumenti ſui ſatagit, ut ſingulis aetatibus ſua ſtructurae genera peculiaria aſſignet. Itaque pag. 70. col. 2. oſtendit, tribus ultimis Imperatorum Occidentis ſaeculis (quo ambitu medio Conſtantinus regnavit) ita aedificatum fuiſſe, ut laterum atque toforum alterni ordines inſternerentur. Cujuſmodi ſtructurae genus in Capuanae SS. Apoſtolorum Conſtantinianae baſilicae ruderibus me ſaepe contemplatum meminiſ; nim. ut toforum & laterum ſtrata ſibi alternatim ſuccederent. Atqui in hodierna S. Reſtituta nihil uſquam tale conſpectum fuit; ſed totum ſtructurae genus ad aetatis barbaricarum incurſionum aedificationem accedit.

(17) Illuſtriſſ. Praeſul Nic. Carminius Falconius in vita S. Januarii pag. DI. extremâ col. 1. de Stephaniae variis refectionibus ſic adnotat. *Fu edific ata da Stefano I. Veſcovo circa il 510. e rifatta dal II. circa il 770. dopo 260. anni. Secondo noi, rifatta da Sergio III. Duca circa il 1033. &c.* Porro undenam Stephaniam a Duce Sergio III. refectam anno 1033. collegerit, quam vellem docuiſſet. Nam quod in fine paginae CCCCXCIII. hanc Sergianam renovationem hiſtorico penicillo ita deſcribit, ſuiſque circumſtantiis veſtit, quaſi ſi interfuiſſet; imo ſi ope ri praeſuiſſet, *tamquam ipſo dicam* (*i maeſtri*, inquit, *furono i più illuſtri di quell' età, e i dipintori e i ſtatuarj i più eccellenti. Non ſi badò a ſpeſa*: & quae in Romanenſium narrationum morem porro exſequitur) id totum haud majorem meretur fidem, quam cetera Vitae illius portentoſiſſimae.

Nihilo plus id Aſſemanus docuit ſect. XXIV. pag. 331. 332. ubi hanc Falconii opinionem retulit. Itaque narrationi huic (quam mihi praeſertim commodiſſimam videam) etſi non praefracte repugno (nec enim id nunc agimus) numquam tamen ſine documentis aſſentiar. Nec enim nummus ille a Falconio allatus quidquam cum renovatione baſilicae commune habet.

Digitized by Google

conveniens? Poſtremo quis de *ἀσυμμετρίᾳ* mirabitur? Ejus enim ingenii opera ſaeculorum illorum erant.

ACTIO ALTERA ANTIPPHTIKH.

Seu CONFVTATIO, *qua Viri eruditiſſimi reprehenſionibus reſpondetur.*

ANte omnia lecturos iſta moneo, ne ſuſpicentur, me ea tantum ex Aſſemaniana impugnatione praecepiſſe, quibus paratas reſponſiones haberem, cetera diſſimulaſſe. Imo contra ſpondeo planeque praeſto, me nullum praeteriiſſe locorum omnium, quibus me acer oppugnator adoritur. Recte vero an ſecus objecta dilueriim; ſupremum rei hujus arbitrium lectoribus, quos nulla partium ſtudia transverſos egerint, ultro ac libenter permitto. Quibus ego ſum auctor, uti, quo rectius ac ſincerius judicent, ne graventur Aſſemaniana quidem in Aſſemano ipſo cognoſcere, mea vero in hoc ipſo volumine, cui Peremptorium iſtud adnectitur. Hoc mihi gratius facere nihil poterunt.

Atque illud etiam quemquam ſuſpicari veto, me, poſt emiſſum ab Aſſemano abhinc menſes duos Tomum Scriptorum Italicorum alterum, mea interim parte ulla refinxiſſe, eaque ſic reficta provulgaſſe. Hanc enim ſuſpicionem duo (prae ceteris, quibus ſuperſedeo) amoliuntur. Primum quod quibus locis me Vir ſummus in judicium vocat, mea plerumque [ne forte elabar e manibus] verbis ipſis meis refert; quae ne ſyllaba minus in me lector inveniet: aut certe, ſicubi a meis recitandis abſtinet, perinde res in me deprehendet lector, ut ab accuſatore deſignantur: niſi ſicubi [nec enim id nunc plane recordor] ſomnus Aſſemani amanuenſibus & adjutoribus ſtudiorum obrepſit. Deinde, in quo rei caput eſt, quod dum noſtra haec anno ſuperiore excuderentur, folia ſingula, ſtatim ut madefacta e prelis emittebantur, viris quibuſdam graviſſimis ſummaeque auctoritatis tum Neapoli tum Romae degentibus, partim obſervantiae, partim amicitiae gratia ſubmiſſa fuerunt: id quod omnes ſat norunt. Ex his igitur ſparſis tanto ante exemplaribus animadverti poteſt, ecqua ſyllabae unius variatio interea temporis facta fuerit. Sed jam Aſſemanum ipſum mihi dicentem diem audiamus.

CAPVT I.

Ad priores tres ſectiones undecimi capitis.

Ergo ſect. I. pag. 272. ſic incipit: *Alexius Symm. Mazocchius ... NVPER ad me datis litteris, quaeſiit, num ea quae a Conſtantino Magno Neapoli erecta vulgo Templa perhibentur, referre quis jure poſſit ad ſequioris aevi Conſtantinos Imperatores.* In τῷ NVPER ineſt σφάλμα μνημονικόν: quod monendi tantum, non accuſandi cauſa noto. Non enim *nuper*, i. e. dum librum *de Cathedrali unica* ſcriberem, ſed antea, tum ſcil. cū ad calcem tomi III. ad Kalendarium marmoreum [qui tomus ante biennium jam prelis expreſſus, quo minus prodiret, aliud ex alio impedivit] in Additamentis Curas meas poſteriores in res S. Reſtitutae Martyris ſcriberem. Nec illud tum curae fuit, ut eſi de Templis a Conſtantino M. Neapoli erectis [quae pluribus Commentarii mei ad Kalend. locis inter fabulas amandaveram] conſulerem (alius a me prorſus ad eum de talibus Templis, opinor, ſcripſerat: cujus nunc Noſter non meminit) ſed id tantum quaeſivi, utrum apud antiquos alicubi legiſſet, ſive Conſtantinum Conſtantis filium, ſive ejus nominis alium veniſſe Neapolim: quo ſcil. meas de S. Reſtituta eccleſia conjecturas fulcirem. Verum meis hiſce litteris nullum prorſus ab Illuſtriſſ. Aſſemano reſponſum abſtuli. Putavit enim, ſi reſpondiſſet, me porro ſtudiis ſuis fore importunum interventorem.

Pergit: *Idem clariſſ. auctor in Diſſert. hiſtorica de cathedralis eccleſiae Neap. ſemper unicae variis diverſo tempore vicibus, QVAM HOC IPSO ANNO 1751. EDIDIT &c.* Cum haec Vir magnus ſcriberet, putabat eam Diſſertationem eo ipſo anno ſuperiore proditurum. Ac ſane prodiiſſet, niſi quinque menſium proſtrata valetudo interceſſiſſet: qua obſtante, vix tandem hoc ineunte anno.

Digitized by Google

anno 1752. emitti potuit. Haec eo monui, ut lectores intelligant, Virum summum non adversus fetum jam perfectum, atque caelestes auras carpentem, sed adversus discerpti membra poetae desaeviisse, adversus, inquam, singula typographica folia, adhuc e prelo madentia, quae ad illum convolabant. Haud pulchre factum. Quid si enim mutassem sententiam, & superiora a me scripta opportunâ palinodiâ posteriore recantassem? Ea de causa etiâ perfecte nata, quamdiu domi comprimuntur, sacrosancta & ἄσυλα fuere semper jure gentium universarum. Nunc quodnam saevitiae genus hoc esse dicemus, a viro longe humanissimo, adhaec amico [in quo maxime glorior] suavissimo, nondum effusi partus jugulum comprimi? Et haec quoque non exprobrationis sed amicae expostulationis loco haberi volo. Nam haec inter amicos, disparis quamvis gradus, susque deque ferri plane superbum fuisset.

Pag. 273. Sect. 2. v. 1. ait: *Mazochio ... Caracciolus diu antea praeiverat*, nim. in eo quod Stephania haud alibi quam in hodierna S. Restitutae ecclesia fuerit. Dicerem, oblique, etsi simul modeste, plagii me manifestum fieri, quem scil. ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenderit scrinia Caraccioli compilantem; nisi sexcenties dogma meum esse antiquius caelo & chao praedicassem. Nam ubinam meam sententiam singularem aut a me inventam dixi? Nisi quod eam a me & validissimis praesidiis, minime inficiandis, firmatam, & ab ἐναντιοφανείαις ac difficultatibus paucis fuisse vindicatam, est quod haec aetas laetetur. Ceterum ubinam non eamdem antiquis omnibus tribui? Vel videatur Partis I. totum cap. VI. ubi ab antiquioribus ecclesiae nostrae saeculis eamdem semper persuasionem viguisse, & eamdem usque ad saeculum superius (quo disertim Chioccarelli & Caraccioli memini) imo usq. ad Illustriss. Archiep. Nic. Carminium Falconem fuisse continuatam: Qui Praesul verissime gloriatur, se primū omnium Stephaniam nescio quam ab hodierna S. Restituta diversam indicasse: verum sinistris, uti nostri homines praedicant, avibus. Nisi quod Falconem mox secutus est Ben. Serialius; ac demum anno superiore Joseph Sim. Assemanus tertius accessit: a quo accuratius rem universam expensam fuisse nostri homines cuperent.

Sect. 3. pag. 275. post medium: *Idem ipsum*, inquit, *ante Caracciolum tradunt Joannes Villanus, Auctor chronici S. M. de Principio* ... Ad Villanum quod attinet, is semper ex mente chronographi S. M. de Principio loquitur. At ab hoc S. Mariae de Princ. chronographo quamdam *Sanctam Restitutam* ab hodierna S. Restitutae ecclesia diversam, tunc adhuc exstantem, fuisse designatam, abunde Parte I. cap. 6. sect. III. pag. 70. a me demonstratum fuit.

Hactenus tres illae sectiones sunt, in quibus quaedam proludia belli fuere. Mox sectiones sequuntur sex, in quibus de Constantinis solitâ Assemano eruditione agitur; quae nihil mecum commune habent.

CAPUT II.

Objecta sectionum XII. XIV. XV. XVII. diluuntur.

Et jam longae inducise intercesserant. At rursus tandem a sect. XII. recrudescit bellum. Nam pag. 292. cum ego locum quemdam chronici S. Mariae de Principio de hodierna S. Restituta, quae olim *Stephania* diceretur, fuissem interpretatus; Assemanus in ima ora pagellae sic subnotat: *Non hodiernae S. Restitutae, sed ei Cathedrali, quam Stephanus I. erexerat juxta hodiernam S. Restitutam* (illam intelligit commentitiam Stephaniam quam Illustriss. Nic. Falco in Cruce hodiernae cathedralis primus omnium quasi per ludum metatus fuit) *quemadmodum mox demonstrabitur*. At qui totam συνέχειαν chronici cognoverit, is non poterit non mihi accedere. Rogo lectorem, ut mea videat hujus Dissertationis Par. I. cap. VI. pag. 67. extrema & 68. & Adnot. 60.

Mox in eadem ima adnotatione post superiora sic desinit: *Mazochius loquitur juxta juam hypothesim*. Nempe *hypothesim* vocat id, quo nihil usquam exsanius fuit, nihil vetustius, nihil tritius, nempe quod Stephania in hodierna S. Restituta fuerit. Lectorem

humaniſſ. rogo, ut miſſis ſexcentis aliis documentis tota Diſſertatione productis, vel ea tantum legat, quae in Anteloquio in Synopſi argumentor. a pag. IV. ad XI. ſcripſimus; his vero lectis decernat, utrum hoc [quod ſcil. Stephania in hodierna S. Reſtituta adhuc ſuperſit] ſit mera hypotheſis (cui ſcil.tum aſſentiri, tum diſſentiri peraeque liceat) an vero ſit relata ad Sagram amnem victoria exploratius.

Pag. 293. in ipſo ſectionis XII. fine ea mihi amiciſſ. Auctor affingit, quae ſi alius dixiſſet, ea nigerrimae impoſturae accuſarem. Nunc quia auctor plura ex memoria ſcripſit, hic certe ejus animum erga me ſinceriſſimum memoria parum fida decepit. Ibi ergo ſic me quaſi fabuloſa ex chronico S.Mar.de Princ.decerpentem ſugillat: *Quaedam vero*, inquit, *ad Conſtantini* (18) *Magni Neapolim adventum & commorationem; ejuſque in Eccleſiam Neapolitanam beneficia* (19) *pertinentia decerpſit* (ex chronico S. M. de Principio) *Mazochius* (20). *Sed cum ea fabulam ut plurimum redoleant, PRIVS AETHIOPEM DEALBAVERIT, quam ut ei Chronico fidem ab aequis emunctae naris viris extorquere praeſtantiſſ. auctor queat.* Iterum dico me cum bilioſo Vate Venuſino fuiſſe protinus exclamaturum, *His nigrae ſuccus loliginis, haec eſt Aerugo mera;* niſi certo certius ſcirem hic viro amantiſſimo, qua tenaciſſima pollet, hic tamen, illuſiſſe memoriam.

Ceterum quid equidem de Chronico S. M. de Principio ſenſerim, tum illa declarant, quae ipſemet Aſſemanus pag. ſuperiore 292. ex meo judicio de chronico illo recitaverat (ubi ex me ipſo haec affert: *Qua integra hiſtoria nunc minus aegre caremus, tum quod in rebus antiquioribus haud pauca craſſiora commenta complectebatur, tum etiam* &c.) tum ex iis quae ego ſtatim poſt verba ab Aſſemano producta adjeceram ead. meâ pag.67.in hunc modum: *In iis vero, quae ex hoc chronico producemus, rogo lectorem, ne FABVLOSIS quibuſdam rerum antiquarum narrationibus aut narrationum circumſtantiis nimium ſe offendi ſinat. Nec enim tam PINGVES ſumus, ut his aut fidem adjunganus, aut ab aliis adjungi cupiamus.* Hoccine eſt ceruſſam Aethiopi inducere? Ego ne Aethiopi mundando inſudavi, qui ſexcentis in locis ejus chronici [in cujus verba noſtri homines ante juraverant] narrationes plurimas pro commentis putidiſſimis habendas eſſe, in rem praeſentem, monui lectorem primus? Quid quod pag. 77. verſu 1. vetui lectorem quibusdam *parum fidis narrationibus capi*, quas ex eodem chronico ad ſpecimen excerpſeram? Vide locum. Quid quod ea ſaepe pro fabuloſis habui, quae Capitulo noſtro glorioſa & perquam commoda viderentur? Cujuſmodi illud eſt, quod quatuordecim Capituli noſtri primitivos canonicatus a Magno illo Conſtantino fundatos, & alia generis hujus in illo chronico affirmata pro commentis habui. Peccavi equidem contra Capituli commoda: & tamen ab Aſſemano amiciſſimo vapulo, me palam criminante, quaſi qui in Aethiope defricando delaſſer.

Niſi ſi forte illud virum humaniſſimum offenderit, quod ſtatim poſt verba proxime recitata ſequitur. *At contra* (ajebam) *injuſtiſſimi ſimus, ſi in iis quae de ſua aetate Chronographus iſte teſtatur, iis fidem derogemus.* An vero aequus uſlum judicium ferri poterat? In rebus antiquioribus (de quibus chronographus iſte fabulas meras, etſi ab omnibus tunc prò veris habitas bona fide converrit) fides huic chronographo derogetur: at in ſui temporis narrationibus fides adjungatur. Quid ni enim? An quae ſuo tempore gerebantur aut dictitabantur, ea geſta, dicta, aut putata fuiſſe obſcurum eſſe poterat, ita ut in iis aut ipſe falli, aut alios impune fallere potuiſſet? Atqui ad hoc genus poſterius pertinet, quod in eo chronico

co

(18) Quemne ſcilicet ego ſexcenties tum in hac Diſſert. hiſtorica, tum in Commentario ad Kalendarium (ubi de S. Reſtitutae actis) Neapolim acceſſiſſe unquam negavi mordicus?

(19) Nempe illa tantum admiſi Caeſaris Magni donaria, quorum vita S. Sylveſtri meminit, ubi de Neapolitana Conſtantini baſilica agitur.

(20) Quonam Diſſertationis meae loco tanti criminis veſtigia ipſe repererit, non eloquitur; ſed nec potis eſt ut eloquatur unquam.

Digitized by Google

co vetustior quaedam *Sancta Restituta* agnoscitur; & quod Stephania ibi fuisse traditur, ubi nunc hodierna S. Restituta est: cujus scil. apsidi sacellum S. Joannis ad Fontem sic hodie artissime copulatur, ut olim cum apside Stephaniae idem cohaerebat.

Verum quod haec, quae ad tempora chronographi pertinent, admiserim, ex iisque profecerim; hoc illud est, quod Assemanum [nolentem scil. Stephaniam in hodierna S. Restituta agnoscere] male habuit: cui aegre fuit, quod non ipsum ducem secutus fuerim, omnia in totum pernegantem: qui dum ex area paleas amolitur, simul & triticum etiam disperdidit.

Ceterum contentus universe monuisse lectorem, Chronicon illud multis circa res antiquas scatere commentis; in iis monstris sigillatim jugulandis non me defatigandum putavi. Cui enim bono? Quasi vero hodie nostri homines commentis hisce delectentur, aut iis exaudiendis aures admoveant. Jam pridem genus istud narrationum multitudo Neapolitana dedidicit. Quae cum ita sint; quaenam mens, quodve consilium Viro longe eruditissimo fuit, dum a Sect. XIV. pag. 296. & seq. ad convellendas Chronici S. M. de Principio narrationes [nempe de *Ducatu Spoleti*, *Terra Comitissae Mathildis*, *Comitatu Britonorii*, *Regno Siciliae citra & ultra Pharum* &c. Ecclesiae Rom. a Magno Constantino donatis] sic totus incumbit, quasi eo nunc loci simus, ut vel imperitum vulgus istis aurem accommodet? Quid quod eod. loco tot chronicorum nostrorum παρατηρήσεων in id excussit, ut ea profligaret? Quid quod a pag. 303. *Genebristum* nescio quem (certe nunc primum auditum) terra marique insequitur, ut eum expugnet? Quemnam Peregrinium, quem Lasenam, quemve cordatum alium de Genebristo cura stimulaverat? Nunc primum iste prodit e tenebris, nempe ad ornandum triumphum. Hancine vero ab Assemani eruditione tanta exspectet aliquis operam, ut Genebristi istius, sic tamquam Caci cujusquam metu, nostrae historiae auxilio veniat; ut de his homines litteratos dedoceat; inque istiusmodi merces ex olfactu explorandas emungat nares? Abstineat, rogo, improbandis ac dissuadendis istis, quae multitudo vel ima ridet; ac potius abditissima quaeque ex sua penu inexhausta depromat, iis paria quae tot immensis tradita voluminibus ab eo didicimus: epochas figat, errores chronologicos purget, ut ejus ductu & auspiciis nostras historias inoffenso pede decurramus: pro quibus quis parem unquam referet Assemano gratiam? Ceterum pro jugulatis hisce commentorum prodigiis nullam inibit a nostris gratiam. Imo ut aperte dicam, est quod nostri homines Viro summo succenseant, dum ipsos tam pingues putat, ut cum iis tradere historiam Neapolitanam aggreditur, ab ejusmodi refellendis [hoc praesertim saeculo] orditur, ad quae vel aniculae nostrae tollunt cachinnum.

Jam vero sect. XV. pag. 302. Vir magnus praevaricatur, ac deserta Hebdomadariorum suorum causa, causam Canonicorum egregie tuetur, dum sententiam chronici S. M. de Principio sic fideliter παραφράζει. *Hactenus*, inquit, *chronicon S. Mariae: ex quo liquet, illius auctorem in ea fuisse opinione, quod Constantinus Magnus ... ibi* (Neapoli scilicet) *aedificavit primo Ecclesiam* (21) *Neapolitanam, quae OLIM* (22) *ecclesia Stephaniae nominata sit, nec non prope tribu-*

(21) Bona cum Assemani venia, *Ecclesiam Neapolitanam* (h. e. Cathedralem) a Constantino factam, non dixit chronographus, sed repertam a Constantino supponit. *Constantinus* (inquit) .. *venit Neapolim una cum .. Silvestro ... & dum persaepe audiret Missam in episcopali Neapolitana Ecclesia; factus devotior, ipsam Neap. ecclesiam in multis possessionibus locupletavit.* In hisce vero non quaero quid verum fuerit, sed quid tempore chronographi crederetur. Credebatur autem Constantinus reperisse cathedralem illam, quae *olim* [ante chronographum scil.] *Stephania* vocabatur: prope autem tribunam illius cathedralis fecisse *Cappellam S. Joannis ad fontem* (quae adhuc tribunae hodiernae S. Restitutae adhaeret: ex quo evincitur, Neapolitanam Ecclesiam seu Stephaniam in hodierna S. Restituta fuisse) ac praeterea fecisse antiquiorem Sanctae Restitutae ecclesiam sive cappellam adhaerentem S. Mariae de Principio.

Ergo

tribunam ipsius Ecclesiae Cappellam sub titulo S. Joannis ad Fontem : item Cappellam S. Restitutae, ubi nunc S. Maria de Principio, quam ait ab eodem Constantino donatam Capitulo &c. Haec Assemaniana est chronici S. M. de Principio paraphrasis. Non id autem labore, ut in rebus vetustissimis plena huic chronico constet fides; sed tantum, ut illi in rebus aetatis suae credatur: quod & fossoribus & arenariis datur, quoties ad testimonium dicendum citantur. Ergo demus Assemano sacellum S. Joannis ad Fontem non a Constantino, sed ab Episcopo Vincentio factum VI. saeculo. At ex mente chronographi illi demum ecclesia *olim* credebatur *Stephania* dicta, cujus *tribunae* adhaerebat *Cappella S. Joannis ad Fontem*. Atqui etiam nunc capella S. Joannis ad Fontem cum tribuna hodiernae S. Restitutae cohaeret. Ergo ex mente chronographi vetus Stephania in hodierna S. Restituta adhuc superfuisse putabatur. Hoc nempe illud est defensitari strenue ab Assemano Capitulum. Quid nunc moror causidicos? Omnes valere jubeo, quandoquidem ab Assemano salus: a quo vel invito non potest ad ultimum (tanta profecto vis veri est) non simplex exprimi veritas.

Adhaec ex mente ejusdem chronographi Constantinus fecit *Capellam* [sive *ecclesiam*: nam etiam vita B. Nicolai Eremitae a me Par. I. cap. VI. pag. 73. producta utrumque vocabulum copulat, de antiquiore S. Restituta loquens] fecit igitur (inquit paraphrastes Assemanus] *Capellam S. Restitutae, ubi nunc S. Maria de Principio*. Haec sunt paraphraseos Assemanicae verba. Ergo qua parte nunc est sacellum S. Mariae de Principio, ibi adhaerebat antiquior illa S. Restitutae Ecclesia, quam vita S. Athanasii a Stephania (sive hodierna S. Restituta) distinguit. Haec vero ex vita B. Nicolai Eremitae clarius loco cit. ostendi.

Sed & pag. 305. in nota, quam sectioni XVII. substernit, ad versum illum musivi S. Mariae de Principio,

Mille trecentenis undenis bisque retensis, sic criminatur: *FALLITVR tamen meo judicio* (Mazochius) *dum annum in duob. hisce versibus designatum putat esse* 1313. . . *Atqui VNDENIS BISQVE RETENSIS non significat XIII. sed XXII. h. e. bis undecim*. Et me olim in meis schedis, quas in Commentarium Kalend. marmorei ad diem I. Decemb. (ubi *Dedicatio basilicae Stephaniae* colenda proponitur) paraveram, eum versum de anno 1322. accepisse memini, quod & postea in Caracciolo inveni. At postremo sexcentis fractus argumentis, coactus fui de anno 1313. interpretari. Nolo hic alias rationes congerere. At illud certe negari non potest, quin anno 1317. Humbertus illam *De divino cultu* Constitutionem evulgarit, quam antea ineditam, Parte II. pag. 149. integram dedi. Ex ea porro Constitutione constat, sacros conventus quibusdam diebus in nova Cathedrali, aliis in hodierna S. Restituta fuisse actos. Ergo anno 1317. & nova cathedralis exaeniata, & vetus (i.e. hodierna S. Restituta) jam instaurata fuerat, ita ut in hac etiam statis diebus Divina officia celebrarentur. At qui tandem id fieri poterat, si non nisi anno demum 1322. ejus veteris basilicae trunco *Clerus instauratot datus* fuisset? Id enim in iis hexametris statim sequitur. Verum quid plura? Qui nostra legent Parte I. Cap. VI. (ubi in hos versus commentabar) & tota Dissertatione passim, mecum, sat scio, convenient. Haec dum scriberem, in Chioccarelli locum (pag. 203) incidi, quo novam Cathedralem anno 1313. perfectam ait: quod cum illo Musivi versu (de quo nunc sinistrorsum accepto accusor) amice conjurat. Nam perfecta nova cathedrali, datum est Canonicis negotium, ut Veteris trun-

Ergo tempore chronographi Stephania in hodierna S. Restituta agnoscebatur, eique Stephaniae *Sanctae Restitutae* antiquior adhaerebat. Haec alibi copiosius.

(22) Illud OLIM ex mente chronographi non ad tempora Constantini refertur (quasi Ecclesia a Constantino facta, ante ipsum Constanti-

num *Stephania* dicta fuerit) sed comparate ad Scriptoris aevum. *Fecit*, inquit, *construi praefatus Imp. in praedicta ecclesia Neapolitana, OLIM* (i.e. ante chronographum, sed diu post Constantinum) *nominata ecclesia Stephaniae, Cappellam PROPE TRIBVNAM ipsius Ecclesiae antiquae sub titulo S. Joannis ad Fontem* &c.

Digitized by Google

truncum instaurarent, ejusque sarta tecta tuerentur. Atque hic respirare parumper licet, dum Noster ad alia digreditur.

CAP. III.

Reprehensiones a sectione XX. ad XXVIII. propositae dispelluntur.

Sect. XX. pag. 316. extrema in Joannem diac. invehitur, quod Zosimum Arianum episcopum (qui certe post medietatem IV. saeculi sub Constantio Neapolitanam Sedem invasit) Constantino Magno aequalem fecerit. At nego Joann. chronographum unquam de Ariano & intruso Antistite in catalogum referendo cogitasse; qui ne Electos quidem episcopos, ut alibi ostendam, admisit ullos. Ceterum haereticos episcopos, utpote adulteros, ex diptychis eradebant; tantum abest ut eorum ulla in pontificalibus laterculis haberetur ratio. Ergo *Zosimus* quem Joannes diac. & Blanchinianus Catalogus (a me propediem recudendus) Constantino parem facit, non alius est a *S. Cosmo* (sicuti Z & C permutatis, in aliis Neapolitanis monumentis vocatur) ab illo inquam *Cosmo* sive *Cosma*, qui sub Constantino sedit: de quo in Dissertat. de SS. Neapolitanis Episcopis propediem sermo recurret.

Pag. 322. medià quae Joanni monacho Vulturnensi tribuit, ea etsi Ambrosio Authperto posteriora, at Joanne monacho antiquiora esse, pag. 6. Adnot. 6. ostenderam. Hactenus obiter & ὁδὸν παρεγγρ. Nec enim nisi ea tantum attingere est animus, in quibus me reprehensori acerrimo purgem.

Pag. 323. in subjecta nota me sub nomine *Viri amicissimi* designatum taxat, quasi qui Capuanam S. Stephani basilicam a Constantino Aug. fuisse erectam ex chronico Vulturnensi statuerim. At videat me lector, rogo, pag. 6. Adnot. 7. ubi non id laboro, nempe ut statuam Ecclesiam S. Stephani re vera a Constantino fuisse factam; sed miror potius cur Capuani mei ornatissimi conterranei auctore nullo, sed tantum ex conjectura, S. Germano Episcopo eam ecclesiam auctori vindicaverint, quam potuissent Constantino adscribere, in eoque Joannem saltem Vulturnensem sequi ducem.

Ead. pag. 323. initio sect. XX. pro certo sumit, Constantinianam fuisse *in honorem Apostolor. & Martyrum* dicatam. At Adoni (qui unus id memorat) quid imposuerit mox notabitur cap. seq. ad Assemani initium sectionis XXX.

Sect. XXI. pag. 325. me accusat, quod Constantinianam cum Stephania (duobus post saeculis erecta) confuderim. Sane quidem loco confundendas esse dixi (quia ubi Constantiniana fuerat, ibidem postea Stephanus I. suam Salvatoris ecclesiam spatiis laxioribus aedificavit): at discrevi temporibus. Verum in Curis posterioribus, (quas supra pag. 307. 308. ea de re scripsi) etiam loco eas discrevi. Eas posteriores curas etiam in hoc ipso Peremptorio sup. Par. I. in extremo cap. 3. & cap. 4. adumbravi. Vide locum.

Pag. 328. sect. XXIII. quae contra Caracciolum differit, ea me potissimum per Caraccioli latus petunt. Sed iis tum opusculi hujus Parte I. tota, tum praecipue in Anteloquio a pag. IV. ad XI. satisfactum abunde fuit, imo & hujus ipsius Peremptorii Par. I. cap. 2. & seq. Nolo igitur eisdem ad ravim usque repetendis lectorem nihil tale commeritum delassare.

Ad pag. 329. & seq. Totus Raynerianus locus a me copiose explicatus fuit Parte I. pag. 14. & adnot. 21.

Pag. 331. in fine ipso sect. XXIII. recitato loco Rayneriano sic acclamat: *Tam accurata Stephaniae descriptio ab hodierna S. Restitutae, sive Constantiniana basilica prorsus abhorret.* Quod, obsecro, dissidium reperis? An quod *Altare* dixerit *SALVATORIS gratia, & vocabulo simul, dedicatum*? quasi non & in hodierna S. Restituta eidem Salvatori adhuc Altare dicetur: cujus basilicae dominium qui nunc Canonici possident, ii *Canonici Salvatoris* semper sunt appellati. An quod *Analogium* pulchre a Rayneio describitur? nempe, inquam, illud ipsum quod in hodierna S. Restituta ad aetatem usque Archiepiscopi Hannibalis de Capua perennaverat, uti Par. I. pag. 19. Adn. 22. dixeram. At illud forsan disconvenit, quod SS. Eutychetis

chetis & Acutii corpora, quae in hypogaeo Stephaniae fuisse Raynerius memorat, nunc non in hodierna S. Restituta, sed in nova Cathedrali reperiantur. Fateor. Atqui istud est parvulis, qui nondum aere lavantur, fucum facere. An non idem ille Humbertus Archiep. qui Innocentii IV. corpus ex vetere Cathedrali [h. e. hodierna S. Restituta] in novam a se dedicatam transtulit, eâque occasione illud praeclaro sepulcro decoravit, multo potiorem curam de transferendis in eamdem Sanctor. corporib. gerere debuit?

Sect. XXV. pag. 335. extremâ ac deinceps, quod id Vir infinitae eruditionis laborat, ut cubicularem S. Athanasii ecclesiam in hodierno S. Januarii hypogaeo (quod χθὲς καὶ πρώην Archiepiscopus Oliverius Carafa fecit) olim fuisse doceat; vana est opera, ut ex iis constat, quae de eo Athanasiano opere Parte I. pag. 45. & seq. edisserui. Et tamen vel in eo sibi uni incommodus, mihi commodissimus est. Nam tanto minora spatia Falconi, Serfalio, sibique ipsi Stephaniam in hodierna Cathedralis Cruce metaturis relinquit. Pro quo gratias mirificas ago.

Sect. XXVI. pag. 343. ver. 1. manifeste indicari a Chioccarello ait, *In locum eversae Stephaniae fuisse novam illam Cathedralem a Carolo II. inchoatam*. Atqui nec eo loco, quem proxime recitaverat Noster, hoc unquam Chioccarellus somniavit; & idem sexcentis locis Stephaniam in hodierna S. Restituta agnoverat. Nam quod Chioccarellus in loco quem Noster pag. 342. extremâ recitat, queritur, ea occasione deperiisse tot picturas, inscriptiones, sepulcra &c. recte expostulat; nam ea monumenta tum in parte navis hodiernae S. Restitutae solo aequata, tum in atrio item diruto, tum postremo in ea veteris cathedralis parte erant, quae tunc ob invectas ex antiquiore Memoria S. Restitutae reliquias, in ejus nomen successit: quae omnia partim in novam translata (ut passus ferreus, Innocentii IV. & alia in sepulcra, tot Sanctorum pignora &c.) partim ibi retenta [ut corpora S. Joannis Scribae, B. Nicolai Eremitae &c.] partim postremo, ut in talibus usuvenit, deperdita: de quo bonus Chioccarellus merito queritur.

Ead. pag. 343. in subjecta ad notatione Argumentum a coronis [a quibus aetas ultima etymon Stephaniae haud dubie arcessebat] petitum elevaturus, ad coronarum exempla in Constantini aedificiis a Ciampino allata provocat. At dispar est utriusque rei ratio. Antiquitus coronae in Stephania depictae nihil commune cum *Stephaniae* nomine habebant (quam diserte Joannes diac. a Stephano id nomen inveniisse affirmaverat) sed ad usitatum basilicarum ornamentum, cujus saepe vel idem Joannes meminit, pertinebant. At postquam ultimis temporibus exorti sunt homines, qui Stephaniam a *Coronis* dictam argute magis quam vere praedicassent; *ab illo* tempore non committendum putarunt, ut *id* insigne ab hodierna S. Restituta abesset. Itaque in locum veteris Seniorum coronas offerentium jam exoletae picturae, dedita opera subrogarunt novam, nempe uti fides putativae etymologiae constaret.

Ad pag. 344. ante finem sect. XXVI. Quodnam causae meae praesidium argumentum a *Dedicatione* ecclesiae (quae tum in Kalendario marmoreo, tum alibi in Mss. notatur) petitum afferat, accurate exposui Parte II. pag. 98. quae recoquere non est opus.

Pag. 344. & seq. tota sectio XXVII. in eo insumitur, ut ex recitatis Illustriss. Falconis verbis causae Hebdomadariorum nostrorum praesidium arcessat. Verum ad Falconiana quod attinet, ea toto passim opusculo meo refutata fuerunt. Nunc enim non S. Severinae Archiepiscopo, sed eruditissimo Vaticanae bibliothecae Praefecto respondere mihi propositum fuit. At est quod cum Assemano expostulem, quod non ejusdem Falconis elogium, quo se ipse donat, adscripserit. Nam quae est invidia quin ejus praeconium edatur millies? Is igitur post jacta suae novae, de qua numquam audieramus, Stephaniae fundamenta, sibi sic ipse acclamat: *Veduto bastantemente l'error comune da NOI I PRIMI scoverto, e che la Stefania fu distinta e diversa dalla Restituta, resta* &c. Fatetur igitur

Digitized by Google

igitur [si recte verba ejus interpretor] sese in re mere historica antiquis omnibus fronte adversa stetisse, omniumque retro saeculorum sibi invicem succedentium per manus acceptam traditionem deseruisse, uti novas res moliretur. Fruatur novandi studio. Nobis annosa & incana sectari liceat.

Pag. 348. ad finem sect. XXVIII. qui locus ex Athanasii Vita longiore affertur ad duas sedes episcopales adstruendas, cum locum Parte II. cap. II. pag. 109. & seqq. ita luculenter enucleavimus, ut liquido appareat, auctorem illum nihil minus quam de duabus episcopalibus cathedris Neapolitanis fuisse locutum. Vide locum.

CAPVT IV.

Quo Assemanicae oppugnationis impetus violentissimus retardatur. Ad sect. XXIX. XXX. XXXI.

Tandem ubi diu tentata colloquiis deditio frustra ab imperatore fuit, eo ventum est, ut is totus in me tandem insurgat impressione fortissima (a sect. scil. XXIX. pag. 348. ac deinceps) sub quo cecidisse mihi glorioſissimum fore duco. Ordiar autem ab ea adnotatione, quam imae pag. 349. allevit. Ibi me simul atque Falconium amice carpit, quod ambo ea nobis arrogaverimus, quae fuerant jam ante dicta. Pro me quidem ago immortales gratias; necdum enim in Chioccarello ea loca notaveram, quae sedulo mihi Noster ostendit: etsi quid inter me, interque Chioccarellum discrepet, erit mihi alibi (23) monendi locus. At de Falconio certe non vera loquitur. Quandoquidem inter Falconem, interque Joannem diac. simulque auctorem vitae Athanasianae plurimae parasangae intersunt. Nam hi quidem a Stephania non hodiernam S. Restitutam distinxerunt (quî enim hodiernam secernerent, quae vix tandem saeculo XIV. id sibi nomen quaesivit, cum olim ipsamet *Stephania* esset ac diceretur? vide me Parte I. tota, praecipue pag. 37. & seqq. & in Anteloq. Part. I. & hujus *Peremptorii* cap. 2. & seq.) non ergo hodiernam S. Restitutam a Stephania discreverunt illi [quod fuisset Stephaniam inepte a se ipsa discriminare] verum eamdem Stephaniam ab alia antiquiore S. Restituta diremptam voluerunt: quae S. Restituta antiquior modo citatis locis a me (si semel gloriari libet) ex apertissimis antiquorum auctoritatibus ostensa ignaro lectori fuit. At Illustriss. Falconius quia hodiernam S. Restitutam ab nescio qua Stephania (quam ex suo nobis cerebro, nulla veterum auctoritate fuderat) discrevit; nihil propterea antiquioribus illis Joanni diac. & auctori Vitae Athanasianae debet. Itaque rogandus est humanissimus Assemanus, ne Illustriss. Falconi populari meo novitatis laudem ereptum eat. Me tantum inertem corniculam pennis alienis despoliet: si tamen per subjectam Adnot. 23. liceat me deplumem traducere.

Ad haec ubi meam sententiam exposuit, jam a sect. XXX. ad eam convellendam incumbit. Et quidem assultu primo id crimini vertit, quod ego *Salvatoris* nomine huic Constantinianae vindicando contentus, appellationem alteram ignoraverim, quam ei S. Ado Viennensis & Matth. Westmonasterienſis asseruerunt. Adonis haec verba sunt in Aetate VI. *Item basilicam in urbe Neapoli miro opere exornavit IN HONOREM APOSTOLORVM ET MARTYRVM.* Hinc Noster tum hic, tum sup. pag. 323. & passim in aliis vexationis hujus in me scriptae locis contendit, Constantinianam Salvatori simulque SS. Apostolis & Martyribus fuisse dicatam. Respondeo breviter, me Adonis locum non ignorasse, ejusque censuram diu ante a me paratam in schedas retulisse, sed brevitati studentem praeteriisse.

(23) Inter me & Chioccarellum hoc interest, quod is in Megaridis tantulo scopulo cum vulgo nostratium scriptorum tum Castrum Lucullanum, explicavit, tum simul etiam *Insulam Salvatoris* posuit (quod & me ipsum alicubi in Comm. ad Kalend. Marm. cum vulgo scripsisse memini) ego contra totâ Appendicis Diatribâ I. Castrum quidem in mediterraneis posui (quod & ante ducentos annos eruditissimus quisque affirmaverat) locumque insuper demonstravi: *Insulam* vero *Salvatoris* non aliam a Nesside fuisse putavi: ac simul causas detexi, cur ultimis temporibus *Lucullanum* simul & *Insula Salvatoris* in Megaride [vulgo *Arce oui*) aemularentur.

Digitized by Google

se. Nunc quia breviloquentia semper mihi fraudi fuit; ne porro damnosa sit, quando censuram illam a me Noster extundit, jam illam in medium afferam. Nam quovis pignore depositō, spondere ausim, Adonem (utpote exterum hominem rerumque nostrarum haud satis gnarum) duas Constantinianas basilicas in unam confudisse, & ex una petitum nomen in alteram contulisse. Quid enim? Viennensis antistes Neapolitanae quidem basilicae meminit: at idem Capuanae in honorem SS. Apostolorum [teste libro Pontificali, luculentissimo harum aedificationum Constantini auctore] factae non meminit. Quid ergo restat, nisi ut is duas diversas basilicas sic unâ conflaturâ miscuerit & in unam fuderit, ut haec loco quidem Capuensis permanserit, falso vero nomine evaserit Neapolitana? Ac de S. Adone tantum habeto. Nam de Westmonasterienſi temporum ultimorum scriptore [quem satis apparet hoc ab Adone mutuatum] vel si mutivero, videar molestē diligens.

Jam vero a sect. XXXI. ad usque infectationis acerrimae finem, Viri magni astutiam satis laudare non possum: qui tantam atramenti vim (quod prudentissime sepias factitare ajunt) dictis a me sparsim offundit, ut plane quo me vertam, unde primum incipiam, quove desinam, haud satis decernere queam. Nisi quod ad Anteloquium meum tamquam ad sacram anchoram confugere in rerum incerto libet. Itaque lectores meos etiam atque etiam rogatos volo, ut ante omnia illud Anteloquium, quod in vestibulo hujus voluminis est, adeant, ac maxime partes priores duas, quibus Argumentorum synopsis, & Stephaniae ichnographia continetur: tum vero, si forte parum ei Synopsi credendum putent, ea ipsa loca Dissertationis adeant, quae in eodem Anteloquio designantur. Ab his locis meam cognosci sententiam, non vero ab offusa eidem sententiae caligine per summam Adversarii sollertissimi industriam, volo. Hoc ubi a lectoribus humanissimis impetravero [ac certe me impetraturum spero: quanti enim laboris est exordia voluminis hujus adire, qua parte Synopsis argumentorum exponitur?] a longiore defensione ultro desistam.

Tamen videamus siqua forte detur caliginem tantam rebus meis offusam dispellere. Pag. 352. sic sectionem XXXI. orditur. *Nullo*, inquit, [illegible] *testimonio ostendit .. veterem ecclesiam S. Restitutae ab hodierna S. Restitutae ecclesia diversam fuisse*. Quodnam hoc confidentiae genus esse dixerimus, cum ego sexcenta testimonia haud inficianda attulissem? I. Vitam Athanasii longiorem attuli. Nam cum in Anteloquii Parte I. pag. IV. & seq. demonstrationibus plusquam (24) geometricis ostensum fuerit, hanc quae a quadringentis quinquaginta annis ob invectas S. Restitutae reliquias novum sibi *Sanctae Restitutae* nomen peperit, *fuisse olim ipsissimam* ac satis decantatam Stephaniam; cum hoc inquam sit exploratissimum; jam hoc etiam praeterea certissimum fore sequitur, nim. illam *Sanctam Restitutam*, quam Auctor Athanasianae vitae a Stephania distinxit, longe aliam ab hodierna S. Restituta (nam hodierna est ex demonstratis Stephania ipsa) fuisse; ubicumq. demum antiquiorem illam Sanctam Restitutam exstitisse dixerimus. II. At eamdem antiquiorem Sanctam Restitutam ab hodierna diversam, non tantum in rerum natura fuisse, docent Chronicon S. Mariae

(24) Illae plusquam geometricae ἀποδείξεις petuntur I. ex sacello S. Joannis ad Fontem, quod sicuti olim apsidi Stephaniae intime cohaerebat, sic nunc apsidi S. Restitutae proxime adhaeret: II. ex Athanasiano xenodochio: quod Joan. diaconus in atrio Stephaniae posuit, at postea Eugenius IV. in loco hodierni Thesauri S. Januarii statuit; ita ut non sit dubitandum quin Stephaniae atrium fuerit in hodierno Thesauro, h. e. eo maxime loco, ubi S. Restitutae hodiernae atrium esse oportuit: III. ex Petri Archiepiscopi Campanaria adhuc superstite, quae olim atrio Stephaniae intime adhaerebat, nunc in directum cum ortivo hodiernae S. Restitutae pariete concurrit. Haec in Anteloquio latius deducta videantur. Et tamen Assemanus noster, qui totum Anteloquium illud in numerato habuit, haec argumenta tria, sic tamquam Syrtim aut infames scopulos, est praetervectus: argumenta vero cetera eludit, alioque deflectit.

Digitized by Google

S. Mariae de Principio & vita B. Nicolai Eremitae, sed & locum (25) ubi fuerit, apertissime commonstrant. Vtriusq. loca attulimus in prima Dissertationis Parte cap. sexto. III. Mitto jam Siginulfi comitis Casertae, Petri Archiepiscopi aliorumq. chartas sparsim productas. IV. Eodem pertinet celeberrimus Joannis Diac. locus in Zosimo: *Asserentibus*, inquit, *multis, quod Sancta Restituta fuisset*. Nam, ut alia praeteream, si per ea verba non nisi hodierna *Sancta Restituta* designaretur; credibile ne esset, tam nobilem & ingentem basilicam (& quidem Stephaniae, ut adversarii volunt, illi suae commentitiae & vicinam & aemulam: cujus ichnographiam in Anteloquio exhibuimus) credi ne, inquam, potest tam magnificam claramq. basilicam non nisi semel (26) tantum ab Joan. chronographo fuisse nominatam? illo inquam chronographo, qui in aliis minoribus tam multus est? Nam ecclesiae S. Januarii extra moenia, S. Januarii ad diaconiam, Severianae, & aliarum plurium obscuri nominis saepissime meminit. Verum in omnes se vertant partes adversarii licebit: duo semper inconcussa stabunt; nec mihi poterunt eripere, quin haec, quae hodie *Sancta Restituta* vocatur, olim ipsissima *Stephania* fuerit; ac praeterea quin fuerit usque ad XIV. saeculi initia quaedam *Sancta Restituta* vetustior, quam in postico sacelli S. Mariae de Principio chronographus S. Mariae de Princ. & Vita B. Nic. Eremitae sua aetate fuisse prodiderunt, eamque intento digito commonstrarunt.

Eâd. pag. 352. ver. 6. id dat operam, ut Constantinum Constantis filium Neapolim venisse neget. Age non venerit: nec enim in eo salus Atticae vertitur. Quid ego adventu isto mihi opus arbitrer, cui satis superque sit, fuisse quandam Sanctam Restitutam priorem ab hodierna diversam, ejusque situm ex antiquis apertissime demonstrari? Ceterum estne quidquam probabilius, quam Pogonatum illum Constantinum Neapolim divertisse? Nam res occidentis ab illo ante compositas, quam CPolim repeteret, scriptum a Theophane (27) fuit. At in Occidente vix aliud tunc ἀξιολογώτερον Neapolitano ducatu Caesar possidebat; et hic ipse ducatus, Langobardis hostibus assiduis incubantibus & impetentibus, in acie novaculae haud raro reperiebatur; ut non immerito ad res ibi componendas substitisse ex occasione Augustus videatur. Postremo si non ille Constantis filius Neapolim venit; at cognominem alium certe huc accessisse necesse est, si qua fides tot monumentorum nostrorum narrationibus, si qua reverentia veteribus membranis constat. Fuerit igitur quivis alius (28). Atque huc INCONSTANTIA illa mea pertinet, quam mox

(25) Ea nim. parte sancta Restituta vetus cum Stephania cohaerebat, qua parte nunc sacellum est S. Mariae de Principio; si chronicon S. Mariae de Princ. & apertissimum Vitae B. Nic. Eremitae locum audimus.

(26) Semel, inquam, tantum *Sancta Restituta* ab Joanne diac. memoratur in Zosimo. Hoc eo dico, ne cui Assemanus noster, multa memoriter scribens, eoque interdum leviter memoria labens, imponat, dum pag. 354. in fine subjectae notae versu antepenult. *Non in Zosimo tantum, sed etiam in Athanasio Diaconus basilicam SANCTAE RESTITVTAE appellat.* Id quod iterum pag. 363. v. 3. inculcavit: *Ejusdemque*, inquit, *adhuc stantis* [S. Restitutae] *recurrit apud eumdem Diaconum mentio in S. Athanasio primo.* Nimirum enim haec scribenti Nostro vita altera Athanasii longior obversabatur; cujus auctor, ut saepe dixi, *Sanctam Restitutam* antiquiorem a Stephania distinxit. Verum insidae memoriae veniam petimusque damusque vicissim.

(27) Theophanes narrata Constantis Imp. in balneo Syracusano nece, haec subjecit: *Constantinus* [ejus filius] *audita patris sui morte, cum ingenti classe ad Siciliam appellens, comprehensum Mizizium* [invalorem imperii] *una cum patris interfectoribus ulciscitur. Tum vero* [κατασχὼν τὴν ἰσπερίαν, ἐπὶ σὺν Κ]πολιν ὥρμησεν] *VBI RES IN OCCIDENTE COMPOSVISSET, CPolim repetit.*

(28) Aut postremo ne ullus quidem prorsus [quandoquidem tantae id curae Assemano est] nullus inquam Neapolim accesserit. Volo enim inconstantiae crimen, quod mox mihi omare objicit, augere potius quam deminuere; ut ei abunde sit, in quo exsultet ac triumphum ducat. Quid enim

ſalse deridet : quam ego potius laudabilem duco , dum nulli me ex Conſtantinis perdite affixum praedicavi , ſed unum tamen aliquem veriſimillime fuiſſe dixi .

Sed jam ad illam infamiam INCONSTANTIAE meae venio . Hoc jam pag. 353. objecerat : *Notanda eſt* , inquit , *inclinantis varias in partes ipſius animi INCONSTANTIA* . Quid ni animum nunc huc celerem , nunc dividerem illuc ? Quid dicturus eſſet ſi non id palam in lubrico poſitus profeſſus fuiſſem prope ſexcenties? Jam vero ubi recitatis ex me totis chartis , me criminis ejus , cujus ultro profeſſor prodieram , manifeſtum feciſſet ; hoc feſtivo epiphonemate utitur pag 355. v. 7. *Praeter unam a Conſtantino M. aedificatam Neap. baſilicam , cetera omnia . . .* (29) *PERNEGO MAJORE CONSTANTIA, quam qua ipſe INCONSTANTIA affirmat ?* Quaenam , rogo , me vineta caedentem ſua deprehendit , ut ſic objurget ? Quid ſi, quem amat , Mazochius

Minxerit in patrios cineres , aut triſte bidental
Moverit inceſtus ;

anne iſto modo agendum putaret ? Parcius iſta tamen , Aſſemane amantiſſime , fluxo & vieto ſilicernio , precor objicias, & ſatis, in quo caput eſt , ſtatum virilem tuum atque conſtantiam pertimeſcenti . Verum quodnam rogo eſt , cum in incerto rerum verſarer , fluctuantis animi ſcelus ? praeſertim qui id agerem , ut omnem animi pertinaciam (ſic enim potius , quam *conſtantiam* , quae virtutis nomen eſt , vocare malim) a me amolirer . Quid quod profeſſae hujus inconſtantiae, tu met in cauſa fuiſti ? Nam ſi quidem tum , cum ante hos duos tresve annos in Commentario ad Kalend. Marmoreum Poſteriores in S. Reſtitutam Curas ſcripturus , te de eo conſuluiſſem , utrum ſive Pogonatum ſive alium Conſtantinum veniſſe Neapolim , noſſes ; ſi me , inquam , tunc opportune docuiſſes ; minus nunc incerto veſtigio titubaſſem . Nunc quia nihil a te elicere litterarum quivi ; non committendum putavi , ut unquam alias ſtudiis obſtreperem tuis . Confer quae notavi ſupra initio cap. 1.

Quid quod ne hic quidem laceſſendi finem, cetera humaniſſimus, fecit ? Nam pag. 354. in ea ſatis longa Adnotatione, qua me de loco Joannis diac. infeliciter, uti vult, explicato vellicat , ſic praefatur : *Placet* , inquit , *docti viri* (is nempe ego ſum ; ſi Aſſemano creditur , laudanti prius , quos ſtatim eſt afflicturus) *ARVNDINEIS LICET FVLCRIS ſuam, ut exiſtimo , opinionem ſuſtentantis verba recitare* . Sic ſcilicet in ARVNDINEM VENTO AGITATAM (ut verbis Divini Servatoris utar) invehitur : cujus miſereri potius debuiſſet . Ceterum quandoquidem cenſuram acerbiorem ſuam in imam pagellam conjecit ; ego quoque totum iſtud accuſationis caput in imo (30) margine mollis affrictu ſpongiae detergam ; ac ſimul ita criminationem

enim id mea refert , utrum quis venerit , an omnino nullus ? Non in eo cauſa nunc vertitur ; nec id a me agitur : cui ſatis itta duo ſunt , quae evidentius Euclideis theorematibus demonſtravi : I. fuiſſe olim S. Reſtitutam alteram ab hodierna diverſam : II. hanc vero hodiernam fuiſſe olim ipſiſſimam illam decantatam Stephaniam . In his conſtans animi ſum , in ceteris Euripo inconſtantior .

(29) Tametſi ſinceritatem hic Aſſemani deſidero . Nam quae non adſcripſi , ſed interciſa punctis reliqui , ea ſic in Allemano leguntur: *Cetera omnia , quae de aliis eccleſiis* [quaſnam ego alias eccleſias a Conſtantino factas contendi , qui potius Conſtantinianas alias aedificationes inter commenta centies amandavi ?] *deque ere-*

ſis canonicationibus [quosne ego Parte II. non niſi ab S. Athanaſio erectos demonſtravi ? etſi hic potuerat ex donatis ab aliquo Conſtantino fundis canonicatus dotare] *a Conſtantino quocumque . . . pernego majore conſtantia , quam qua ipſe inconſtantia affirmat* . Imo in eo ſe mordicus obfirmet, ut uſque perneget : me quidem certe hortatorem & ſuffragatorem perpetuum habebit . Id tantum peto , ne mihi illa affingat , quorum ſemper contraria docui . Mea rogo lectores legant, & in rem praeſentem judicent .

(30) *Aſſemanicae circa Joannis diaconi interpretationem REPVLSAE REPVLSA.*

Ad pag. 354. in ima Adnotatione.

Me ſcil. repellit , quod Joannem diac. tot modis ineptiſſimis explanaverim ; & mea ipſius verba

pro

Digitized by Google

tionem omnem a me amoliar, ut tamen si non apertae calumniae (a qua candidissimum Assemani ingenium alienissimum judico) at certe non justae vexationis suspicio in Adversarii clariss. caput recidat. Quamquam quid ultra dissimulo? siquis alius locus est, ex quo constet, Assemanum non ex animi sui sententia haec effudisse, sed unice uti clientium suorum causae serviret, ac porro ostenderet quemadmodum causa inferior effici superior dicendo posset; hic certe locus est. Nam post varias Joannei loci explicationes ex me recitatas, apud me sequebatur statim interpretatio illa, in qua me unice velle conquiescere dixi, spretis scil. superioribus. Cur haec eadem non adscripsit, quibus illa superiora a me dicta revocabam? Verum de his pleniorem in subjecta Adnot. 30. querelam institui.

Diceret Assemanus, a se ultimam interpretationem meam haudquaquam omissam fuisse: ut qui pag. 355. v. 14. sic incipiat: *Quid quod commentitiam prorsus esse VETERIS ILLIVS NOVAEQVE S. RESTITVTAE ... nomenclationem, ex eo convincitur, quod* &c. Quonam argumento id probet, mox expendetur. Interim palam omnibus est, hoc quod hic aggreditur, nihil prorsus commune cum superioribus habere; nec unquam prorsus agnoscit aut commemorat, quamnam loci Joannei interpretationem ad ultimum adoptaverim, in eaque utpote mihi visa VERISSIMA CONQVIEVERIM.

Ceterum quod ibidem [quod modo narrare ex Assemano inceperam] ex eo antiquiorem

pro more recitat, sed tamen decurtat, nequa mihi suffragetur *Repulsa repulsae*. Locus ille sic habet in Episcopo Zosimo: *In urbe Neapoli* [Constantinus M.] *basilicam fecit, asserentibus multis quod Sancta Restituta fuisset*. Hunc locum egomet mihi sinceritate summa primus opposui, meque in omnes converti partes, quo incommoda ex eo impendentia averterem. Confer mea rogo, Parte I. cap. 1. totâ sect. 2. a pag. 7. ad 11. Atque hic ego consueta ingenuitate fatcor, me ubi primum ad hunc locum explicandum accessi, nondum satis ad eam causam fuisse instructum; necdum enim Chronicon S. Mariae de Princ., nec vitam B. Nic. Eremitae nactus fueram: ex quibus postea nescio quo casu repertis, vera statim interpretatio affulsit. Ergo his nondum visis, antea quidem, utcumque potui a loci Joannei difficultatibus me explicui. At statim postea ubi quodam Divino munere & chronicon illud, & simul B. Nicolai vita in manus pervenere meas; veram Joannis interpretationem, quam ex iis duobus monumentis didiceram, in fine sectionis ita superioribus subjeci, ut tamen aperte profiterer, me in ea ultima [spretis scil. superioribus] conquiescere. Cur hunc ultimum ambulatoriae voluntatis meae codicillum fidissimus [quid enim infidum vocem, qui tot folia ex me recitare ubique sustineat?] exsecutor testamentarius praeterivit? Cur superiora mei testamenti capita, quae irritaveram, sedulo adscribit: ultimam testatoris voluntatem sprevit? Tametsi ex ea quoque recitatione poterat fructum mirificum capere, nempe meam inde INCONSTANTIAM magis exaggerare, & ludos ex ea jucundissimos exhibere.

Verum ne cui gratis ista causari videar; quandoquidem Noster ex me tam multa toties recitare non dedignatur, mihi quoque liceat pauca ex me adscribere. Ergo pag. 10. num. IV. haec ultima testantis dictata fuere: quae tunc unice valere volui; quandoquidem cuinam decemvirale denegatur illud? *Vti legassit suae rei, ita jus esto*. Sic ergo ibi versu 2. scriptum fuit. *Postremo libentissime dabimus, hanc Joannis diac. S. Restitutam* [*quam nempe a multis pro Constantiniana habitam tradit*] *diversam a Stephania fuisse. At ne sic quidem quidquam nobis impendet periculi. Nam promptum erit respondere, illam Diaconi S. Restitutam* [*quae diversa ab Stephania h. e. ab hodierna S. Restituta fuerit*] *quamdam fuisse basilicam aut oratorium Stephaniae adjunctum aut proximum: de quo scil. Auctor vitae longioris S. Athanasii tamquam a Stephania diverso loquitur. Verum de hoc tum demum plenius ac planius edisseremus, cum cap. IV. objectioni III. respondebimus.* Et quibusdam interjectis. *Itaque* [*ut ad Joann. diac. redeam*] *in HAC VLTIMA RESPONSIONE utpote expeditiore ac VERISSIMA CONQVIESCAMVS.* Mitto Posteriores Curas meas de hoc negotio scriptas, quas inter finem Appendicis & Indices reperies. pag. 307. 308.

Atqui horum nihil Noster adscripsit: qui tamen in superioribus illis [quorum ipsorum non defugerem auctoritatem, nisi postea meliora, ac proinde veriora reperissem] non sic exsultat, quasi qui ea *ἀσύστατα* ostendere quiverit, sed quasi INCONSTANTIAE manifesta h. e. [ut egomet mea interpretor] nullius pertinaciae criminis sibi conscia.

Digitized by Google

rem illam sanctae Restitutae ecclesiam fuisse negat, quod in lectionibus, quae hodie recitantur, id non legatur: miror quid istuc argumenti sit. Primum lectiones illae ante hos centum circiter annos compositae Neapoli fuere: deinde ibi *In Basilica Restitutae titulo insignita* repositas fuisse reliquias dicitur: at in antiquiore ne illa, an hodierna reconditae fuerint, prorsus tacetur. Nec in eo quidquam est virium, quod sub Archiep. Gesualdo sub hodiernae S. Restitutae Ara majore reperta fuisse sacra ejus lipsana, Caracciolus tradidit. Nam toties jam hoc inculcavi, sub saeculi XIV. initium eas reliquias ex antiquiore ruinoso S. Restitutae oratorio in veteris Cathedralis truncum fuisse transmissas, eoque facto veteri huic Cathedrali novum S. Restitutae nomen conciliatum. Sed jam nimium diu nos Assemanus noster, aut offundendo caliginem argumentis meis, aut aliorsum eorum vim deflectendo, aut alio strategemate delassavit. Libet jam mihi simul ac lectori meo paullulum requietis capere.

CAPVT V.

Quo adversus criminationes a sect. XXXII. ad XXXIV. propositas excipitur.

Refectis parumper viribus, rursus Assemanum praegredientem sequimur, non passibus aequis. Quis enim ejus miram celeritatem ingenii se consecuturum speret? Sect. XXXII. in chronici S. M. de Principio rudem simplicitatem iterum [nam & hoc ante fecerat: vide sup. cap. I.] stylum acuit, & illud critica bile perfundit. Atqui peccat quidem multa vitio temporum chronographus ille, at pauciora quam exprobrat, & ita ut quasi ex Ennii sterquilinio aurum colligere liceat. Jam primum quod Noster pag. 357. ante medium ait, me *Sanctam Restitutam antiquiorem ab hodierna distinxisse tamquam partem a toto*; non recte accipit. Nam potius antiquiorem illam sic semper ab hodierna distinxi, sicuti adjacens minor ecclesia a majore, cui adjacet, secernitur. Hasce autem minores adjacentes ecclesias tunc temporis *Cappellas* vocabant, ut tum ex hoc chronico, tum ex Vita B. Nicolai [cujus locum vide Par. I. cap. VI.] constat., ubi hanc eamdem veterem S. Restitutam tum *Ecclesiam*, tum etiam *Cappellam* vocat. Erant omnino dispares Ecclesiae, sibi invicem cohaerentes; sicuti hodierna S. Restituta se habet comparate ad Cathedralem hodiernam.

Ad pag. 358. circa medium. Errat quidem Chronici auctor, dum eam, quae suo tempore in hodierna S. Restituta erat episcopalis ecclesia, eamdem ante Constantinum Magnum fuisse putat: at idem error facile corrigetur, si hoc ad alium Constantinum Stephano I. episcopo posteriorem [quicumque is fuerit] referas: de quo nolo pluries a me dicta repetere.

Deinde post paginae medium in iis chronici verbis, *Neapolitana* (i. e. cathedralis) *ecclesia, OLIM nominata ecclesia Stephania*, illud OLIM non ad Magni Constantini (qui duobus saeculis Stephano antecessit) sed ad chronographi scribentis aetatem refertur. Nam ea cathedralis usque ad XI. & forsan XII. saeculum *Stephania* vocabatur: at XIII. saeculo, quo chronicon scriptum fuit, *Stephania* vocari desierat: cujus appellationis loco nunc *Neapolitana* aut *Major Ecclesia*, nunc *S. Januarii basilica*, nuncupari coepit. Ea nominum successio ex innumeris constat locis, quibus nunc abstineo: producturus, siquis institerit.

Ad ejusd. pag. finem. Peccat quidem chronographus, dum *Cappellam S. Joannis ad fontem* a Constantino M. factam prodidit, quam non nisi a Vincentio postea conditam, satis scimus: at in eo nec falli ipse, nec alios fallere potuit, dum Cappellam hanc ita tribunae Stephaniae applicat, sicuti adhuc hodie tribunae hodiernae S. Restitutae applicita visitur [eum chronici locum tum Par. I. cap. VI. tum in Anteloq. Par. I. tum hoc ipso Peremptorio Par. 2. c. 2. explicuimus] ex quo Stephaniae & hodiernae S. Restitutae unum invicte probatur. Atque hoc unum ex Achilleis tribus argumentis est ab Assemano dissimulatis, & sic quasi inhospitali Maleae promontorio, caute praeteritis.

Pag. 360. ante finem sectionis XXXII. per verba illa chronici: *Quam quidem Cappellam*

Digitized by Google

pellam Sanctae Reſtitutae (h. e. illam priorem S. Reſtitutae Memoriam Cathedrali veteri adhaerentem) *conſtrui etiam & aedificari fecit dictus Imperator* : per haec inquam verba non aliud quam hodiernam Sanctam Reſtitutam, tota quanta eſt, intelligi contendit. Nollem ſane id pro tanto excidiſſet. Eſtne enim credibile, baſilicam tantam, quaternis columnarum ordinibus fultam [quam in Anteloquii Parte II. adumbratam dedimus] ab hoc chronographo *Cappellam* dici potuiſſe? Superi, veſtram fidem! At etiam rationem affert. Nam cum ex chronico ea verba recitaſſet, quibus cappella illa ſeu Sancta Reſtituta antiquior ab Imperatore donata Capitulo noſtro dicitur, addit ex eo oſtendi non aliud quam hodiernam S. Reſtitutae baſilicam eſſe capiendam, ut quae jam tum, inquit, *in plenum jus & dominium Capituli Neapolitani ceſſit*. Atque hic a lectore rogo, ut eorum meminerit, quae in Diſſert. Par. I. cap. VI. ad hexametros Muſivi S. Mariae de Principio commentabar: ex quibus conſtat hodiernae S. Reſtitutae dominium haud antiquius anno 1313. fuiſſe: quo anno Capitulum trunco hujus baſilicae [quae proxime fuerat cathedralis] INSTAVRATOR datum fuit. Nec temere id dominium adepti fuere Canonici. Nam ſicut a *Sanctae Reſtitutae* antiquioris (teſte chronico S. M. de Principio) domini fuerant; ſic quia ex ea Memoria jam collabente, Virginis reliquiae una cum appellatione in veteris cathedralis truncum transmigrarunt; decuit hanc poſteriorem sanctam Reſtitutam Canonicis inſtauratoribus pleno jure concedi. Ibidem de jure *Inſtauri* haud protrita docui.

Jam vero Sect. XXXIII. pag. 361. prope ab initio a me quaerit, undenam didicerim, ab hodierna S. Reſtitutae baſilica fuiſſe aliam diverſam Sanctam Reſtitutam antiquiorem. At hoc tute, Vir doctiſſime, millies in locis chronici a te productis recitaſti. Vel proxime, a pagina 357. ad hunc uſque locum nihil ferme aliud recitas; & tamen in eo te obfirmaſti, ut illud te non videre ſimules, quod vel rudiſcitioſi videmus: imo ut [quod multo eſt admirabilius] ſub *Cappellae* nomine (ſub quo ante hodiernarum cappellarum uſum, vix aliud quam minores eccleſiae, Memoriae, aut oratoria grandioribus baſilicis adjacentia veniebant) ingentem & praegrandem hanc [maxime quamdiu integra fuit] Sanctam Reſtitutam hodiernam intelligi jubeas, idque te ipſum animitus ſentire ſimules: qui certe mentem animi longe alia ſentientem geras.

Ad finem pag. 361. rurſus meam INCONSTANTIAM [adverſus quam jamdiu profeſſas inimicitias gerit] inſectatur, dum ego modo cum chronographo S.M. de Principio veterem pri[illegible] Sanctae Reſtitutae Memoriam Capitulo imperiali donatione circiter VII. ſaeculo conceſſam, modo ſub Regibus Andegavenſibus hodiernam S. Reſtitutam eidem donatam, dixerim. Quidni vero utrumque tam diverſis temporibus acciderit? imo & ex priore illa donatione etiam poſterior fluxerit? Vide quae proxime ad pag. 360. adnotata in fine fuerunt.

Ad pag. 362. initio ſect. XXXIV. Non equidem pro certo affirmaveram, Stephaniam potius a Stephano II. dictam. Et tamen cur veriſimilius a Stephano II. ſic dicta fuerit, probabiles rationes [praeter illam unam ab Aſſemano ex me recitatam] attuleram locis ſuis: quae loca lector ipſe poterit ope Indicum reperire: quod alibi, quoties opus, faciat cenſeo.

Ad finem ejuſd. pag. 362. Moneo lectorem, ut cum Aſſemani objectis de Stephaniana Eccleſia (quam a fundamentis factam, non vero refectam aut amplificatam ipſe contendit) meas de Sancta Reſtituta *Curas poſteriores* breviſſimas conferat, quas ad finem Appendicis in *Monum. XI.* pag. 307. 308. reperiet. Quibus lectis totum hoc concidet accuſationis caput.

Pag. 364. vir ſummus hodiernam S. Reſtitutam a Stephania hoc argumento diverſam facit. Joannes diac. num. XXII. in Joanne epiſcopo teſtatur, in apſide Stephaniae ab hoc Joanne depictam fuiſſe opere teſſellato *Transfigurationem D. N. J. C.* Cum ergo in hodiernae Sanctae Reſtitutae apſide Salvatoris effigies, non transfigurati, ſed ſedentis exhibeatur,

nec

Digitized by Google

nec ex opere musivo, sed picturae coloribus; ex eo diversitas hodiernae S. Restitutae a Stephania satis colligitur. Miror autem, hoc ab eruditiss. viro scribi serio potuisse (quamquam non serio, sed dicis causa pleraque ab eo scripta in hac causa, satis constat) qui probe novit, hoc totum Joannis episcopi musivum opus simul cum tota basilica incendio consumptum sub Stephano II. fuisse; ita ut totam Stephaniam Stephanus hic alter renovaverit. Hic vero loco Salvatoris transfigurati imaginem Salvatoris sedentis (qualem hodieque forsan habemus ipsissimam: nisi vero inter Stephanum II. & haec tempora alia renovatio, ignota nobis, intercesserit) expressam reliquit.

Atque hic ab viae duce Cl. Assemano etiam atque etiam peto, uti paullisper resistat; nec enim tanta pernicitate praecurrentis vestigia premere senex anhelus & suspiriosus queo. Paullum requietis obsecro, uti spiritum libere ducam: aut ultro jugulum enecaturo praebeo.

CAPUT VI.

REPLICATIO

Qua exceptiones, quibus mearum rationum nonnullas Assemanus eludit, eliduntur.

SECTIO I.

Mirum Assemani consilium, quo trini Achillis mei impetus levi lateris declinatione vitavit.

Interquiescenti mihi casu incidit, ut in ultimos pag. 364. & primores quatuor pag. 365. versus [qui me antea effugerant] conjicerem oculos; meque jam ante victorem, clam structis insidiis circumventum, prope jam duci captivum persentiscerem. Nam etiam IO TRIVMPHE cani ab hoste ferociente occeperat. *Certe* [inquit versu quinto ante finem paginae 364.] *hoc solum Absidis ... argumentum EVINCIT* [ex hoc uno verbo vides, quam certam victoriam praeceperit animo] *Stephaniam a Constantiniana* (sic hodiernam S. Restitutam vocat, quā ego ipsissimam Stephaniam fuisse ostenderam) *differre*. Jam, uti vides, sibi in haud dubia victoria gratulatur. Quam nequis πόδας ἀκὺς Achilles [ex illis nempe tribus, de quibus nonnihil hujusmet Peremptorii Parte I. cap. 2. dixi, fusius autem in Anteloquio egeram a pag. IV. ad XI.] nequis, inquam, Achilles erepturus accurrat; vide quid ille dux egerit sane perquam vafro consilio. Nam tres illos tales atque tantos Achilles propugnatores meos tribus dumtaxat versibus [primis scil. paginae 365.] tamquam saltibus totidem transilivit.

Sic enim post recitata proxime verba statim sequitur: *Ac proinde* (illud *Absidis argumentum*, de quo proxime dixerat; quodque ego in fine cap. superioris diffiavi) *nullius esse roboris ostendit eam ipsam Cl. Mazochii argumentationem, in* APPENDICE *PAG. 4. ostentatam, qua ait* &c. Subsiste parumper, lector: circumsideris enim. Ni caves, hostis ex composito circumveniet. Nam primum in citatione ipsa & notis numerorum Arabicis callidum inest consilium, ne tibi sit quoquam evadendi locus. Quodnam sit id consilium, tibi postea (31) ut expo-

(31) Cum satis ex plurimis Assemanianae rerum mearum reprehensionis locis [quae alibi notavimus] constet, ab viro amicis. lectum fuisse *Anteloquium* meum; id tamen ab eo nomine *Appendicis* designatur. Potuit hoc quidem sine astu fieri, quod forte suspicaretur, quidquid extra Dissertationem esset, id totum ad Appendicem pertinere: tametsi & characterum diversitas, & [in quo rei caput est] notarum Romanarum, quibus paginae praenotantur, eum satis admonerent, huic Anteloquio nihil cum Appendice fuisse commune. Verum age detur hoc Assemani, non nisi ad maxima quaeque intenti, incogitantiae. At illud quis ferat, quod paginas Anteloquii, quas ego notis numerorum Romanis praesignaveram, eas Noster notis [quas vocant Arabicas, sive Indicas] designaverit? Fuit sane saltem temere, suspicandi locus, id dedita opera ab eo factum, ut loca Anteloquii mea impervia lectori fierent, ne forte perlectis meis, statim dedoceretur, neve dedoctus, mihi statim litem adjudicaret. Idque eo magis, quod ab eo tam neglectim, ac tribus admodum versibus res tanta tractatur. Ita quidem olim leviss. suspicabar.

Verum ipse me nunc recipio ac reprehendo; atque in id potius inclinat animus, quod hujus Peremptorii Parte I. cap. 1. de Assemani hac rerum mearum refutatione consueram. Dictum ibi fuit, haec non ex animi sui sententia scripsisse Assemanum, verum uti causae serviret, atque expe-

Digitized by Google

exponatur faciam. Interim ne moras necte; ac citius, si sapis, non *Appendicem*, sed *Anteloquium* fugâ occupes censeo, ibique non PAGINAM 4. [notis scil. Arabicis] sed IV. (notis Romanis) quaeras. Ibi in tuto salus erit.

Ibidem proxime sequitur: *Nullius esse roboris . . Mazochii argumentationem, qua ait Stephaniae partes extremas duas, Apsidem scil. & Atrium*, (hodiernae) *Sanctae Restitutae congruere*. Hoccine fuit argumenta duo mea proponere, illa scil. in quibus certam ipse fiduciam victoriae reposueram? Integra mea folia, ubi opus non fuit, totidem verbis in sua scripta transfundere suos librarios jussit, ne cui minus fidelis (& laudo quidem) in meis exponendis rationibus videretur: nunc ubi de arce argumentorum meorum agitur, sic neglectim oculis admodum decem res tanta narratur? *Stephaniae*, inquit, *partes extremas duas, Apsidem scil. & Atrium S. Restitutae congruere*.

Sed quemadmodum his ipsis responderit, videamus. Tam jejunae argumentorum expositioni (qua Achilles meos coegit agere Plautinas esuriales ferias) admetitur sicciora responsa. Sic enim pergit: *Congruunt quidem sanctae Restitutae, quemadmodum ibi pag. 5. ad 8.* (cave tibi lector, ac notas numeror. non Arabicas, sed Romanas, nec in Appendice, sed in Anteloquio require) *describuntur; sed utraq. extrema pars ad Stephaniam nullatenus pertinet*. Et hactenus sese Achilles meos prostravisse ac jugulasse jejunio credidit. Verum iidem adhuc integri post tam sibi importunam inediam virent vigentque. Adeat lector Anteloquium meum, quod Dissertationi praegreditur, a pag. IV. ad XI., atque in rem praesentem judicet, an ea duo extrema *ad Stephaniam nullatenus pertineant*; & an adversus ea argumenta ulla evasio pateat. Quibus rogo, ut & Achillem tertium de Petri turri campanaria (de qua nullum usquam in tota Assemanica rerum mearum refutatione vestigium impressum reperio) de Stephaniae, inquam, turri campanaria, & inde petita verissima ejusdem Stephaniae ichnographia adjiciant: quod totum in eod. Anteloquio a pag. XIII. ad XXIII. exponitur.

Parcat vero lector, si ab hujus sectionis initio interdum lusisse videamur. Nam primum bella ipsa vel cruentissima *Ludum* vocari, nemo ignorat. Deinde numquid mihi contumeliae aut convicii excidit? Qui me norunt popularium meorum, satis etiam hoc sciunt, quam assiduus atque prolixus locis atque horis omnibus amicissimi Assemani laudator semper exstiterim; ac me haud porro dissimilem futurum scient.

SECTIO II.

De Raynerii aetate, ac de Ambonibus.

Sed jam pergo Assemani praeeuntis vestigia premere. Qui sub ipso sectionis XXXV. vestibulo pag. 365. ubi me denuo de *Stephaniae* nominis originatione carpsisset (cui calumniae cap. superiore respondimus) de Raynerii aetate controversiam movet: quem ipse, aut aequalem Stephano II. facit, aut saltem exeunte VIII. saeculo, aut IX. ineunte scripsisse cum vulgo scriptorum nostrorum affirmat, nec tamen ullo argumento docet. At ego in Additamentis ad S. Januarii Acta (quae ad finem tom. 3. ad Kalend. Marmor. jam diu impressa fuere: sed quo minus totus ille tomus jamdiu absolutus prodierit, aliud ex alio morae fuit) ergo in iis Additamentis pag. 970. Adn. 6. Raynerium sive XII. ineunte saeculo, sive forsan XI. illam Translationis historiam elucubrasse, tum ex ipso *Raynerii* nomine docui (quod ante Nortmannica tempora ignotum fuerat) tum ex versibus, quos inserit, Leoninis, tum aliis rationibus.

Jam vero Noster eadem extremâ pag. de Ambonibus non recte excipit: quos Hannibal de Capua cum suo Visitatorum concilio pro Ambonibus veteris cathedralis illius, quae hodiernam proxime antecessit, ex traditione per manus accepta habuit. Parcat vir humanissimus, si Hannibalem

experiundo & extundendo demonstraret, quemadmodum afflictae Hebdomadariorum nostrorum [qui ad asylum suum confugissent] res tum di-

cendo, tum etiam auctoritate sui nominis erigi possent. Atque id nempe sibi voluit damno meo; nam in me tandem omnis haec faba cuditur.

Digitized by Google

potius (ducem Poeno haud paullo sagaciorem) quam ipsum sequar.

SECTIO III.

De loco Joannis Cimeliarchae.

Jam vero pag. 366. medià locum egregium Joannis Cimeliarchae, ex quo Stephaniam in hodierna S. Restituta fuisse planissime demonstraveram, eripere mihi conatur e manibus. Sed profecto efficiam, non tantum ne illustre testimonium extorqueat, verum etiam ut id argumentum unum ex Achilleis evadat, ac tribus illis in Anteloquio propositis quartum accedat.

Joannes, de quo loquimur, Cimeliarches vitam *S. Joannis Scribae*, inter Joannes episcopos quarti [qui aevo hujus scriptoris vulgo *ad Aquarolam* vocabatur] hortatu Bernardi Archiepiscopi vergente [ut infra ostendam] XIII. saeculo, nobis descriptam reliquit: ex cujus vitae praefatione nos ea verba describeramus, quae ad hanc controversiam dirimendam valerent; eaque huc iterum adscribemus. Sic ergo praefari incipit. *Cum quadam die bonae mem Bernardus Archiepiscopus . . mecum . . in suo consistorio haberet de divinis colloquium; de corporibus sanctis quae hactenus in ecclesia* (32) *Neapolitana collocata* (33) *fuerunt, inspirante divina clementia, contigit sermonem haberi. Inter quae meminimus esse venerabile corpus S. Joannis episcopi ejusd. Ecclesiae, qui AD ACQVAROLAM* (34) *vulgariter nuncupatur: quod corpus sanctum collocatum fuisse dicitur ab antiquo in sepulcro, quod est ante parvum ostium* (35) *IPSIVS ecclesiae, in quo IMAGO sua depicta* (36) *videtur; nunc vero in Altari, quod juxta portam, qua itur ad ecclesiam S. Joannis ad Fontes, quod Altare* (37) *Trinitatis vocatur, est firmiter collocatum.*

Ex

(32) Cathedralem intelligit: quae toto XI. saeculo [ac forsan etiam per initia duodecim] vocari *Stephania* consueverat. At demum XIII. saeculo nunc *Neapolitana* (κατ' ἐξοχὴν scil.) nunc *Major ecclesia* vocitabatur, nunc *S. Januarii basilica*, aut aliis fortassis nominibus. Ad hanc igitur priorem cathedralem omnia pertinent, quae infra dicuntur de imagine S. Joannis, quae erat *Ante parvum ostium* ipsius [h. e. *ejusdem*, ut infra notabo] *ecclesiae*, de *Porta, qua* [ex eadem ecclesia] *itur ad ecclesiam S. Joannis ad Fontes* &c.

(33) Ante quadringentos scil. annos ab aetate scriptoris hujus *collocata* fuerant ab hoc eod. S. Joanne IV. cujus vitam aggreditur. Qui Praesul *Corpora suorum praedecessorum* [sanctitate illustrium] *de sepulcris, in quibus jacuerant, levavit, & in ecclesia Stephania singillatim COLLOCANS* [utitur hic eodem *Collocandi* verbo Cimeliarches] . . . *desuper eorum EFFIGIES depinxit*. Huic Diaconi locum habuit ob oculos Cimeliarches [quem scil. locum infra etiam integrum Vitae ipsi intexuit] unde & IMAGINIS hujus Sᵃ Praesulis paullo post meminit.

(34) Non olim, sed aetate hujus scriptoris AD ACQVAROLAM vocabatur: quod nomen [missis nunc Caraccioli, Henschenii, & aliorum ariolationibus] a loco sepulcri videtur inditum. Nam prope portam S. Joannis ad Fontes sub altari *firmiter* conditus S. Joannes reperiebatur: quo loco forsitan *Aquula* (h. e. vulgari Neapolitanorum sermone *Acquarola*) etiam tum saliebat, aut saltem olim prosiliérat, ad replendum fontem baptismalem? ex quo inditum hoc nomen, ut AD ACQVAROLAM diceretur. Nec illud ab re factum fuit, ut prope portam Baptisterii *Altare Trinitatis* viseretur; nempe ut fideles meminissent se sub invocatione Trinitatis fuisse lotos: quod ipsum persecutionis Vandalicae Martyres in Victoris Vitensis historia perpetuo admonent.

(35) IPSIVS tantumdem est quod *Ejusdem*. Quod in medii aevi scriptoribus est perpetuum. In noni saeculi & sequentium Martyrologiis IPSA DIE pro *Eadem die* tertio quoque verbo recurrit. Etiam in Rom. Mrologio hoc saepe audimus: in quod ea vocum biga ex Vsuardo (ex quo origo prima hodierni Romani est) redundavit. Porro istud *Parvum ostium* (ante quod sepulcrum cum IMAGINE S. Joannis IV. *ab antiquo* fuerat, i. e. paullo post ejus obitum: nempe successoribus tantumdem ei rependentibus, quod ipse in suis decessoribus fecerat) illud, inquam, *PARVVM OSTIVM* nunc monstrare non possumus; propterea quod cum ad explicanda novae huic cathedrali spatia vetus cathedralis, quae nunc S. Restituta dicitur, decurtata fuisset, tria illa antiquiora basilicae ostia (quorum medium majus, cetera duo parva pro more erant) necessario deperierunt.

(36) Etiam tum aetate scriptoris hujus post saeculi XIII. medium h. e. abhinc quingentos annos, IMAGO illa DEPICTA VIDEBATVR, ad similitudinem scil. ceterarum, quas ipse S. Joannes suis decessoribus depinxerat.

(37) Cur prope portam baptisterii *Altare Trinitatis* constructum fuerit, dixi modo in fine

Ad-

Digitized by Google

Ex hoc porro loco in Dissert. superiore historica a pag. 61. ad 63. breviter ostenderam, idque hic denuo demonstro, veterem cathedralem (nim. hodiernâ priorem, quae primitus *Stephania* vocabatur) haud plane aliam ab hodierna S. Restituta fuisse, hac maxime de causa. Nam *porta, qua ad ecclesiam S. Joannis ad Fontes* ibatur, haud dubie in hodiernam S. Restituta nunc est & olim erat. Ergo in eadem erat & illud *Parvum ostium*, ante quod *Imago* cum sepulcro S. Joannis exstabat. Nam si hoc ostium ad aliam commentitiam ecclesiam pertinuisset; haud dubie id scriptor expressisset: nunc IPSIVS [h.e. ejusdem] *ecclesiae* scripsit. Ex his igitur, sequitur, episcoporum sepulcra cū superne depictis imaginibus (quae Joannes diac. in Stephania fuisse disposita dixit, & ex Joanne diac. retulit Cimeliarcha in hac vita) non nisi in hodierna S. Restituta fuisse, nempe in illa ipsa ecclesia, ex qua ad sacellum S. Joannis ad Fontes commeatur: proinde hanc eamdem hodiernam S. Restitutam fuisse antiquam Stephaniam, & eamdem merito a Cimeliarcha *Neapolitanam ecclesiam* [h. e. cathedralem sui temporis] fuisse vocatam. Atque haec quidem jam olim a pag. 61. ad 63. demonstrata, nunc paullo accuratius enucleata dedimus.

At ejusmodi tam planum & efficax argumentum Assemanus excutere mihi de manibus est conatus, unice ex Chioccarelli & Vghelli historicis peccatis proficiens. Nam cum Chioccarellus in Bernardo Ruteno [illo scil. qui ab anno 1368. ad 1378. hanc rexit ecclesiam] aliquid humanitus passus, scripsisset, Ruteni hujus hortatu Joannem Cimeliarcham vitam S. Joannis IV. elucubrasse, idque postea ex Chioccarello pro more suo Vghellus hausisset [quos ambos duces ego quoque, fateor, in Comm. Kalendarii marmorei ad III. April. secutus incaute fueram] hanc eamdem sententiam mirifice sibi proficuam statim Assemanus arripuit; qui nunc sub amborum auspiciis mihi pugnam ciet. At nego equidem Assemanum, utpote acutissimae naris, non vidisse Chioccarelli sententiam esse absurdissimam: sed tamen maluisse causae suae rationibus, quam veritati litare. At ego, ne lectorem nimium morer, in ima (38) pagella certissimis rationibus efficiam, Cimeliarclarius. Nunc quando hujus quoque rei gratia ineunda sunt praelia; certum est omnia perpeti potius, quam ut in tanta causae bonitate dem victori manus. Bernardum igitur Caracciolum prorsus debere intelligi hisce rationibus statuo.

I. Ac primum Bernardus Caracciolus Rubeus Petro illi successit, cujus hortatu Albericus Acta S. Asprenis elucubravit. Atqui haud dubie Petri sui decessoris exemplum Bernardus in eo secutus est, quod similia mandata huic Cimeliarchae dederit, nimirum paria in Joanne IV. faceret, ac Albericus in Asprene fecisset. Nam id passim usu venit, ut successores proximorum decessorum suorum vestigiis insistant, in rebus praesertim vulgo plausibilibus; atque illorum incepta perficiant. Nunc vero si usque ad XIV. declinantis saeculi tempora sit exspectandum, quousque Bernardus alius ad Joannis IV. vitam elucubrandam prosiliat; quis non videt, id sero factum iri, postquam operum similium studium refrixisset?

II. Totus Cimeliarchae prologus eo ducit, non ut XIV. saeculo post novam hodiernam Cathedralem dedicatam, sed decurrente XIII. omnino se scriptum prodat. Nam si post Cathedralis hodiernae encaenia ille scriptus fuisset; haud

Adnot. 34. Et sub Altari quidem illo corpus S. Joannis adhuc XIII. saeculo, sanitatibus & miraculis coruscabat; eaque de causa non ejus etiam reliquiae [sicuti ceterorum Sanctorum] fuerunt postea loco motae, ut in novam Cathedralem transferrentur. Nam ita semper observatum fuit, ut ad quae sepulcra gratiae sanitatum factitarentur, ea inquietandi religio esset. At sero tandem ubi ea tanta veneratio refrixisset; tunc demum Altare illud in alium locum amotum fuit [quonam vero translatum fuerit, docui in Dissert. pag. 63. Adnot. 54.] at S. Joannis IV. reliquias sub Ara maxima hodiernae S. Restitutae recondi placuit.

(38) *Quod Joan. Cimeliarches ad vitam S. Joannis IV. pertexendam non a Bernardo Gallo saeculi XIV. Praesule, sed a Bernardo Caracciolo medii saeculi XIII. Pontifice stimulatus fuerit.*

Pro Bernardo Caracciolo in Dissert. cap. VI. pag. 61. & seq. steteram [iis scil. neglectis, quae ipse olim ad Kalendarium, Chioccarello male credulus, pro Gallo scripseram] verum, cum doctis ac docilibus viris scriberem; nullam mihi rei tam apertae causa disceptationem suscipiendam putavi, ratus fore hoc attendentibus meridie

Digitized by Google

liarchen non nisi Bernardi Caraccioli [ejus scil. qui ab anno 1252. ad 1262. hanc ecclesiam gubernavit] hortatu acta S. Joannis IV. scripsisse : ad haec autem ibidem ostendam, haud ex vero Assemanum Bollandianos in suam (39) sententiam pertraxisse, quippe prorsus invitos, atque exclamantes, vim sibi in eo illatam.

Verum jam ipsum hoc videamus, ecqua tanta cupido rejiciendi Cimeliarchen in

haud dubie duplicis ecclesiae meminisset, & inter *Majorem Neapolitanam ecclesiam* interque *Sanctam Restitutam* nominum divortia facere debuisset. Nam satis scimus in Humberti Constitutione *de Cultu divino*, & Vrsini Ritibus post hodiernae encaenia scriptis utriusque mentionem exsertam fieri, & sexcenties inculcari. Videsis Parte II. pag. 149. Humberti Constitutionem illam, & Vrsini Exsequialem pag. 157. Adn. 63. et sparsim Vrsinianos Ritus: ibi ejus saeculi morem deprehendes, quo utraque basilica necessario memorabatur. Nunc quia de duplice Ecclesia tacetur; id certo argumento est, Cimeliarchae Prologum cum sua Vita ante hodiernae Cathedralis aedificationem fuisse perscriptum, eoque tempore non nisi unam Cathedralem fuisse, quae antiquitus *Stephania* vocabatur, saeculo vero XIII. scribente Cimeliarcha, *Major* aut *Neap. Ecclesia* dicebatur.

III. Postremo eamdem quoque sententiam Bollandistae Henschenio, & Neapolitanis ejus temporis ἀρχαιολόγοις placuisse, numquam equidem animadvertissem, nisi ad ejus rei curam Assemanus me noster compulisset. Verum de horum auctoritate videatur adnotatio sequens.

(39) *Bollandistas ab Assemano in suam sententiam per vim abductos fuisse: quos manifestum est docuisse contrarium.*

Nisi equidem egregium Asemani candorem intus & in cute nossem; non possem non accusare flagitii, a quo Bollandianos sic video laudari, tamquam qui Cimeliarchen eidem XIV. saeculo assignaverint, etsi paullo aliter a Chioccarello. Nunc quia viri tanti sinceritas satis perspecta est omnibus; ejus rei culpa non nisi in Assemani amanuenses, nec non & eos quibuscum tot operum suorum dispertitas curas habet, tota prorsus conferri debet.

Ergo quid illud sibi vult, quod in Assemano prope a fine pag. 367. legitur? *Bollandiani*, inquit, *ad I. April. pag. 31. alterum Bernardum, hujus de quo diximus proximum decessorem intelligunt, qui ab Vrbano V. die IX. Septemb. 1365. Neapolitanus Archiepiscopus creatus, ab eod. Vrbano die 28. Septemb. 1368. Sacro Cardinalium Collegio cooptatus, Neapolitano sacerdotio se exoneravit; obiitque die 2. April. 1371. non anno 1368. uti Bollandianis ejus mors pro Cardinalatu excidit.* Quis unquam mihi affirmanti credet, horum nihil prorsus apud Bollandianos *ad I. April. pag.* 31. [ad quam paginam nos Assemanus rejicit] nec omnino alibi legi? Apud quos pag. 31. [edit. Antuerpiae, qua utitur Assemanus] num. 2. haec tantum, quae huc pertineant, reperio. *Acta* (S. Joannis IV.) *posteriora . . scripsit Joannes Cimeliarcha . . . de mandato Bernardi Archiepiscopi, qui traditur anno MCCCLXII.* [sed ex errore typographi nota centenarii tertia irrepsit; re enim vera Bernardus Caracciolus anno 1262. obiit: at anno 1362. nemo nostrorum Archiepiscopor. excessit] *vita functus: post cujus obitum* [*ut ex praefatione constat*] *suam istam lucubrationem vulgavit . . . Submisit nobis* (haec Acta) *Ant. Beatillus noster* Jesuita Neapolitanus in hisce studiis vergente superiore saeculo [nam is tomus anno 1675. prodiit] satis celebratus. Vbinam in his (quae libuit integra retulisse) ulla est tot notitiarum, quas Bollandianis tribuit, vola aut vestigium? Nec enim anni 1368. ulla est apud illos mentio, sed tantum anni MCCCLXII: qui haud dubie somniculoso typographo pro MCCLXII. obrepsit.

Ceterum quod Bollandistae Henschenii [is enim in hujus S. Joannis acta commentatus fuit] animo verus mortis Bernardi annus non MCCCLXII., sed (una notâ minus) MCCLXII. insederit, non ex supra dictis solum constat, sed ex iis etiam quae ad Praefationis vitae initium idem Henschenius subnotavit his verbis: *Bernardus* (ille qui Cimeliarchen ad contexenda S. Joannis Acta incitavit) *vita functus dicitur anno 1262. III. Non. Octobris.* Et hanc de Bernardo animadversionem equidem Beatillo [qui Acta submisit Henschenio] & ejus temporis ἀρχαιολόγοις tribuendam censeo: a quibus scil. apertissimus Chioccarelli error ea parte correctus fuit.

Nunc autem cum haec tam manifesta sint; vide tamen quodnam illud sit nigrum Theta, quod Assemanus amiciss. statim post sua illa supra recitata verba mihi praefigere in deliciis habuit. *Quare*, inquit, *cl. Maxochius FALLITVR, dum Par. I. cap. 6. sect. 2. Joannem Cimeliarcham vixisse ait ab anno 1252. ad 1262.* &c. Quamquam ne mea quidem vere refert, qui decennium illud non viventi Cimeliarchae tribueram, sed sedenti Archiepiscopo, qui Cimeliarchen ad vitam scribendam incitavit: quae vita non nisi post Praesulis obitum scripta fuit. Et tamen ego FALLOR: ipsius judicium irrefragabile: certe quia Ἀυτὸς ἔφα. *Durum, sed levius fit patientia.*

Digitized by Google

ſaeculi XIV. finem Aſſemanum inceſſerit. Hoc quidem perfacile aſſequimur: nempe, ut de hodierna Cathedrali, non de vetere, loquentem Cimeliarchen inducat. At id quoque infeliciter ei ceſſit. Nam cum una ſemper eademque eccleſia in toto illo Cimeliarchae prologo recurrat; e contrario hic Noſter duplicem deſignari baſilicam a Cimeliarcha id nolente ac deteſtante cogit. Nam in hodierna quidem nova Cathedrali fuiſſe ſepulcrum S. Joannis nulla prorſus (40) ratione, ſed tantum pro imperio jubet. Deinde cum eo ventum eſt ut de *porta qua itur ad eccleſiam S. Joan. ad Fontes* mentio fiat, tū vero Noſter ex hodierna Cathedrali ad hodiernam S. Reſtitutam protinus recurri jubet: id vero nulla mentione duplicis baſilicae facta, quae omnino facienda fuiſſet, quia XIV. ſaeculi morem [quem ab Humberto, ab Vrſino, & aliis ejus ſaeculi perpetuo ſervatum ſupra monui] ſequi debuit. Mitto jam illud, quod nulla cauſa fuit, cur ex hodierna Cathedrali [cujus honori magis ſtuduiſſe tunc Archiepiſcopos neceſſe eſt, quam S. Reſtitutae, quae juris Canonicorum eſſet] S. Joannis reliquiae in S. Reſtitutam importarentur. At contra cur ex hodierna S. Reſtituta [quae vetus cathedralis fuit] cetera quidem Sanctorum corpuſcula amota, in novam cathedralem invehi placuerit, uno excepto S. Joanne, ea cauſa fuit, quam tradit Cimeliarches; quia nim. S. Joannes ſub Altari Trinitatis firmiter poſitus ſanitates largiebatur. Ea cauſa fuit, cur non viſum Archiepiſcopis fuerit ejus reliquias inquietari: populo verente, uti fit, nequid forte triſtius accideret, ac ſaltem a ſanitatibus tribuendis deſiſteretur. Poſtremo illud quoque nollem viro eximio excidiſſet, quod *Altare Trinitatis* non aliud interpretatur, quam maximam S. Reſtitutae aram. Quid enim commune? Quis majus S. Reſtitutae Altare ſub Trinitatis nomine unquam dicatum ſomniavit? Deinde quomodo ſubtilior illa loci deſcriptio a bono Cimeliarcha adhibita Altari majori congruet? *In Altari*, inquit, *quod juxta portam, qua itur ad eccleſiam S. Joannis ad Fontes, quod Altare Trinitatis vocatur*. Nam majus Altare [quippe quod antiquitus imo apſidis muro admovebatur] adeo non *juxta portam S. Joannis ad Font.* erat, ut potius longiuſcule a porta S. Joannis removeretur, ac non niſi per anfractus ab illo Altari ad portam illam commeari poſſet. Nec poſtremo unquam efficies, ut Ara maxima *Altare Trinitatis* dicta fuerit, ſed *Altare Salvatoris*; ſicuti & *Canonici Salvatoris* vocabantur. Vides quam omnia ſiniſtre Aſſemano cedant: nobis contra, qui antiqua ſectamur, novaſque argutationes odimus, pulchre omnia ac feliciter cadant.

Haec paullo longius ediſſerui, tum ne cui illa breviloquentia [qua in Diſſert. pag. 61. uſus fui] fraudi foret; tum etiam ut plane intelligatur, totum illum Joannis Cimeliarchae prologum a ſummo ad imum elata voce clamitare, & concionari, vetuſtiorem illam vergentis ſaeculi XIII. cathedralem [inter quam ſcil. & hujus hodiernae encaenia anni minus quam quinquaginta interceſſerunt] haud fuiſſe aliam, quam quae nunc, ex re mutato nomine, *Sancta Reſtituta* vocatur. Et hoc quidem argumentum [quod fruſtra Noſter enervare ſtuduit] jure optimo pro Achille quarto haberi poterat; niſi tanta rationum optimarum copia circumfluueremus, ut adverſariorum contra

relu-

(40) Quandoquidem autem pro imperio id jubet; ſine cunctatione parebitur. Id unum obſecro, ut illud *parvum oſtium* prope quod ſepulcrum S. Joannis fuit in hac hodierna cathedraſi [ex qua certe nihil deperiit] nobis velit oſtendere. Non, inquit, faciam. Quid ni, o bone? niſi quia numquam id potis eris? Nec enim in hodierna temporum Andegavenſium Aede commonſtrare ſive oſtium ſive vicinum ſepulcrum potes. Nam Cimeliarches AB ANTIQVO ibi ſepulcrū S. Joannis fuiſſe ſcribit; at Cimeliarchae tempore (ſi quidem is ex Aſſemani ſententia vergente ſaeculo XIV. vixit) in hac nova Cathedrali nihil tunc antiquum eſſe poterat. Nec dici poteſt, Cimeliarcham de commentitia Stephania [quam novis architectis in hodiernae Cathedralis Cruce metari in mentem venit] locutum, & in ea illud fuiſſe *parvum oſtium*. Cur id dici nequit? Nempe quia Cimeliarches & *parvum oſtium* & ſimul *imaginem*, adhuc ſe vivo ibi fuiſſe docet. Atqui illam commentitiam Stephaniam ſolo aequatam fuiſſe volunt, ad novam ſcil. Cathedralem inaedificandam.

Digitized by Google

reluctantium conatus haberi prorsus miraculo debeat.

SECTIO IV.

Ad sect. XXXVI. De loco Vitae B. Nicolai Eremitae.

Quandoquidem sectio superior mihi longior opinione mea processit; dabo operam, ut haec solito brevior evadat. Rogo autem lectorem, ut Assemanianam reprehensionem cum mea sectione IV. Partis I. cap. 6. pag. 72. seq. conferat; atque ipsemet in rem praesentem judicet, an quidquam evidentius afferri potuerit ad ea duo firmanda, quae probanda mihi sumpseram: nim. I. hanc, quae nunc novo nomine *S. Restituta* vocatur, proximis ipsis ante hodiernae novae Cathedralis encaeniа annis, non *S. Restitutam* sed *Majorem Neapolitanam Ecclesiam* [i. e. cathedralem] habitam & appellatam fuisse: II. fuisse vero tunc temporis alteram illi adhaerentem sub nomine *Sanctae Restitutae* ecclesiam, sive [ut alii tunc vocabant] *Cappellam*, ex qua postea collapsa simul cum S. Virginis corpore, etiam nomen in hodiernam S. Restitutam transmissum fuit. Haec vero duo tam plane ac diserte in narratione exsequiarum B. Nicolai Eremitae in hanc, qua de agitur, basilicam quatuor ferme ante hodiernam cathedralem encaeniatam annis elati, referuntur, ut nisi vita illa B. Nicolai a Bollandianis sociis jam pridem superiore saeculo desinente edita fuisset, verendum mihi esset, ne impositurae insimularer, si tantum ex Hannibalis de Capua Visitationis ignoto apographo verba Vitae illius produxissem. Nunc habenda est Bollandistis gratia, quod eorum accedente suffragio, tum a me omnis impositurae suspicio propulsatur, tum etiam Vitae illi auctoritas tanta accedit; ut argumentum inde arcessitum sine controversia pro Achille quinto omnium validissimo sit habendum.

Nunc videamus quid huic argumento Assemanus reponat. Ex meae Dissertationis initiis [Par. I. cap. 1. pag. 4. num. 4.] haec verba recitat: *Vbi sub Carolo II. Andegavensi nova haec, quae nunc visitur, basilica stetit, ea Major aut Neapolitana ecclesia ... appellabatur*. Ex quo sic infert. Ergo Carolo II. mortuo (mortuum autem anno 1309. satis constat) jam haec basilica hodierna steterat. Ex quo ulterius sic colligit. Quocirca anno 1310. (in quem exsequiae B. Nicolai inciderunt) Nicolai corpus (quod *in Majorem Neapolitanam ecclesiam* illatum dicitur) non in antiquiorem, sed in hodiernam cathedralem invectum fuit: deinde ubi *In cappella seu ecclesia S. Restitutae* sepultum narratur, id de hodierna S. Restituta intelligi debet. Ea est Assemaniana tota ratiocinatio. Quae tamen satis ruinoso fundamento nixa, simul cum eo fundamento corruit.

Nam ubi ego pag. 4. [quo loco rem adumbrari tantum satis erat; nec tunc necesse fuit ambages totius negotii subtilius edisseri] stetisse sub Carolo II. novam cathedralem dixi, id quidem verissime dixi. Quis enim dubitat, quin eo Rege vivo, parietes Aedis hujus magnam partem erecti fuerint? At aliud est muros construere, aliud aedem perficere, ac tecto ceterisque, quibus est opus, instruere, & consummare, ac postremo consummatam aut sollemnibus caeremoniis dedicare, aut saltem encaeniare & ejus usum auspicari. *Stetisse* tunc dixi: haec vero alia [quae postea sunt facta] adeo non dixi, ut potius contrarium sexcentis hujus opusculi locis affirmaverim. Imo & Assemanus ipse non uno infectationis hujus, qua me lacessivit, loco sub Roberto Rege Cathedralem consummatam & usui traditam docuit. Nec aliter Chioccarellus, Caracciolus, & quis non? locis omnibus decantaverunt. Videat lector Assemanum ipsum hoc ipso cap. XI. a pag. 341. ad 343. ubi ex Chioccarello [cujus loca prolixa cum archivorum documentis recitat] ostendit hodiernam Cathedralem anno 1295. sub Carolo Andegavensi inchoatam, anno vero sive 1313. sive 1315. sub Roberto Rege & Humberto Archiep. fuisse perfectam.

Deinde fac me tunc pag. 4. [cum forte haud satis ad causam instructus essem] erravisse levissime [etsi non erravisse, satis constat] cur, quaeso, Vir magnus meae sententiae professionem [de anno scil. encaenio-

Digitized by Google

niorum cathedralis hujus] inde potius quam ex aliis exfertiſſimis locis meis arripit, tum hac ipſa Sect. IV. (qua de loco vitae B. Nic. Eremitae diſputavi) tum in primis tota ſect. ſequente, ubi de Muſivo S. Mariae de Principio agitur? Mitto quod Parte II. hoc ipſum ad nauſeam uſque lectori ingeſeram, nempe hanc novam Cathedralem anno ſive 1314. ſive (quod pluribus in locis mavult Chioccarellus) 1315. fuiſſe encaeniatam? Et ubi non idem docui & clamavi centies?

Jam vero quis illud ferat, quod hodiernam S. Reſtitutam in ea Vita *Cappellam S. Reſtitutae* vocari dicat? Vel Conſtitutionem Humberti (anni 1317.) & exſequialem alteram Joan. Vrſini, & hujusmet Vrſini Ritus in mea Par. II. legat, atque ibi videat an poſt novam hanc cathedralem dedicatam vetus illa uſquam aliter quam *Eccleſia S. Reſtitutae* vocata inveniatur.

Prorſus ergo ne dubita, quin, ubi in Vita legis: *Portatur . . . ad Majorem Neapolitanam eccleſiam*, ea major eccleſia non alia quam hodierna S. Reſtituta fuerit; quia hoc totum quatuor aut quinque ante encaenia novae Cathedralis annis accidit. Deinde ubi ἐμίσως (*ſtatim*) additur: *Et INIBI* [h. e. in eadem Majore eccleſia, nondum ſcil. novum nomen *Sanctae Reſtitutae* conſecuta] *in Cappella ſeu Eccleſia S. Reſtitutae . . . reconditur*: id non niſi de adjacente S. Reſtituta antiquiore eſt capiendum. Eam quidem olim non niſi *Eccleſiam* vocabant; ſicuti & Siginulfi donatio anni 1309. [quam pag. 74. v. 10. protuli] vocat. At interim etiam *Cappella* vocari coeperat; ſicuti in Chronico S. Mariae de Princ. interdum nuncupatur. Hinc aptiſſime Vitae auctor Jacobus de Piſis [qui pauciſſimis poſt rem geſtam (41) annis videtur ſcripſiſſe: quo tempore & *Eccleſiae*, & *Cappellae* nomen ei priori *Sanctae Reſtitutae* impartiebatur] utrumque nomen cumulavit. Atque haec pro incomparabili Vitae B. Nicolai aſſerendo loco dicta ſufficiant.

CAPVT VII.

A definitiva Aſſemani ſententia, ab eo ſectione XXXVII. prolata, provocatio.

Hactenus interlocutiones meras, quae cauſam non dum plane finirent, Aſſemanus de plano protulerat: nunc hanc definitivam ſententiam pro tribunali pronuntiat. Sic porro incipit. *Fateor, ſcriptores XVI. & XVII. ſaeculi* [*Petrum inquam de Stephano*, & ceteros quos in eum catalogum refert] *in ea quae hodie S. Reſtituta nuncupatur, veterem*

(41) *Pauciſſimis*, inquam, *poſt rem geſtam annis*. Quod eo moneo, ne noſtro Aſſemano credas, ſic pag. 368. ſectionem XXXVI. ſuam exordienti. *Quatuor ferme*, inquit, *ante novae Cathedralis encaenia annis, Jacobus de Piſis ſcripſit vitam B. Nic. Eremitae*. Haec quidem verba quamvis mihi ipſi videatur tribuere; tamen [quia nihil tale ſomniavi] de ſuo poſuit: ſed parum conſiderate. Nam ſi hos quatuor annos ab anno emortuali Eremitae numerat (ut omittam quod non eſt veriſimile, Jacobum ſtatim a re geſta voluiſſe vitam ſcribere, cum non dum ſatis ad id intructus eſſet) h. e. ab anno 1310., jam quidem mecum agnoſcet, novae Cathedralis encaenia in annum 1314. incidiſſe, proinde anno 1310. non fuiſſe aliam *Majorem eccleſiam*, quam quae poſtea *Sancta Reſtituta* transnominari coepit: eaque de cauſa argumentationem ſuam, quam pag. ſeq. proponit, totam corruere neceſſe eſt; & Aſſemanum ſuamet vineta, antequam ea plantaret, concidiſſe.

Quod ſi in ea ſententia perſtat (quam falſo mihi pag. ſeq. tribuit) nim. novam Cathedralem vivo adhuc Carolo II. uſui traditam fuiſſe; tum ſi ab anno 1309. (quo rex ille obiit) annos quatuor retro numeres; jam eo res evadet, ut neceſſe ſit, vitam, mortem & ſepulturam Eremitae illius ab Jacobo fuiſſe anno 1305. conſcriptam, h. e. quinquennio ante, quam vita functus ac ſepultus fuiſſe ab ipſo Jacobo (ſpiritu nempe prophetico) ſcribitur. Verum non ii ſumus, qui in illis quae incogitanti excidunt, exſultare & triumphare geſtiamus. Imo ſic mecum reputo: ſi viro tam ſtupendae mentis atque memoriae potis eſt, ut aliquid humanitus accidat; tu vide quid agas, Symmache, quove pedem promoveas.

Sed jam illo redeo, unde digreſſus ſui. Omnino paucis poſt rem geſtam annis hanc *Legendam* a Magiſtro Jacobo fuiſſe ſcriptam, declarant verba illa prope finem Legendae poſita: *In qua* (tumba) *praeſentialiter manet, & multa propter ejus ſancta merita in virtute Altiſſimi certa variaque miracula quotidie demonſtrantur*. Mox narrato miraculo, quod in ejus interfectore accidit (qui factus immobilis, non potuit fuga ſeſe laqueo eripere) ſic in fine additur: *Sunt & cetera* (miracula) *quae apud me ſunt abſcondita, ſed vulgo inquirenti parebunt*.

Digitized by Google

terem Stephaniam agnoviſſe: at [e contrario] *adeo clara ſunt veterum auctorum Joannis diac. Petri ſubdiac. Raynerii ... Alberici, Joan. Cimeliarchae, & auctoris chronici S. M. de Principio, Stephaniam a S.ta Reſtituta diſtinguentium teſtimonia, ut mirum videri poſſit, acutiſſimos ſcriptores in luce meridiana oculos clauſiſſe.*

Hac vero tam abnormi ſententia clariſſimorum virorum, nempe eorumdem illorum, quorū nomina in Aſsemani definitiva ſententia ſcripta reperio, *Petri de Stephano, Joan. Tarcagnotae, Dav. Romaei, Caeſ. de Engenio; Barth. Chioccarelli, Ant. Caraccioli, Car. de Lellis, & quod caput eſt, ipſius etiam Mazocchii* (pulchre enim homo lepidiſſimus me quoque inter mortuos numerat, tamquam *Paullo poſt futurum*, Graeco more) horum inquam omnium Manes innocentiſſimos e tumbis excitatos, atque judicii immanitate uſque adeo inquietatos atque perculſos ferunt, ut de eo quid facto opus ſit, habito inter ſe colloquio, adhaec & JCtis Matthaeo de Afflicto, & Stephano de Cajeta (quos eadem omnia de Stephania cenſuiſse volunt) in conſilium adhibitis, tandem adverſus iniquitatem decreti hunc ab JCtis tribus Afflicto, Cajeta & Chioccarello dictatum provocationis libellum ad *Caput Neapolis* affigendum curarint: quo libello lectorum, quot ſunt quotque erunt, Concilium tamquam ſupremum tribunal ſeſe appellare proteſtantur, eorumdem fidem, ſinceritatem, atque ſenſum communem implorare ſeſe, id unum pro foro competente agnoſcere, etiam interpoſita de ſtando judicatis idonea cautione.

Atque operae pretium eſt capita aliquot ex eo appellationis libello cognoſcere. Nam primum Petrus de Stephano, Tarcagnota, & Romaeus [qui primi in Aſsemani decreto referuntur] negant ſe primos ea, quae ſibi tribuuntur, dixiſse, ſed eam perſuaſionem apud majores ſuos tum voce tum etiam ſcripto comprehenſam reperiſse: Nam exſtare adhuc ſaeculi XV. plura manu exarata veterum memoriarum collectanea, in quibus haec eadem ſcripta reperiantur. Jam vero ſi ab ſaeculo XV. cui ſucceſſere ipſi, retrorſum ad XIV. ſaeculum progreſſio fiat; praeter alios manu deſcriptos haud paucos commentarios, exſtare Joannis Villani chronicon formis typographicis impreſsum, qui veterem illam Stephaniam in ea, quae ſuo tempore *Sancta Reſtituta* vocari coeperat, fuiſse agnoverit. Exſtare porro & Magiſtri Jacobi de Piſis vitam B. Nicolai Eremitae, in qua diſertiſſimis verbis narratur, quatuor aut quinque ante hanc novam Cathedralem encaeniatam annis, tunc eam, quae nunc S. Reſtituta dicitur, ab antiquo habitam atque vocatam fuiſse *Majorem ... apolitanam eccleſiam*; ejuſque occiduo lateri illam ab antiquis memoratam *Sanctae Reſtitutae eccleſiam* vetuſtiorem adhaeſiſse. Adhaec porro ad ſuperius XIII. ſaeculum retracto gradu, in Joanne quodam Cimeliarcha [qui eo ſaeculo vergente vixerit] reperiunt, hodiernam S. Reſtitutam [illam ſcil. baſilicam, ex qua etiam nunc *ad Sanctum Joannem ad Fontes*, ut ibi legitur, aditus patet] fuiſse illam *ipſam Neapolitanam eccleſiam* ſive Cathedralem, in qua S. Joannes IV. ſanctorum epiſcoporum ſepulcra cum ſuperpoſitis imaginibus diſpoſuerat. Nec ſe porro aut Alberici, aut Raynerii, aut auctoris vitae Athanaſianae longioris, aut ipſius Joannis diaconi auctoritatem defugere; quippe cum in priore auctorum biga ſint manifeſta ſuae ſententiae ſignata veſtigia: in poſteriore vero ita Stephania a *Sancta Reſtituta* diſtinguatur, uti Stephania diſtinguebatur olim ab antiquiore illa *Sancta Reſtituta*, quae Stephaniae uſque ad XIV. ſaeculum copulata fuit. Sed & peculiariter Joannem Diac. in hodierna S. Reſtituta Stephaniam agnoviſſe, duplici (42) argumento demonſtrant.

De

(42) I. Argumentum tale eſt. *Vincentius Epiſc.* (ait Joannes diac.) *fecit Baptiſterium fontis minoris intus Epiſcopio*, ſive in Stephania. Atqui idem Vincentianum Baptiſterium non fuiſſe aliud ab hodierno ſacello S. Joannis in Fonte, praterquam quod alionde certiſſimum eſt, etiam Aſſemanus ipſe pluries ingenue faſſus eſt. Ergo Joannes diac. Stephaniam in hodierna S. Reſtituta agnoſcebat. II. Argumentum eſt ejuſmodi. Idem Joannes de S. Athanaſio ſcripſit: *Ordinavit*

Digitized by Google

De quibus omnibus in Mazochiana nescio qua Dissertatione, & in praevio Anteloquio, postremo & in rejecto ad calcem *Peremptorio* copiose disputatum fuisse, ipsis quoque Manibus nuntiatum fuit. Postremo Achilles nescio quos tres [in Mazochiano Anteloquio a Pag. IV. ad XI. descriptos] urgent, ut ipsi foras prodeant, atque productis recentibus rei tam antiquae vestigiis [tum scil. Apsidis Sancto Joanni ad Fontes adhaerentis, tum Atrii Stephaniae quod in Thesauro S. Januarii fuisse proditur, tum turris Campanariae ab Archiep. Petro eidem Atrio Stephaniae olim applicitae] tamquam trini arietis impressione pugnent, doceantque evidenter, illam veterem Stephaniam hodiedum in hoc hodiernae S. Restitutae semianimi trunco spiritum anhelum ducere. Postremum in eodem provocationis libello illud est, quod cum Illustriss. Falcone amare expostulant, vociferantes, nihil ei fuisse causae, cur loco verissimae Stephaniae [quam omnis antiquitas in hodierna S. Restituta agnoverat] antiquitate deserta, commentitiam nescio quam alteram de suo editam cerebro in novae Cathedralis cruce architectatus fuerit; & loco magnificentissimae veteris, alteram inauditam Pseudo-Stephaniam, miserrimam atque macerrimam, subrogaverit. Nec Bened. Sersalio parcitur: qui se Falconis unius maluit, quam totius antiquitatis sectatorem profiteri. Postremo Illustriss. Asemanum, qui se his tertium adjunxit, judicem rerum harum modeste recusant, utpote exterum hominem, ac studia partium palam professum. Itaque ab huius judicio ad lectorum Concilium incorruptum provocant: quos suam rei male judicatae calamitatem sublevaturos confidunt, ac porro in veterem possessionem suam Stephaniam revocaturos, nempe ex Edicto, *Uti possidetis, ita & possideatis.* Atque ea est reverendorum Manium (43) provocatio.

vit Xenodochium in Atrio praedictae Ecclesiae, h. e. Salvatoris sive Stephaniae, de qua proxime dixerat. Ergo Athanasianum Xenodochium in Atrio Stephaniae fuit. Atqui hoc idem Xenodochium ex Eugenii IV. diplomate (quod pag. 283. recitavimus) in hodierno Thesauri sacello fuit. Ergo Stephaniae atrium ex mente Joannis diac. in hodierno S. Januarii Thesauro erat: h. e. ibi re vera erat, ubi & hodiernae S. Restitutae atrium fuisse (antequam scil. hodierna nova Cathedralis existeret) oculi testes docent. Vides jam quid Joannes diac. de situ Stephaniae senserit; quantamque Levitae Joanni vim Assemanus intulerit, ut invitum ac reclamantem, pro imperio in suas partes pertraheret.

(43) Nescio quo casu factum est, ut subirato mihi illa Manium fabella (Christiano dogmati, sat scio, absona) ex calamo exciderit. Tametsi quid aliud agerem? Posset ne quisquam tam patiens inveniri, ut ad istiusmodi serio refellenda severus accederet? Cumque Asemanus noster hoc sibi licere fiverit, ut potissima sententiae meae praesidia clara, sonora atque diserta, mihi per vim eriperet, sibique tamquam in suo nata adsciscereti poterat ne ad eadem denuo vindicanda (quod alibi in Dissertatione, in Anteloquio, in hoc ipso Peremptorio accurate praestitimus) sedato animo fieri reditio? Poteram ne iterum dialectica arma tractare; & syllogismos in hoc tantum pertexere, nempe ut eos Adversario ridendos obiicerem? Ergo quid reliquum fuit, nisi ut cum eo qui per jocum haec agere & ista dicere visus fuit, paribus jocis atque fabellis ageretur. Ac ceteroqui ridentem dicere verum, tum minime contumeliosum est, tum etiam maxime civile.

Extremum illud est, ut quaecumque in hoc *Peremptorio* acta dictaque sunt, ea aequi bonique duci cupiam; quippe quae unius causae (quam in me semel necessitate victus susceperam) multo nunc major necessitas ab invito expressit. Quae bona cum venia atque pace Viri summi & amicissimi processisse volo; nec a quoquam accipi in deteriorem partem. Ac plane iniquissimus sit, siquis haec sinistre interpretatum iverit. Ego quidem certe quid de nostri Asemani ingenio & eruditione mirifica, quid de ejus animi dotibus, de mea in eum observantia, deque ejusdem in me indulgentia testatum esse voluerim; passim ex hoc Peremptorio constat, ac potissimum ex pag. 328. Adnot. 3. & 4. ad quas lectorem reiicio.

EDICTI PEREMPTORII FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Capitum & Sectionum Edicti peremptorii.

ACTIO PRIOR ΕΙΣΑΓΩΓΙΜΟΣ.
CAP.I. NARRATIO. Controversiae ſtatus, ſimulque neceſſitas hujus poſt finitum librum, poſtque appoſitos indices, mantiſſae exponitur.
§. 1. Auctarii hujus occaſio. 327.
§. 2. Neapolitanae multitudinis de adverſarii accuſatione ſententia. 329.
§. 3. Qualecumque meum de eadem oppugnatione judicium. 330.
§. 4. Specioſis Aſſemani excuſationibus in occurſum itur. 331.
§. 5. Defenſionem noſtram operi adjunctam, quam ſeorſum emiſſam, viſam fore opportuniorem. Partitio.
CAP.II. CONFIRMATIO. Argumenta ineluctabilia tria (quibus de eo, quod Stephania in hodierna S. Reſtituta fuerit, non tantum vel nolenti aſſenſio eripitur; verum etiam hoc ipſum permittitur oculorum judicio) indicantur: ad loca interim, quibus id luculenter agitur, remiſſo lectore. 333.
CAP.III. Objectio de S. Reſtituta (quam Vita Athanaſiana diverſam a Stephania facit) exploditur. De S.Reſtituta & Stephania curae ultimae. 334.
CAP.IV. Earumdem poſteriorum curarum breviſſima ὑποτύπωσις. Quid inter me & Aſſemanum circa veteres Eccleſias duas diſcrepet. 335.
CAP.V. Ex occaſione nova argumenta duo Stephaniae in hodierna S. Reſtituta ſtatuendae producuntur. 336.
ACTIO ALTERA ΑΝΤΙΡΡΗΤΙΚΗ. Seu CONFVTATIO reprehenſionum eruditiſſimi viri.
CAP.I. Ad priores tres ſectiones Aſſemaniani XI. capitis. 338.
CAP.II. Objecta Sectionum XII. XIV. XV. XVII. diluuntur. 339.
CAP.III. Reprehenſiones a Sectione XX. ad XXVIII. propoſitae diſpelluntur. 343.
CAP.IV. Quo Aſſemanicae oppugnationis violentior impetus retardatur. 345.
CAP.V. Quo adverſus criminationes a Sect.XXXII. ad XXXIV. excipitur. 351.
CAP.VI. REPLICATIO: qua exceptiones, quibus mearum rationum nonnullas Aſſemanus eludit, elidantur. 350.
SECTIO I. Mirum Aſſemani conſilium, quo trini Achillis mei impetus levi lateris declinatione vitavit. 352.
SECTIO II. De Raynerii aetate, ac de Ambonibus. 353.
SECTIO III. De loco Joannis Cimeliarchae. 354.
SECTIO IV. Ad Sect. XXXVI. De loco Vitae B. Nicolai Eremitae. 358.
CAP.VII. A definitiva Aſſemani ſententia, ab eo Sectione XXXVII. prolata, provocatio. 359.

ELENCHVS

Monumentorum ineditorum, quae ſparſim toto opere producuntur & illuſtrantur.

INſcriptio Averſae anno ſuperiore detecta pag. 212.
Anno 1151. Diploma Rogerii Regis Neap. quo Eccleſiam S.Sabini cum omnibus ſuis bonis Majori Eccleſiae Neap. donat. In Anteloquio pag. XXIX. adnot.20.
Ordo divinorum Officiorum labente XII. ſaeculo ſcriptus evulgatur & illuſtratur. 264.
Ann.1195. Diploma Henrici VI. Imp. & Siciliae Regis, quo privilegia antea conceſſa *Divi Martyris Januarii Baſilicae* i.e. Cathedrali confirmantur. Ibid.pag.XXX. adnot. 22.
Chronicon antiquius S. Mariae de Principio labente ſaeculo XIII. conditum, necdum editum, carptim producitur & illuſtratur. 64. 67. 76. Adnot. 64. p. 184. 185. 229.

Ann.

Digitized by Google

Ann. 1317. Constitutio Humberti Archiep. de Divinis officiis. 149.
Ann. 1334. Constitutio funeraria Joannis Vrsini. 157. adnot. 63.
Ann. 1336. Inventarium Hospitalis Athanasiani ab Hilario de Palude ex antiquiore exemplo transcriptum. 272.
Ann. 1337. Ritus Joannis Vrsini, in quibus prima incidit Hebdomadariorum mentio. 57. 162. 165. 231. 247. adnot. 7.
Ann. 1378. Diploma Bernardi Archiep. quo tres primitivas Hebdomadas novis Hebdomadariis adnexuit. 175.
Ann. 1381. Bulla Ludovici Boczuti Archiep. qua Ecclesiam S. Mariae de Mundulis &c. Congregationi Salvatoris Veteris i. e. Hebdomadariis donat. 178. 180.
Ann. 1440. Eugenii IV. P. M. diploma, quo Xenodochium Athanasianum cum attigua S. Andreae Ecclesia nosocomio Adnuntiatae adnexuit. 283.
Ann. 1450. Instrumentum coram Gaspare de Diano celebratum de quadam domo Salvatoris Veteris reficienda. 285.
Ex Comite Neapolitano circa XVI. Saec. initia exarato passim plurima produeuntur. p. 181. adnot. 81. 82. 83. p. 187.
Ann. 1533. & 1534. Statuta Capitularia in Conventu Capitulari condita carptim recitantur & exponuntur. p. 295. & seqq.
Ann. 1567. Constitutio S. Pii V. quae incipit, *Susceptae servitutis officium*. 303.
Ann. 1592. Ex Visitatione Hannibalis de Capua excerpta plurima. 135. adnot. 34. p. 173. adnot. 72. p. 178. 180. 296.
Ann. 1598. Instrumentum de Cappellania Salvatoris Veteris seu S. Athanasii. 287.

Praeter haec autem, paucissimis abhinc diebus monumenta quinque saeculi XI. & XII. ex totidem Capitularis tabularii membranis eruta in manus meas pervenerunt. Ea dignissima videbantur, quae hic in calce hujus voluminis viserentur. Nam praeter cetera, praeclaras notitias complectuntur de illa Sancta Restituta antiquiore; ex qua saepe in hoc opere ostendimus, tum S. Virginis Restitutae corpus, tum etiam nomen traductum in hodiernam S. Restitutam fuisse: quae hodierna S. Restituta antiquitus Stephania, *mox a saeculo ferme XII.* Ecclesia Neapolitana *aut* Major Ecclesia Neap. *vocabatur. Edenda igitur hic videbantur. Verum cum hujus libri emissionem differri diutius ne momento quidem licuisset; ad ultimum ea sententia potior visa fuit, si ea monumenta quinque simul cum veteribus chartis aliis, quascumque licebit corradere, in unum fasciculum diplomaticum coacta, junctim Deo dante exeant.*

ADPROBATIONES VTRIVSQ. CENSORIS

Dominus Canonicus D. Jacobus Fontana S. Th. Magister, in Curia Archiep. Examinator Synodalis revideat & referat.

C. EPISC. CAJAC. VIC. GEN.

JULIUS NICOLAUS EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

OPus (*quod inscribitur*: Dissertatio Historica de Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae semper unicae variis diverso tempore vicibus) *jussu Tuo cupide a me lectum, civium omnium, qui Ecclesiae Neapolitanae antiquitates densa caligine obsitas hominum vel diligentissimorum effugisse sollertiam conquerebantur, vota nedum explebit, verum etiam superabit. Unusquisque ex ejus lectione in admirationem se abripi sentiet, qui fieri potuerit, ut ex adeo spissa obscuritate lucidum undequaque systema emerserit, quod*

Eccle-

Ecclesiasticarum nostrarum rerum pene deploratarum interitui occurrerit, ac splendorem, qui numquam sit obfuscandus contulerit. Opus Ecclesiae commoda fovet, dum sacras illustrat origines. Scatet undique Christianae modestiae documentis, dum aliter sentientium commenta explodit. Praesagit igitur sibi animus fore ut dum in Tuos oculos incurrerit, tum acri judicio tum flagranti studio, quo Ecclesiae Tuae antiquitatum elucidationi consultum optas, cumulate sit responsurum. Quae res summam auctori tum integrae doctrinae a vitio quovis immunis, tum eruditionis praecipuae laudem conciliabit. Sacram Purpuram interim quam humillime deosculor. III. Idus Mart. 1751.

Humill. Obsequentiss. & Addictissimus
Can. Jacobus Fontana.

Attenta relatione Domin. Canon. Revisoris imprimatur.

C. EPISC. CAJAC. VIC. GEN.

JULIUS NICOL. EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

Rev. D. Ignatius Calce Professor interinus Regiæ Universitatis studiorum in Cathedra Linguæ Hebraicæ revideat, & in scriptis referat.

C. GALIANUS ARCHIEP. THESS. CAPEL. MAJOR.

DIssertatione Historica de Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae semper unicae variis diverso tempore vicibus *sapientissimus auctor, dum e sacrae antiquitatis ruderibus mira sagacitate & felicitate veterem Ecclesiae Neapolitanae Cathedralem excitat & instaurat, novo quasi* κειμηλίῳ *pretiosissimo praeclara hujus Regiae urbis auget decora; novoque splendore Regni amplitudinem, Regiaeque Majestatis cumulat jubar. Ita censeo. IV. Non. Mart.* 1751.

Humillimus, devotissimus & obsequentissimus
Ignatius Calcius.

Viso Rescripto S. R. M. interposito sub die 23. *currentis mensis, & anni relatione facta per Rev. D. Ignatium della Calce, de commissione Rever. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regiae Majestatis Regalis Camera Sanctae Claraе providet, decernit, atq. mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rever. Revisoris, & in publicatione servetur Regia Pragm.*

CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. ANDREASSI. GAETA.
Illustris Marchio Danza Praeses S. R. C. temp. subs. imp. Regist. fol. 37. *ter.*
La Rocca.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google